humore ex cerebro in χυγαμὸς deſtillante, ſaliuam vocant, fauces ipſas & larynga linguamq́ꝫ, atqꝫ adeò omnem concauitatem œſophagi ad orificiũ vſqꝫ ventriculi irrigare) calculi quoque generentur, de quibus vir clariſſimus doctor Iohannes Langius, illuſtriſsimorum principum comitũ Palatinorũ medicus, ſecundo libro ſuarum Epiſtolarum medicinalium ſcribens: Curaſſe ſe, inquit, canonicum Ratiſponenſem nobilẽ de Sparneck, qui ob lapidem in tonſillarum faucium abſceſſu concretum continua afflictus ſit tuſsi, quo emollito humore, oborta ex deſtillatione valida tuſſi, calculum gypſeum excreuerit, ſimillimũ tophis qui intra digitorum articulos chiragra laborantibus accreſcere ex pituita ſolent. Quomodo autem quibusq́ꝫ medicamentis atque medijs id factum ſit, ibidem exponit.

Digitized by Google

DE CALCVLIS

LAPIS IN TVMORE *ſub lingua concretus.*

III.




TOrgæ in aula principis electoris Iohannis Friderici vera laude Religionis illuſtriſsimi, tibicen erat, quo buccinatore nonnunquam princeps vtebatur, in eo ſtudio cum ingenio nec ſine induſtria verſatus, Iohannem Steidelium vocabant. Huic tuberculum ſub lingua ſurgit duriuſculum & diuturnū, ſed doloris prorſus expers: quod ipſe & quos conſulebat, ex flatu vehementi ſic intumuiſſe opinabantur. Sed cum paulatim accreſceret, & buccinanti impedimento eſſe cœpiſſet, à chirurgis conſilium petit, qui malagmatis foris appoſitis intu


intus autem gargariſationibus tumore mollito, ſaniem tuberculum illud facere cogunt: quod dum ictu aperiretur, exprimereturq́; iuxta pus durus quidam lapillus exilit, qui etiamnú penes me eſt, vt bina piſa magnus, teresq́; cum arefacta atq; excorticata lauri bacca ſimilitudinem habens, colore ſpadiceus & iuſtæ grauitatis. Vulnus deinde ſanatum integrè fuit, & tumor euanuit, nec tibia canenti amplius moleſtè obſtitit.

CALCVLI PVLMONVM. IIII.

A



B







Digitized by Google

A.

Calculus à Valopio repertus.

B.

Calculus, cuius Paulus Aegineta meminit.

QVòd in pulmonibus calculi nō aliter atq; in renibus aut veſica gignantur, nō ſemel ab induſtrijs Medicis compertum atq; deprehenſum eſt, vt ex longè clariſsimi atq; perantiqui Medici Pauli Aeginetæ cōmentariorum lib. 3. cap. 31. apparet, cuius verba ſubijcere libuit: Expertum certè mihi, inquit, aliquem ex ijs qui ſanguinem è pulmone reijciunt, temporis proceſſu maxima cum tuſsi & ſanguinis copia calculos quatuor aut quinq; expuiſſe, aſperos tribulorum modo, ad magnitudinem ſiliquarum trium aut quatuor: ac deinde dolore leuatū, paulo pòſt tabe conſumptum interijſſe. Similem caſum recenſet etiam Alexāder Trallianus lib. 5. cap. 4. ſe


4.ſe virum vidiſſe, qui cum tuſsi ſicca vſq; ad tabem maceraretur, eiq; diætã frugi ex humectantibus & temperamento leniter frigidis indixiſſet, tandem oborta tuſsi, ex pulmone lapidẽ quidem durum, exquiſitè tamen leuem, eructârit, qui pauimento illiſus reſiliret: vnde patiẽs tuſsi leuatus eſt.

Anno 1561. Gabriel Valopius vir præclarè doctus, & Anatomes omniũ qui tum in Italia claruerunt, peritiſsimus, quibuſdam amicis ſuis morem gerens, in celeberrima ſchola Patauina, iuuenis cuiuſdam viri corpus ſecuit: qui aduerſa valetudine diuturna vſus, tabe paulatim cõſumebatur, de anhelo pectore, & quotidiana tuſsi præcipuè querens, donec tandẽ placidè ex hac vita migrauit. In eius pulmone Valopius quatuor lapides offendit, nullum faba maiuſcula minorem, latos nonnihil & tuberoſos, cinereos & ſubduros.

Digitized by Google

DE CALCVLIS
LAPILLI IN HEPATIS ſubſtantia coagulati.

V.



VT à Peucero Philippi Melanch thonis genero (viro illuſtri do ctrina, perito rerum & exemplorum omnisq́; vetuſtatis, quo cum mihi v tus & iucunda neceſsitudo interce dit) accipio, vtq́; idem in Comment rio ſuo de Diuinationum generibu memorat, tres lapides reperti fuerun in hepate Hieronymi Scribæ iuueni Norici mirè ſtudioſi, docti atq; peri ti, quondã Valerij Cordi comitis pe


Ger

Germaniam & Italiam, amicorumq́ ipſius quos coluit intimi, qui Cordũ florente ætate Romæ extinctum, Pariſijs anno 1547. nõ multò pòſt morte ſubſecutus fuit. Vtriuſque (proh dolor) immaturus interitus deplorãdus eſt, propter ſingularia ornamenta, quibus ita eminebant, vt qui patriæ vniuerſæ emolumento atq; gloriæ ſuperſtites futuri fuiſſent. Lapidum eorum vnus præcipuæ magnitudinis, dimidiatum ferè columbæ ouum adæquauit, totus anguloſus, colore liuido, ex phlegmate & humore melancholico conglutinatus. Ita verò hepatis carni adhæſerunt, vt panniculo iecur tegenti contigui eſſent, omnes modicè ſolidi.

Digitized by Google

CALCULI IN FOLLICULO fellis generati.

VI.



A.

Calculus exciſus à Valopio inter alios 123.

B.

Calculus Friderici III. electoris Saxoniæ.

Digitized by Google

C.

Lapides Badehornij.

D.

Lapis per medium fractus.

NOn ſecus atque in pulmonibus phlegma, ita quoque flaua bilis prius hepatis calore aduſta, poſtea in lapidis formam in fellis folliculo concreſcit, vnde eos eximi ante experientia probauimus, ſed ex illis ipſis lapillis bilis receptaculo inhęrentibus magnas obſtructiones in vaſis, multaq; violenta ſymptomata conſequi non minus compertum eſt: in quibus vel peritiſsimi medici ætate prouecta hęrere atq; impediri queant, ambigentes nimirum vnde tam ancipites ęgrotationes & accidentia ita varia exiſtant. Atq; vſu attentioribus medicis inter ſecandum corpora humana veniſſe audiuimus, non duos ſolùm aut tres, verùm aliquãdo centenos quoq; in eodem receptaculo tales calculos

vt repererint. Vtinam ſæpe multũq́ in dubijs præſertim ac periculoſis caſibus, ſimiliter fieret, atq; ab extinctorum cognatis precibus obtineretur ſecare corpora vt integrum eſſet, non dubito eiuſmodi ſæpe res oblatũ iri, quæ vſu notatuq́; vtiles atque dignæ forent.

Qui in fellis receptaculo fiunt lapilli, magnitudine lentes, piſa, fabas, auellanas, aut digitorũ articulos, vel iuglandes etiã adæquant: forma partim rotũdi, partim anguloſi: ijq́; aut pentagoni, aut heptagoni, aut octagoni, aut plurium etiam angulorũ: quo enim plures ſimul reperiuntur, eo magis ſunt anguloſi: oẽs vt tophi leues, colore ad flauum accedẽte, qui cum ipſis augeſcentibus paulatim in croceum mutatur, modicè ſolidi: fracti, intus ſubpunicei apparent, pleni anguſtis circulis ſeinuicẽ ambientibus, ita vt videre ſit cuiuis ſaltẽ obiter aduertenti, quomodo lenta & viſcoſa

bilis

Digitized by Google

bilis à centro aduſq; ſuperficiem ſenſim adhæreſcens accreuerit, & hepatis feruore in eam ſoliditatem durata fuerit.

Eximij atq; clariſsimi viri D. Badehorni Iuriſconſulti, hodie cõſulis Lipſenſis, frater (cui Materno nomen, quo ego familiariſsimè vſus fui) ſummo ingenio adoleſcẽs, (forma ac ſpecie liberali, animo læto atq; alacri, in omnibus rebus comis & perquàm humanus, moribus quoq; compoſitis & temperatis) in Italiam ſtudiorũ cauſa proficiſcitur, indeq; domum reuerſus, queri ſenſim de ſtomachi & hypochondrij dextri torſionibus, nec non de nauſeæ moleſtia cœpit. Erat enim ἄτροφος, & aluo ſemper ſtrictiore, quæ ſymptomata ſomno ipſum priuabant, vnde & membrorum corporis laſsitudinem, & mœrorem, & melãcholicas affectiones, tabẽ quoque conſequi neceſſe fuit: quibus malis miſer tantiſper infeſtabatur, donec

& dolore & mœſtitia leniter emarce-ſceret. Multifaria remedia plurimorum doctorum conſilio adhibuit, verum fruſtra, quod ægritudinis rationem rectè videret nemo. Plures ex medicis quibus tum vtebatur, & cognatis ſuis, arbitrabantur ipſum in Italia φίλτρου hauſiſſe. Cum igitur in vera inuocatione filij Dei deceſsiſſet, magnitudine dolorum fractus, quod factum fuit anno 1551. ætatis autem ſuæ 29. corpus defuncti permiſſu fratris ſectum, membris intus omnibus ſaluis atque integris: corde ſaltem modicè tabido fuit. Vbi verò fellis veſica aperta, intus 22. calculi, quaſi ſubluteì, magnitudine diſpari reperti fuêre, quorum minimi piſis minutis, maximi modicis fabis reſponderunt. Omnes quinque, ſepté, octo aut plurium etiam angulorum.


Paris formæ, ſed numero plures calculi è fellis veſica Chriſtiani regis Daniæ vita defuncti, excisi dicuntur. Is diem

diem ſuum obijt anno Salutis inſtauratæ, Milleſimo, quingenteſimo, & quinquageſimonono. Sed raræ magnitudinis lapis in eadem cyſti memorandi principis Friderici tertij cognomento Prudentis (cuius paulò pòſt vbi de veſicæ, quæ vrinæ receptaculũ eſt, lapillis egero, mẽtio fiet) perueſtigatus fuit, forma quadrangula, articuli granditate, ſed colore aliorum diſſimilis, quaſi ad praſinum accedente.

Hoc duplo maiorem nobiliſsimus Anatomicus Gabriel Valopius in poſtrema ſua Anatome, quã paulò ante obitum Anno 1 5 6 2. in celebri Academia Patauina abſoluit, è felle viri cuiuſdam inter cæteros, quorum centum & viginti tres numerati fuere, exemit, inſtar ſemioui gallinacei, grandiuſculum, latiorem quàm rotũdiorẽ, digitum vnũ craſſum, multisq́ tuberculis aſperũ, vt tophus leuẽ, & luteũ: reliqui, modicas fabas: minimi atq; plurimi, piſa quãtitate retulerũt.

CALCVLI RENVM.

VII.



A.

Calculus Friderici III. electoris Saxoniæ.

B.

Foramen eroſum, quod vrina perfluxit.

C.

Calculus Amygdalinus.

LIcet non modò vſitatum, ſed & quotidianum ſit, arenulas & calculos intra renes reperire, ibidem natos & adauctos, magnos & paruos, duros & læues: forma diuerſos, oblõgos, acuminatos, latos, anguloſos, rotun-


tundos, planos, coloribus albos, pullos, flauos, fuluos, ſpadiceos & nigros, vt depingi nullo modo poſsint: tamen hoſce duos lapides, ob ſingularem quandam granditatem & formam adijcere volui. Alter & maior quidem (vt deinceps in deſcriptione lapidum veſicæ dicetur) è dextro rene laudatiſsimi & pientiſsimi principis Friderici tertij, Saxoniæ electoris, aperto poſt obitũ eius cadauere, exciſus fuit. Alterum cuiuſdam pauperis, pannicularij vxorem viginti annos natam, Miſenæ excreuiſſe cõſtat, poſt innumera medicamenta, tanta difficultate, vt in diſcrimen vitæ veniret. Equidem ſimiles dolores, quod fateor, ante nõ vidi. nam ſex totos dies cruciatus enitẽdo perpeſſa fuit adeò ſæuos, vt ei crus dextrum ſtupore penitus rigeſceret, & denigraretur, donec lapidem peperiſſet magnitudine, forma atque colore amygdalæ ita ſimilem, vt amygdalis permixtus ab ijſ-

Digitized by Google

dem internoſci repentino aſpectu vix poſsit.

CALCVLI IN VESICA hominis durati.

VIII.



A.

Dextrum latus calculi.

B.

Siniſtrum latus.

C.

Cuſpis in meatum vrinalem porrecta.

D.

Pars latior in veſica.

Me-

Digitized by Google

E.

Medium calculi, quod veſicæ orificium amplexũ fuit, & exitum vrinæ prohibuit.

NOn ſecus atq; de renum lapillis dictum eſt, in veſica quæ vrinam excipit, lapilli concreſcunt, nec minùs varij forma, quantitate atq; colore: niſi quod veſicę calculi apud quoſdam præcipuæ cuiuſdam magnitudinis & duritiæ eſſe ſolent, vel tantæ, vt nec medicamẽtis atteri expelliq́; nec inſtrumentorum vſu frangi eximiq́; iam † cæſis queant: ſed neceſſe ſit, qui ſic infeſtantur, quod ipſe perturbato animo non ſemel expertus fui, mole dolorum ſuperatos oppreſſosq́; , inter infandos cruciatus miſerè oppetere. Equidem, quæ mea eſt opinio, nullam acerbiorem homini mortem accidere poſſe puto ea ipſa, quam calculi inferunt tormenta, vbi quis mem-

† *inciſis veſicis*

Digitized by Google

indignè exhalet : id quod Friderico III. Saxoniæ electori primo, pietate, ſtudio pacis, multisq́ virtutibus memorando (qui Anno 1593. die 27. Ianuarij in lucem fuit editus) euenit. Is enim pius & ſapiens princeps, cum è terra ſancta (in quam profectus fuerat, vt veſtigia cerneret, in quibus filius Dei ambulauit, docuit, ſigna fecit, & totius mundi peccata ſua morte perſoluit) domum ad ſuos fœliciter & incolumis redijſſet, quod fuit anno 1494. deinceps celeberrimá Academiam Vitebergicam inſtituit, anno 1502. accitis vndiq́ magno labore impendioq́ viris doctis, ſapiétibus, omnium linguarum atq́ doctrinarum peritiſsimis, quos & honore & beneuolentia proſecutus fuit, & liberaliſsimis ſtipendijs è fiſci proprij facultatibus affecit, quibus etiamnũ illorum ſucceſſores vtuntur, fruun


tum principem interemit, conſiderare poſsis. Sed idem chirurgus fellis receptaculo alium calculum exemit, vt vir clariſsimus dominus Peucerus mihi ſignificauit, quem manibus ſuis ſeſe contrectaſſe aiebat, praſino colore, forma quadrangulum, magnitudinis vnius articuli.

Inde & renes ſecti fuêre, atq; è dextri lacuna alius quidam lapillus euulſus fuit duorum articulorum magnitudine, ſubrutilo colore, circumcirca vno in loco circulari ambitu medicamentorum λιθοθρυπτικῶν acredine attritus eroſusq; qua vrina perfluxit.

Digitized by Google

CALCVLI IN INTESTINIS generati.

IX.



A.

Calculi Mauritij à Thimen, quales ſingulis menſibus ſine dolore excernit.

B.

Lapis integer M. Balthaſaris Arnoldi.

Lapis

Digitized by Google

C C.

Lapis per medium ſectus.

D D.

Foramen triquetrum.

QVòd calculi inter inteſtina quoque humana parui & magni fiant, exemplis affirmare poſſum. Sed multi homines iam concretos in viſceribus ſuis, ne ſenſu quidem percipiunt, nec doloribus infeſtantur, niſi cum anguloſi & aſperi per ſedes eijciuntur. Alij maximis vellicationibus torquentur, tantiſper dum lapides immorantur, & cum exitum denique petunt.

Eſt inter alios in hac noſtra diœceſi vir nobilis, Mauritiū à Thimen vocant, proceritate & robore corporis conſpicuus, πληθωρικός etiam & bene coloratus. Eius prædium non plus vno miliari Viteberga abeſt. Huius inteſtina multos per annum calculos faciunt: quorum ſingulis menſibus, vl-

timo quadrante, aliquos abſq; mole-
ſtia eijcit, niſi cum teneſmo laborat,
& lapilli aſperitate † ἀπευθυσμένον ἔν-
τερον penetrando rodunt, aliâs maio-
res, aliâs minores piſis, partim rotun-
di, partim oblongi & aſperitatis ali-
quid habentes. Nonnunquam ex a-
renulis conglobati conglutinatíque
cernuntur velut Ammonites, colori-
bus fului, mediocris duritiæ, ſed le-
uiores: quod indicium eſt, magna ex
parte ex flaua bile, phlegmate admi-
xto, coaluiſſe.

† *rectum inteſtinũ*

Sed & Torgæ vbi ego nunc vitam ago, & Medici officio fungor, eſt vir pius & doctus, ætate grandis (iam e-nim duodecimum climacterem agit) cui nomen magiſtro Balthaſari Arnoldo, qui in hoc oppido annos continuos 42. munus docendi in Eccleſia ſuſtinuit: quo, præterito primũ anno, ſe abdicauit. Hic inde vſq; à pueris colicas paſsiones tolerauit ita magnas, vt vita ipſius non ſemel in per-

ditis & deſperatis fuerit habita. Anno demum Milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo octauo, hũc grandem lapidem per longanonem eliſit, cuius formam & magnitudinem hîc depictã addidi. Eſt enim figura quaſi tereti, duobus articulis anterioribus pollicaribus coniunctis magnitudine non abſimilis, baſi vtraq; nonnihil ſinuoſa aut cõcaua, ad modum cotylarum aut ſinuum in oſsibus, quibus capita aliorum oſsium inſeruntur, venulis albis & luteis in colore ſpadiceo diſcurrentibus, foris læuis ſeu glaber, vetuſti alicuius luti ſpecie. Sinus autem iſti, ſummus & imus, nõ aliter apparent ac ſi alij eiuſdem formæ lapides illis inſerti contiguiq; fuiſſent, ſicut bonus ſenex ipſe ait, credere ſe, ſi obſeruatum fuiſſet, pro magnitudine dolorum quos inter ſedes ſubinde pertuliſſet, plures eiuſmodi calculos cum excremẽtis egeſtos fuiſſe: ac ne hunc quidem agnitum fuiſ-


ſe,niſi tranſuerſus per rectum inteſti-
num deſidendo tantos cruciatus pe-
periſſet,vt hærens difficulter extrahi
potuiſſet. Fractus per medium palli-
do eſt colore,& mollior tactu quàm
foris:plenus circulorum,è quibus vi-
dere eſt,vt indies ex adhæreſcēte ma-
teria concreuerit.Sed & foramen tri-
quetrum hoc modo diſſectus oſten-
dit,non penetrans, ſed fiſſuræ ſpeci-
em habens. Sed vt formam mirabi-
lem huius lapidis coràm melius aſpi-
cere queas,amicorum omnium inti-
me Geſnere, quàm ex data pictura,
ideo fuſum ex gypſo & coloribus ſuis
tinctum repræſento, ſiquidem veri la-
pidis mittendi poteſtas mihi fuit de-
negata. Porrò hoc liberatus ponde-
re pius & emeritus ſenex,nullis huc-
uſque colicis torminibus cruciatus
fuit.

Similiter quoque (vt à viro docto
& perito medico D. doctore Iohān-
ne Brambachio Dreſdēſi, affini meo,
co-

cognoui, quem ego fraterno amore amplector) poſt meum ex Italia reditum in Germaniam, lapis per ſeceſſum egeſtus fuit magnitudine oui, à præſtantiſsimo medico D. Frizemelica: quo nos præceptore Paduæ, vt alijs clariſsimis viris, Iohanne Baptiſta Montano, D. Francazano, D. Bellocato, D. Lando, biennio vtebamur. Is quoq; magnis cruciatibus colicis aſſiduè diſcruciabatur.

CALCVLVS IN STEAtomate cruris condenſatus.

X.



IN electoris Saxoniæ principatu alius quidam nobilis eſt patria Mar-


chita, nomine Ioachimus Kobel, pręfecturæ Schvvenicenſis præſes, militiæ peritus, cui in ſiniſtro crure ſteatωma enatum, vltra annum durauit, gallinacei oui magnitudine: quod cũ ei nihil impedimenti inter ambulandum afferret, nec doleret etiam, incidi noluit, ſed ita reliquit. Sed cum aliquando in equeſtri certamine ex incuria id grauiter offendiſſet, vt immodicè intumeſceret & inflammaretur, dolores acciderunt acerbiſsimi, donec tandem concepta ſanie apertus tumor fuit: in quo lapis auellanæ magnitudine apparuit, anguloſus, rotundus tamen, & ſpadiceus, quo exemplo vnà cum pellicula qua continebantur humor ſanieſq́ꝫ, tumor ſubſedit, & vulnus perfectè concreuit.

CAL-

Digitized by Google

CALCVLI IN vulneribus.

X I.



A.

Calculus pueri tredecim annorū.

B.

Pars latior intra veſicam, indies augeſcens.

C.

Pars in vulnere caſo.

AAA.

Subſtantia cutis & carnis vſtulata à puluere, ambiēs materiem calculoſam.

B.

Materia in calculū durata.

C.

Meatus quem vrina perfluxit.

Digitized by Google

† interaneis ſeu viſcerib.

QVemadmodũ exemplis oſtendi lapides in hominũ † σπλάγχνοις generari, ita externis quoque membris corporis humani ſauciatis exulceratíſve calculos innaſci compertum habeo: cuius experientiæ duo exempla ſubijcio.

Cervvici, quod oppidum eſt ditionis ducum Anhaltinorum magna laude pietatis illuſtrium, puer quidam lithiaſi affectus tredecim annorum, ab ignaro quodam atq; imperito lithotomo cæſus fuit, cui poſtea incuria atque negligentia artificis meatus in veſicæ inciſura remanſit, qua vrina ſine intermiſsione ſtillauit, deſerto canali quem natura deſtinauit. Hoc cum ad longum tempus duraret, circa eum meatum glutinoſus quidam coaceruatur humor, qui paulatim in lapidis cinerei duriciem coaleſcit, & nouas, imò maiores veſicæ diſtenſiones & cruciatus acerbiores, ratione obſtructi foraminis, qua vrina ante

perço-

percolabatur, affert, quàm ex priore calculo perceperat. Nec remoueri nouum hoc malum aliter potuit, quàm noua veſicæ inciſione. Iam enim calculus magnitudinem, cuius hîc picturam damus, contraxerat. Quod cum factum per peritum quendam & exercitatum artificem, & lapis denuò exemptus eſſet, plaga rectè coaluit, puer ipſe alacer & ad quæuis expeditus, nulla amplius moleſtia, nulla difficultate premitur aut infeſtatur.

Anno 1558. cum Hiſpaniarum rex Philippus regi Galliæ bellum intuliſſet, duo nobiles ex Marchia qui eius militiæ ſocij erant, & ſtipendia ſub rege Philippo merebãt, cum iam in itinere cum alijs compluribus eſſent, fortè fortuna coorta inter ipſos diſſenſione cõgrediuntur. In quo certamine is, cui à Kalckreut nomen eſt, alterum Conradum à Bernheim infeſtiſsimè adoriens bombardæ ictu petiit. Verùm globus crumenæ lamina

Digitized by Google

† *puluerē bombardicū ger.*

ex chalybe obducte, in qua ictus †pulueris & pilarum gerebat, caſu illiſus à latere eius reſilit; & palmi infra vmbilicū ſpacio intra corpus penetrans, veſicā homini traijcit, in eâdem ſubſidens, impetu eius ex primo afflictu fracto. Hoc accepto ictu, equo decidit, & à ſatellitibus ſubleuatus, Lipſiā ad chirurgos exanimis reducitur: qui dum vulnus ei obligant, animaduertunt veſicam ſphærula ſauciatam eſſe. Ibi deſperantes obligato valedicūt, omni curationis ſtudio abiecto: nemo enim tantum ſibi ſumere voluit, vt plagam veſicæ inflictam ſanaret, quam ex Hippocratis Aphoriſmorū libro ſeptimo, aphoriſmo decimoquinto, inſanabilem & mortiferam eſſe didicerant; cui tamen Galenus in commentario ſupra eundem aduerſatur. Sic igitur derelictus, omniq; cura deſtitutus ſaucius, accitis miniſtris ſuis domū ſe reportari expetit aut viuum aut mortuū, quod cum face-

facerent ſatellites, & iam Torgam Lipſia aduexiſſent, æger cupidus vitæ, chirurgum oppidi peritiſsimum Leonhardum Vvolcium, & me quoque precibus accerſit. At primùm rem omnem vt accidiſſet, prolixè nobis receſet, deinde gemebundus opem noſtram implorãs, obſecrare ſe ait vt deſertum ab omnibus noſtra beneuolẽtia complecteremur, & curandũ ſuſciperemus. Chirurgus itaque laxatis ligamentis, & cognito vulneris periculo, mox vitam ſimul atque curationem denegat deſperato. Tandem mea interceſsione motus, cum pollicerer meam quoque operã ac fidem coniuncturum, ſuſcipit & religat ſummo ſtudio. Ibi tum hebdomadas vndecim vrina non canalem perfluxit ordinatum, ſed per plagam manauit: per eam autem omnis ſubſtantia cutis carnisq; vſtulata ab ictu erat, eiq; materies quædam glutinoſa ex acredine lotij ſanieq; circumcirca adhæ-

Digitized by Google


reſcens, in lapidis ſoliditatem obdu-
ruerat, ita tamen vt vrinæ meatus de
die in diem exiguus patêret, qua ſtil-
laret, donec elapſis quinque ab ictu
ſeptimanis, ſubſtantia ea vſtulata, pu-
tredine ſenſim laxata, vnà cum calcu-
lo accreto, à chirurgo inſtrumento
extracta fuit, & vrina iam immediatè,
vulnus permanauit. Porrò ſubſtan-
tia ſoluta & exempta, ambuſtæ & len-
tæ admodum cuti perſimilis erat, dua-
rum ſtipularum craſsitie, digiti tranſ-
uerſi latitudine, lapidoſam eam mate-
riam ambiens, qua vrina exitum ha-
buerat: quæ quidem tophos, qui in
thermis congelantur, ferè ſuperabat
firmitate, colore cinereo, tactu aſpe-
ra vt è groſsis arenulis conglutinata.
Sic igitur ampliato meatu, & purgata
veſica liberataq́; à reliquis ſordibus,
calculis, viſcoſitate, ſanie, & alijs quæ
de globo bombardico, lotij acrimo-
nia conſumpto ſupererant, & orifi-
cium veſicæ obſtruxerant, vulnus ſa-
nari

Digitized by Google

nari ritè (Deo auxiliante) cœpit: idq́;
tam breui tempore penitus adeò coa
luit, vt nec ambulanti, nec equitanti,
nec curru vecto, impedimento mo-
leſtiæúe eſſet. Poſt hæc vxorem du-
xit nobilis, & in hunc vſq; diem vale-
tudine eſt commoda & firma.

CALCVLI IN EXTREMI-
tatibus digitorum.

XII.



A.
Calculi Rochlicenſis.
B.
Calculi Trebinenſis.

ROchlicij, quod Miſenæ oppidũ
eſt, ciuis quidam habitauit ho-

neſtus & pius: qui ibidem ſeptuagenarius vitam finiuit, magnis doloribus confectus. nomen illi Iohannes, cognomen Oberndorffero fuit. Totos enim annos viginti dolore artuũ miſerè cruciatus fuit, req; impari, vnà cum ætate nimirum morboq; augeſcente: nec continuo, ſed per interualla redeunte. Morbus, vt ſolet, pedes primùm, inde manus brachiaq;, tandem humeros quoque & ſpinã dorſi occupauit, donec progreſſu temporis omnes corporis artus inuaſit, quos ſi quando vna vice furẽter perrepſerat omnes, quod ætate prouecto ſæpe eueniebat, in digitorum, pedum manuumq; extremitates deuolutus deſinebat, vbi dolor conquieſcebat paululum. Tum enim puſtulæ ijs locis ſurgebant, primum glaucæ, deinde maturato pure flauæ: quæ ruptæ aut acu ictæ magis etiam dolebant ante afflicto, quàm vbi impunctæ relinquebantur. Sic igitur ſtantibus

tibus tuberculis, materia intus ardo-re exiccata vſtulataq́ꝫ nouaculis ſuc-creſcebat: cui præciſe vomicę iſtę, do-lore iam intus ſedato, lapillos in ſe continebant duriuſculos, colore ci-nereo nigriores: grano piperis pau-cos maiores: minores, plurimos.

Trebinæ in Marchia, alius etiam domicilium habet Iohannes Schu-neman, ætate quidem grauis, ſed cor-pore adhuc firmo & obeſo, qui ar-thritide ſimiliter valde infeſtatur an-niuerſaria. Quoties verò cruciatus, omnes corporis articulos permea-runt, in vtriuſque pedis pollice vomi-cæ enaſcuntur, iuglandibus non mi-nores, ſed doloris ardentiſsimi: quo mitigato conflacceſcunt rurſum, ſa-nie intus areſcente. Vbi igitur puſtu-larum doloribus iam leuatum ſe ſen-tit, incidi eas patitur: tum calculi e-ruuntur ſubrubri, piſorum aut faba-rum etiam magnitudinem habentes, & tuberoſi, quibus ſemel liberatus

nouos timet ardores, donec tandem interimant quod ſæpe ex animo optat & expetit.

Sic igitur habes, omnium dilectiſsime Geſnere, duodena genera calculorum mihi quidem cognitorum, qui intra hominum viſcera, & in extremis corporis membris reperiuntur. Etſi verò, quæ tua eſt excellens eruditio, harum rerum longè peritior es, quàm meæ deſcriptiones conſequi poſſunt, tamen vehementer oro, eo animo accipere haſce parum quidem eruditas, ſed bono ſtudio collectas obſeruationes velis, quo ego eas ad te mitto, indeq; propenſam meam erga te voluntatem expoſitumque animum animaduertere. Aeternus Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui te committo, ſuperſtitem in multa prouehat ſecula propter filium mediatorem, & Spiritu ſancto ſuo vegetet & corroboret: faciatque vt labores tui acres & indefeſsi, vt hactenus extiterunt, deinceps quoque vtiles & ſalutares ſint Eccleſiæ, Rebus

bus publicis, tibique, tuisque. Vale vir eximie, meque (vt cœpiſti) amare perge. Datæ Torgæ, vigeſimoprimo Aprilis, eo die quo (Anno 1 5 1 8.) Dreſdæ natus ſum, Anno Milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo quarto.

Libelli De calculis in corpore humano, finis.

Digitized by Google

DE METALLICIS REBVS AC NOMINIBVS OBSERVATIONES VARIAE & eruditæ, ex ſchedis Georgij Fabricij: quibus ea potiſsimùm explicantur, quæ Georgius Agricola præterijt.



TIGVRI M.D.LXV.

Digitized by Google

GEORGII FABRICII Obſeruationum Metallicarum libri capita.

I.	Aurum.
II.	Argentum.
III.	Argentum viuum.
IIII.	Aes.
V.	Plumbum candidum.
VI.	Plumbum cinereum.
VII.	Plumbum nigrum.
VIII.	Ferrum.
IX.	Stibi.
X.	Sterile nitidum.
XI.	Pyrites.

Digitized by Google

D. IOHANNI KENTMANO MEDICO Torgano, viro ornatiſsimo, Iacobus Fabricius Chemnicenſis, S.

QVO plura de tuo rerum Metallicarũ theſauro audiueram, eò cupidius te nuper Torgæ conueni, maioreq́; illum cum delectatione ſum contemplatus. Et eſt ſanè Dei conditoris beneficium ingens, dignaq́; admiratione conſideratio, tantam rerum pulcherrimarum copiam & varietatem in terra generari, atque inde ad hominum non ſolùm voluptatem, ſed etiam vtilitatem erui. Itaq; vt maximopere tum afficiebar tui theſauri inſpectione, ita nunc mirificè mihi placuit index numeroſiſsimus, quem ex rebus ipſis præſentibus collegiſti. ſtudium enim tuum in primis magnũ apparet, qui quaſi Bœotiam Homericam explicaſti, in harum colligendarum luſtratione, & recenſendarum ordine. Sed cùm nullus ſit exercitus tantus, qui acceſsio-

ne augeri nequeat, è Georgij fratris agello quaſdam collectas copias ad te adduco: vt ſi inſtructæ atque vtiles tibi videantur, tuis coniungas, & vnà in montes Heluetios ad principem militiæ philoſophicæ Conradum Geſnerum dimittas. Tametſi enim Georgius Agricola primam & præcipuam laudem in hoc genere eſt ante alios omnes adeptus, qui pro ſua facultate, & vi ingenij excellente, tot inſtrumentis adhibitis, tot cuniculis actis, tot machinis admotis, in arcem rei Metallicæ inuaſit: tamen in hoc naturæ latiſsimè patentis campo, ſemper noui theſauri nouis exploratoribus aperiuntur, quod per hunc ipſum proditur indicem tuum: qui vt non temerè congeſtus eſt, de rebus vel ignotis vel obſcuris: ita multorum cognitionē iuuabit: ſed maius certè excitabit deſiderium, res tam varias & precioſas è locis diuerſis in vnam bibliothecam digeſtas, apud alios legendi, apud te ſimul inſpiciendi. Agricola igitur philoſophis credo ſatisfecit: ſed tu poſſes etiam oculos illorum paſcere. Hæ autem, quæ nunc à me ſummittuntur copiolæ, ad philologos maximè per-

pertinet, atq;, vt puto, cùm ad intelligendum, tum ad inquirendum ſimilia proderunt ſtudioſis proprietatis, hiſtoriæ, varietatis: tametſi nonnulla etiam afferuntur, quorum cauſas inuenire atque exponere eſt peritiorum. Quicquid de his aut ipſe ſtatues pro tuo iudicio, aut delectu habito Geſnerus pronunciabit, à Georgio minimè repræhēdetur: qui hæc in magnis occupationibus ſuis, non ex profeſſo, ſed quaſi aliud agens, in chartas coniecerat, ijs præſertim annotatis, quæ præterierat Agricola. Eas chartas ego colligens, ad te mittendas exiſtimaui, quia aliquarum in tuo indice rerum habent expoſitiones. Vale. Miſenæ Hermundurorum, die ſolſtitij brumalis. M. D. LXVI.

Digitized by Google

I AVRVM

AVrum, contra ſententiam Flacci & Pompeij à ſplendore nomen accepit. aura enim veteri verbo ſplendor eſt. Vnde Virgilius in 6.

— — *Auri per ramos aura refulſit.*

Et Horatius in Odis eâdem metaphora auram pro decore poſuit,

— — *Tua ne retardet*
Aura maritos.

Afferunt alij alias quoque etymologias: ſed hanc vt rei conuenientem & maximè propinquam amplectimur. Medici morbo ictero ſeu arquato laborantes, ab ipſorũ cutis colore, quę flaua luridaq; eſt, ex aureo genere τοῦ χρυσοῦ γένους eſſe dicunt. Vnde nonnulli auriginem formant, vt æruginem. Color autem auri fuluus, num ſit ex terra admiſta, an ex ſucco, quàm argenti magis excocto, id philoſophis exquirendum relinquo. Interpres Pin-

Digitized by Google

Pindari & Chymiſtæ aurum dicatum eſſe ferunt Soli. Aurum, quod ſtatim ſuum eſt, & quod obryzũ nominant, aut effoditur è terra, aut lauatur in riuulis. E terra quod effoditur, aut ſincerum eſt & ſolidum: aut ſcintillis lucentibus tinctum atq; imbutum, vt quod adhæret lapidi cæruleo in mõte Carpatho: item lapidi fiſsili. Reperitur autem in propria vena, & in ſaxis ſplendore candidis: item in pyrite proprio: aliquoties in pyrite ferri. In Hyrcania glebas maximas auro micãtes reperiri ait Marcellinus, lib.23. & in Galicia frequenter glebas aureas aratro excindi teſtatur Iuſtinus lib.44. quinetiam aurum terra fulgure proſciſſa detegi, ſcribit idem. In inſulis nunc Moluccis in arenis colligitur: cuius auri maſſas orbiculares tres, Georgio Saxonum duci Carolus V. dono miſit. In montibus Gilouenſibus Boëmiæ auulſam de ſilice auri maſſam pondo duodecim, & ad regem

Digitized by Google

Vinciſlaum delatam, ait Dubrauius Olomucenſis. Menander aurũ è Cilicia celebrauit: & hoſpes Cilix aureos montes pollicitus apud Terentium fuit. Arua Phœnicum aurifera ſcribit Silius. Aurum argentoſum nominatur, quod argenti colorẽ habet, quod reperitur in citeriore Pannonia, modò in pyrite ferri, modò in ſaxo proprio.

In riuulis quod lauatur, aut omnino purum eſt, quale in ſaltu Schellenbergiano vno à Chemnicio miliario inuentum fuit: aut è lapillis nigris excoquitur, idq́; modò ſcintillis, modò bracteolis micat. In Luſmicio riuo Boëmiæ grana & maſſulas auri ciceris magnitudine puras repertas, quæ nulla eguerint excoctione, teſtatur Aeneas Syluius. Claudianus contra Eutropium quatuor enumerat aurifera flumina, in quibus ſe Midas rex Phrygiæ lauerit: Sangarium, vt ipſe ait, è Dindymis fluentem, vt Liuius, è

monte

Digitized by Google

monte Adoreo; Gallum, Marſyam, Mæandrum. Vult autem ſignificare, eos fluuios auri ramenta deferre. Aurum Callaicũ celebrat Martialis, Dalmaticum Silius, à Beſsis accolis foſſum diuus Paulinus, Colophonium Ariſtophanes in Cocalo. Indicũ Sophocles in Antigona: Lydium Phrygiumq́; Euripides in Bacchis. Sophoclis interpres Indicum vocat ἤλεκτρον, διὰ τὸ καθαρόν: ſed aliud eſt electrum, aliud aurum obryzum. Indi ſuos metallicos, μύρμηκας appellàrunt: vnde fabulis locus datus eſt mirificis: his etiam alas affinxerũt propter aſsiduitatem laborum: & raptu fuiſſe eo potiendum narrant, quia non foderunt ſine magno precio. E Lydia pulſi metallici, venas auri in Thracia ad fluuiũ Strymonem foderunt.

E foſsili hodie optimum eſt in Europa, Pannonicum: ex eo, quod lauatur, Rhenanum. In Hiſpania tres aurum ferentes amnes, locis diuerſis no

minat Silius, Durium, Tagam, Cordubam: quibus addit Minium è recẽtioribus Ant. Nebriſſenſis. Tarnim Galliæ memorat Auſonius.

Memorabile in primis eſt, quod narrat Alexander Neapolitanus in libro 4. Dierum genialium: Certis & fide dignis authoribus ſe comperiſſe, in citeriore Germania intra Danubiũ vites exiſtere, quæ clauiculos & plerunq; candicantia folia ex puro auro germinẽt, quæ regibus & ſummis ducibus dono ſint data. Cauſam addit, cùm ibi aurifodinę ſint, ſubtus coaleſcere in radicibus aurum, & vnà ingenitum & condenſatum occulta vi & origine, dum germina emittũt vites, mirabili naturæ cõſtituto, aut decreto ſtellarum, aurum ſimul erumpere. hæc eius & ſentẽtia & verba ſunt. Quod ex naturali cauſa ſumptum, fabula inuoluit poëta doctiſsimus, qui de aureo Virgulto in luco Cumano ſcribit,

Diſco-

Diſcolor vnde auri per ramos aura refulſit.

Et addit,

——Primo auulſu non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

Qua quidem re oſtendit, feracem fuiſſe terram illius metalli. Creuiſſe id aurum in arbore, poëticum eſt: per quam arborem copia ſignificatur. Sacrum fuiſſe Proſerpinæ, mythologicum eſt: quia ſub terris, aut certè (vt Plinius ait) in ſummo ceſpite, metalla inueniuntur. Aries auratus Aeætę regis Colchorum poëtis notus eſt: item aries Pelopidarum, de quo Tragicus,

—— nobile in ſtabulis pecus
Arcanus aries, ductor opulenti gregis
Huius per omne corpus effuſo coma
Dependet auro, cuius è tergo noui
Aurata reges ſceptra Tantalici gerunt.

Aurum Toloſanum, quod in eius vrbis incendio confluxit, locum prouerbio reliquit in eos, quibus infeliciter ſua rapina cedit. Aurum nunc

Digitized by Google

effoditur Engelsbergi, non procul à Reinſteino, cuius lapis ochram interdum annexam habet. Lapides, qui in ſe aurum continere feruntur, apud nos ſunt, ſchiſtos & granati: ſchiſtos copioſus in venis aliquot reperitur Annebergi & Zeblicij: granati & effodiuntur, & lauantur in agro Zebliciano. Pantarben lapidem aurum ad ſe allicere, vt magnes ferrum allicit, traditum memoriæ eſt à Philoſtrato & Zeze: aurum ipſum oſſa tibiæ accipitris attrahere, ab Aeliano. Lauatur etiam arena: eaq; modò eſt colore nigra, vt quæ prope Sclacheuerdam reperitur, modò pyriti ſimilis. Si auro liqueſcenti gallinarum miſceātur oſſa, id in ſe conſumunt, ait Bruſonius.

Aureis compedibus vincti Darius, Cyrus Artaxerxis frater, Agrippa, Baiazethes. Auro cætera inducuntur metalla, vt argētum & æs: item lignea ſtatuæ deorum: item turrium & domorū tecta, vt Venetijs & Oeniponte.

Incru

Incruſtati auro fuerũt tabulata & parietes & ciſtę tẽporibus Solomonis. Aureis poculis è philoſophis vſus eſt Arceſilas: aurea corona Pythagoras. Libros literis aureis ſcriptos, templis donarunt Arnulphus imperator Ratisbonenſis: Carolus Magnus Aquiſgranio: Otto Magnus Magdeburgico. Templo Mersburgico aram auream, & thecam gemmis ornatam donauit Henricus II. imperator, vt ſcribit Dïtmarus. Aureæ tabulæ altariũ Conſtantinopoli & Romæ fuerunt, & adhuc ſunt Aquiſgrani: auro inductæ, Ratisbonæ viſuntur: & in ſepulchro D. Elizabethæ Marpurgi. Aurũ exitio fuit Sicheo & Amphiarao: pœnę, Craſſo & Midæ. Romanum imperiũ auro vendidit C. Curio, auro vendibile eſſe prædixit rex Iugurtha. Vſum auri eſſe in medicinis, non ignorant eruditi. Oſiander theologus auream cathenam collo geſtauit, ne lepra inficeretur. Aurum in mare pro-

iecit Thales: in deſertis locis eo ſe exonerauit Ariſtippus: è ſua vrbe Plato id exegit legibus: tangere niſi in ſacris noluerunt monachi Franciſcani. A forma huius metalli, quicquid Græci volunt pulchrum haberi, id aureum dicunt, vt ait Homeri interpres. Vnde à pulchritudine Venus aurea: ab eiuſdem præſtantia χρυσέα ὑγίεια Pindaro: aurea mediocritas Horatio. Luna item ab aureo curru, χρυσάρματος eidem Pindaro: & Amphitrite ab aureo colo χρυσηλάκατος: & Bacchus ab ornaméto capitis à Sophocle χρυσομίτρας. Iouem ninxiſſe auro in regiam Acriſij: eſt apud Pindarum & Terẽtium. Noſtri homines vulgò loquũtur, Artem quamuis ſolum ſeu fundamentum habere auri: quia nemo eget, qui eã exercere nouit, atq; vult exercere. Aurea ſecula ſub Saturno fuiſſe, conſtanter poëtæ ſcribunt. Eloquẽtiam χρυσοῦν γάλα, hoc eſt, lac aureum vocat Nicephorus. Aurea vrna Traiani imperatoris

toris oſſa condita ſupra columnā co-
chlidem, tradit Eutropius. Aurea lo-
rica indutus in Nilo perijt vnus è Pto
lemæis. Nauem auream fecit Cleopa-
tra, retibus aureis piſcatus eſt Nero.
In Antiochi Soteris exercitu tantùm
auri fuit, vt vel gregarij milites caligas
auro fingerēt, & (vt Iuſtinus ait) pro-
culcarent materiam. Brutus aurū ba-
culo incluſit, Hannibal infudit ſtatu-
is: ille vt tegeret ſuam ſapientiam, hic
vt cælaret cupiditatem. Aquilam au-
ream ſtatuit in veſtibulo templi Hie-
roſolymitani Herodes: ſibi præferri
mandauit Clearchus tyrannus. Au-
reos lectos Orodes Parthus habuit,
currum aureum Seſoſtris Aegyptius,
à quatuor regibus captiuis tractum.
Aurum eſſe ſanguinem hominis Græ
cus ſcripſit Comicus: animam homi-
nis alteram, teſtatur quidam Iurecon
ſultus. Aurum rerum omnium vali-
diſsimum, nam, vt Diphilus,

Τὰ πάντα τούτῳ τέμνεται καὶ πράττεται.

Digitized by Google

Et Horatius canit,

Perrumpere amat ſaxa, potentiùs
Ictu fulmineo.

Inuehuntur in cupiditatem aurum fo-
dientium, Ouidius 1. Metam.

—— Sed itum eſt in viſcera terræ:
Quasq; recondiderat Stygijsq; admouerat
vmbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Item Horatius 3. Carm.

Aurum irrepertum, & ſic melius ſitum
Cùm terra celat.

Metallicos Philippenſes in Thracia
laudat diuus Paulus apoſtolus: & au-
ri legulos (ita enim vocat) ad Danu-
biũ in Dacia, Paulinus Nolę epiſcopus.

Aurum obryzum. Fein Goldt.
Foſsile purum. Gedigen Goldt.
Argentoſum. Weiß Goldt.

Auri grana. Goldtkörner.
gleba. Goldtſteuflein.
ramenta. Goldtzehen.
ſcintillæ lucentes. Angeq
ſchweiſſt Goldt.

Auri

Auri arena. Goldtgemülle/od' Goldt-ſchliche.

II.

ARGENTVM.

ARgentum nomen formatum habet ex Græco ἀργύρειον, quod ipſi deducunt, ἀπὸ τοῦ ἀργοῦ, quòd excellentiſsimus eius color ſit candidus, quemadmodum auri eſt fuluus. Hoc dicatum volunt Lunæ. Quod ignem non expertum & ſtatim ſuum eſt, purum putum, Gellius: merum & omni parte verũ, Pompeius appellat: quod verò excoctum purgatumq́ eſt, id puſtulatum Martialis: qui etiam phialã de eiuſmodi argento factã, puſtulam felicem. Argentum autem vel effoditur, vt plerunq; : vel in fluminibus reperitur, ſed rariſsimè: nec apud nos inuentum conſtat. Flumina tamen, in quibus inueniatur in India, à Plinio memorantur Ganges & Cophos. Poëtæ fluuios Peneum, Eridanum, Ery-

manthum, Acheloum, alios, ἀργυροδί-
νας nominant, à colore puro & illimi.
Ex arenis lauari atq; excoqui mini-
mè dubium eſt, præſertim eorum flu-
uiorum, qui terras metallicas pręter-
fluunt. Nullum metallum coloribus
magis varium, vt in eo artificiũ quod-
dam naturę mirabile appareat. Color
autem eius quidam tranſlucidus eſt,
vt argenti rudis rubri, & argenti rudis
iecoris colore: illud rubino gemmæ
ſimile, hoc lucem corneam habet, &
eſt propemodum ſimile ſardæ. Qui-
dam translucidus non eſt, vt albi, ni-
gri, lutei, cinerei, purpurei, viridis, plũ-
bei coloris. Rariores autem colores
ſunt, iecoris, quod olim Fribergi, nũc
Mariebergi tantùm effoſſum eſt in di-
menſo tertio & vigeſimo diuæ Eliſa-
bethæ. rariſsimus viridis, quale effoſ-
ſum Annebergi, in vena illa diuite &
copioſa exercitus cœleſtis. Non igi-
tur (vt Horatius poëta canit)

Nullus argento color eſt.

Rude

Rude autem quod eſt, etiam non excoctum, malleo tamen interdum tractatur & ſignatur: vt argentum rude plūbei coloris, ex cuius maſſa pura opus excellens fecit, Chriſti reſurrectionem ex vna parte, ex altera victoriam Caroli V. de Gallorum rege, inſignis artifex Caſpar Vlricus, ciuis Ioachimicus. De eodem argento annulum mihi donauit vir honeſtus Dauid Huterus, meus olim diſcipulus. Ibidem argentum iecoris colore, ſignatum in noſtro corpore metallico appâret. Hoc autem plumbea mollities eſt, & adeò ſuum lentumq́, vt ad candelam adhibitum liqueat: ſubitò autem impoſitum igni, exilit: coctum lentè, non ſecus ac plumbū fluit: infuſum in gypſum, propter ſubtilitatem ſpirituum, omne cōſumitur. Eius particulæ tenuiores, vt cornu: tenuiſſimæ, vt glacies, pellucent.

Naſcitur argentum varijs formis, modò filorum more quaſi conglo-

Digitized by Google

batum; modò capillorum, quaſi contortum; modò ramorum, idq́ue variè, elatum, flexum, expanſum, furcatum, teſſellatum, turbinatum, acuminatũ, angulis tribus, quatuor, quinque, pluribus. Interdum ſolidum eſt in vena; de qua magnæ maſſæ minoresq́ue decutiuntur: interdum cum ſaxo coniunctum, aut cum fluoribus, aut cum pyrite; interdum adhærés tantùm, veluti bractea: interdum omnino ſeparatum; præſertim id, quod filorum more conglobatur, aut capillorum denſatur: quale nos aliquoties in lapide plumbario quaſi cauernulis impoſitum vidimus.

Argenti ex parte feracia ſunt alia quoque metalla; à quibus ſeparari ſolet: qualia ſunt, æs, plumbũ, biſemutum: item alia quædam foſsilia, vt pyrites & cobaltum: vt ſaxa, marmora, lapides, & lapis fiſsilis: tũ ille, ex quo æs excoquitur, vt Islebianus: tum ille, quo propriè argentum, vt Abertha-

mius.

Digitized by Google

mius.item ſucci concreti, vt cœruleũ Gishubelianum. Nullius autẽ metalli, & formis, & coloribus, & figura tanta eſt varietas: ſplendorem certè tranſlucidum ſolùm habet; & in eo natum, quaſi lucem in tenebris meditatur, & quaſi rudimenta fabricatur ſtellarum in ima terræ profunditate. In Germania nulla regio huius metalli copia vicit Miſenam, in qua maxima è metallis oppida condita ſunt in radicibus Sudetarum montium: Fribergum, ſub Ottone Marchione, Glaſhuta ſub Friderico II. electore, Snebergum ſub Erneſto electore, Annebergum & Mariebergum ſub Georgio & Henrico ducibus fratribus; Gotesgabium ſub Iohanne Friderico electore: è quibus alia itẽ oppidula quaſi coloniæ deductæ ſunt: eaq́ in hunc diem florent omnia. Nummorum ex argento factorum nomina, vt à minimis incipiam, ſunt ſembella, libella, ſeſtertius, quinarius ſeu victoria-

Digitized by Google

tus, denarius. Opera ex puro argento facta, vt paſsionis Chriſti hiſtoria, & duodecim Herculis labores, delata ſunt ad regem Ferdinandum, è duobus potiſsimùm generibus, argenti rudis plumbei coloris, & argenti rudis rubri translucidi. Talia exteris etiam oſtendit è metallis à patre ditatus Iſraël Mincelius in Trebocis vir honoratus. Lecticam pedibus argēteis habuit Xerxes Perſa, vt ſcribit Harpocration: ſellam Teribazus Armenius, vt Xenophon. In aula Alberti Cardinalis Moguntini, omnia, quibus menſa inſtruebatur, vaſa ex argento fuêre, etiam ſportæ & caniſtra: in aula Soteris Antiochi etiā inſtrumenta culinaria: in Domitiani imperatoris, quibus onera naturæ exciperet. De Hetruſci ciuis Romani thermis, canit in Syluis Statius,

— — Argento felix propellitur vnda,
Argentoq; cadit.

Scuta habuiſſe argento cęlata Iberos

ros, tradidit Varro περὶ τύχης. itẽ Parthos ex puro argento, vt tradiderunt alij. Militàrunt ἀργυράσπιδες Solomoni Hebræo, Alexandro Macedoni, Soteri Syro, Seuero Romano. Plinius ad Traianum ſcribit, ſe ei glebulam è metallo Parthico mittere: ſed nec materiam, nec locum exprimit: puram autem fuiſſe conijcimus, quia ad imperatorem munus mittitur. Vena argentea Cl. Marcelli cineres Hannibal condidit: loculo argenteo cæſus à Parthis Antiochus Sedetes, domum remiſſus eſt. Pſeudargyrum quod naſci in Tmolo monte ſcribũt, quale ſit, non explicant: eſſe autem ex nitidis ſterilibus (de quibus infrà dicetur) ſuſpicari poſſumus. Eſt quod ἀργύρειον θεατρικόν appellant, quod in laminas ductum in theatris ſuſpendebatur, idq́ Latinis proprio nomine Extar, vt author eſt Chariſius. Poëtæ ab hoc metallo ſumpſerunt epitheta, vt ἀργυρότοξος Apollo, ἀργυρόπεζα

Thetis apud Homerum. Quicquid autem leuore & candore fuit conſpicuum, id argenteum Latinis.

Volitauit ſecundũ Ennium argenteus anſer Romę in Capitolio. Ἀργυρέη λιμὸς, fames argentea dicitur, cum in conuiuijs plus eſt apparatus, quàm cibi: ſplendoris, quàm obſoniorum. Ἀργυρέαι κρῆναι, fontes argentei dicuntur loqui, cùm potentes verba faciũt, & ſibi contradici aut obſtari non patiuntur. Ἀργυρέαι λόγχαι, argenteæ haſtæ, quæ omnia hoſtium caſtra tranſeunt & tranſigunt. Apud nos, Artes dicuntur argenteum habere manubrium; quia quemuis peritum alere & ſuſtẽtare poſſunt. Ἀργυροῦν φρέαρ ab Athenæo, dicitur ingens & profundum poculum argẽteum: è quo quaſi fonte hauriretur: cuiuſmodi erant, Elephas, Labronius, Condy.

Aetas argentea Iouis, virorum heroicorum fuit ab Heſiodo & Arato celebrata.

Ar-

Argentū:

- Rude. / Purum. / Suum. — Gedigē ſilberertz
- Album. Weiß / oder friſch ſilberertz.
- Plūbei coloris. Glaßertz.
- Rubrum. Roth gulden ertz.
- Rubrum tranſlucidum. Durchſichtig rothgulden.
- Nigrum. Schwartz ertz.
- Cinereum. Graw ertz.
- Purpureum. Braun ertz.
- Luteum. Gelb ertz.
- Iecoris colore. Läberfarben ertz.
- Viride. Grün ertz.
- Cornei coloris trāſlucidū
- More capillorum natum. Härichtſilber.
- Ramoſum. Zehen ſilber.
- Cum maſsis quadrāgulis. Mit viereckichten wackē.
- Lapidi adhærens. Angeſprengt ſilber.

Digitized by Google

III. ARGENtum viuum.

ARgentum viuum, quia aquæ inſtar fluidum liquidumq́; eſt, à Græcis ὑδράργυρος, & ἄργυρος χυτός. nec eſt aliqua inter hæc nomina rerũ diſtinctio. Quia autem de cęteris metallis detrahit, ex eo natum prouerbium, Hydrargyro furacior. Hoc aut natiuum eſt, quod purum ſincerúmque: idq́; & in venis proprijs, & interdum in ſchiſti vena, quod nos vidimus, reperitur: aut eſt facticiũ, quod è minio fit. Minium autẽ & ſchiſtos, parẽs huius metalli putatur. Minium ipſum interdum in lapide fiſsili cinereo conſpicitur, bractearum more: interdum in lapide metallico candidiſſimo, quale eſt Hartenſteini. Inuenitur etiam purum colore atq; ſpecie, nihil differẽs ab argento rudi rubro, interdum etiam iecoris colore. Hoc ſolum metallum in Miſnia non fodi-

tur,

tur, aut certè tanta copia non fodi-
tur, vt operæprecium ſit. quanquam
ſchiſti venæ, natiuo non planè careãt.
A minio Hiſpaniæ fluuius Minius ap-
pellatus. Minij certè nulla terra fera-
cior Hiſpania, teſte Trogo & Plinio.
Minio corpora tinxerunt Maxyes in
Africa, & Aethiopes: facies item ruſti
ci in Latio ſacra Bacchi celebrantes.
Minio tinctę fuerunt deorum ſtatuæ;
Panis, vt apud Virgilium; Iouis, vt a-
pud Plinium; Bacchi, vt apud Pauſa-
niam. Cera & minio, vel (quod idem
eſt) cera miniatula antiqui epiſtolas
notabant, vt ex Cicerone ad Atticum
colligitur. Miniatulæ quoq; fuerũt
notæ librorum, quas paragraphos, co
ronides, & aſteriſcos ⁊ 3 ※ ſuis
nominibus appellarunt poëtarum in
terpretes: vt in antiquo Pindari exem
plari animaduertimus, quod vir cla-
riſsimus Lazarus Bonamicus Patauij
mihi oſtendit: & quod nunc imitatus
eſt regius typographus Pariſienſis, Ru

bricæ etiam Iureconſultorũ inde nomen acceperunt, quarum Perſius & Prudentius faciunt mentionem.

IIII. AES.

AEs, quod Græci χαλκὸν, & Romani à nobilibus venis Cypri, Cuprum appellant, Veneri dicatum teſte Pindari interprete: fuit etiã deus Aeſculanus ab ære dictus: & porta Aeſculana Romæ, quam & Rauduſculanam nominant. Hoc metallũ rarò purum inuenitur: inuenitur tamen cùm in venis proprijs, tum etiam in argentarijs & plumbarijs: in his tamẽ copioſius, vt Fribergi videmus. Coloribus maximè varium eſt, rubet, viret, purpurat, flaueſcit, candet: aut ſimul omnes hos colores complectitur: & in vena propria, qualem maſſulam donaui medico excellentiſsimo Matthiolo: & venæ plumbariæ innata, qualem dedi amico veteri Iohanni Kent-

Kentmano. Quod cum pyrite naſcitur, cætero ſolet eſſe colore præſtantius: quod cum lapide fiſsili, aut lapidis colorem nigrum imitatur, aut coloris aurei eſt: quod cum plumbagine, pleruncꝫ colores multiplices habet. Licebit etiam χαλκὸν θεατρικὸν appellare illud, quod Latini veteres Lucar: id enim in bracteas laminasqꝫ dilatatũ olim in theatris, hodie adhuc in templis Italicis ſuſpenditur. Prima moneta ærea fuit, vnde & ærarium apud Romanos nominatum. fuerunt æenea inſtrumenta, & omnia armorũ genera, vt apud Virgilium, galeæ, thoraces, loricæ, enſes, ſecures, peltæ, clypei, tubæ, cornua. Roſtratæ etiam naues χαλκέμβολοι & χαλκήρεις de eadem cauſa Græcis dictæ. Effoſsi in Hercynijs ſunt thoraces & gladij ænei, eo in campo, qui ab alendis nomen habuit: in quo Lotharius elector Saxoniæ congreſſus prælio eſt cum Henrico V, imperatore: item cultri, frameæ,

Digitized by Google

calcaria ænea effodiuntur in inferiore Luſatia: armillę & monilia ænea inaurata Beichlingi in Thuringia, è regione arcis, qua orientē ſpectat. Nam Henricus IIII. imperator Beichlingū expugnauit propter Dodonem Thuringiæ & Miſniæ marchionem, qui in eam confugerat. Vnde veteres Saxones armis æneis pugnaſſe veriſimile eſt: Romanos tēpore Henrici II. quē Sanctum cognominant, certum, ex Ditmari præſulis Mersburgici libro quinto. Conſtat autem è ſcriptis antiquorum, Perſas, Pœnos, Hiſpanos, Græcos vſos armis æneis. Aeneis calceorum ſoleis vſus item Empedocles eſt, vt ſcribit Laërtius. Fuerunt olim tota templa ænea, vt Mineruæ inter Tænarum promontorium, & vrbem Lacedæmoniorum, cuius Aemylius & Liuius meminerunt, quod cognomento χαλκίοικον fuit appellatum. Romæ ænea ædicula fuit Concordiæ, in Græcoſtaſi, de qua Plinius: æneum ſacellum

Digitized by Google

cellum Iani Gemini, de quo Procopius: æneus coloſſus Neronis; Dyrrhachij autem Hadriani. Hodie ibidem ſtatuę ex ęre ſunt in Capitolio Herculis, duorum iuuenum, Satyri, Lupæ altricis: ænea ſepulchra duorum pontificum, Martini V. in monte Cælio, Sixti IIII. in Vaticano, opus Antonij Pullarij Florentini. Regum Anglicorum Vveſtmonaſterij ad Tameſim fluuiũ aliquot ſepulchra ænea ſunt: ſed omnium maximum & ſplendidiſsimum Henrici VII. Sami in templo Iunonis Bathylli ſtatua ænea fuit, cuius in Satyra mẽtio apud Iuuenalem, & Apuleium in Floridis, qui ait ſe nihil vidiſſe ea perfectius. Socratis ſtatua Athenis, item Aſtydamantis. Fuerunt apud veteres ænea vaſa, σκάφια dicta, quæ (vt Martianus ait) horarum ductus, ſtili in medio fundo ſiti proceritate, diſcriminarent. Vaſa præterea domeſtica omnis generis fuiſſe ænea, & nunc multis in locis eſſe notum eſt.

Templa & turres laminis æneis tecta in Miſena multis in oppidis cernere eſt. Aquiſgrani in baſilica ex ære ſolido ianuas cancelloſq; fecit Carolus Magnus, vt Eginhardus ſcribit, & res hodie teſtatur. Argentorati ad D. Mariæ, biforesianuæ ſunt altiſsimæ, qua parte turris eſt illa excelſa. In Atabyrio Rhodi promontorio erant æneę boues, αἵτινες, ὅταν μέλλει ἄτοπόν τι γενέσθαι, μυκῶνται, vt ait Scholiaſtes Pindari. In Thuringia à familia nobili Dutgerodia, idolum quoddam æneū aſſeruatur, in fundamētis arcis Rotenbergiæ, quæ deſerta nunc iacet, inuentum in ſacello ſubterraneo: idolū appellant Puſtericium, ſtatura pueri formatum: quod manum dextram auriculæ dextræ, ſiniſtrā genu ſiniſtro appoſitam habuit. Intus cauum eſt: & aqua repletum, atq; igne circundatū, cum ingenti ſonitu aquam illam in aſtantes inſtar flammarum euomit. In Milda Rhetiæ pago, è regione Oenipontis,

pontis, æneæ ſtatuæ antiquæ & recentes ducum Auſtriacorum ſunt plurimæ, partim ſtatura puerili, partim virili. Erant æneæ falces, quarum vſus in ſacris magicis fuit, vt in Aeneide Virgilius, in Rhizotomis tradidit Sophocles. Thuſcos vomerem æneum adhibere ſolitos in deſignandis condendisq́ue vrbibus, ſcripſit Carminius lib. II. de Italia. Apud Sabinos ex ęre cultros, quibus ſacerdotes tonderentur, fuiſſe, ſcribit Macrobius.

Vaſa etiam illa, quæ authepſæ Ciceroni, in quibus vel carnes factæ frigidæ recaleſierent, vel faciliùs elixarentur, ex ære fuiſſe opinio eſt. Aenea fuerũt labra, quibus fontanæ exciperentur aquæ in cœnobijs, quale maximum nunc eſt Vvalckenritti in Hercynijs, & Cella veteri in Miſenis.

Globus æneus, & peluis ænea Ariſtotelis propter vigilias ipſius nocturnas celebrantur. Aenei nummi appellabantur ſemis, as, & libra. In æs

Digitized by Google

inciſæ olim fuerunt leges duodecim tabularum, quas Pomponius Iurecó-ſultus non rectè ſcripſit fuiſſe eburneas. Tinctura æris duplex eſt: aut enim tingitur cadmia, & auri coloré refert: aut magnetide, & coloris fit argentei. Vtraq; tinctura in vſu eſt, & nota veteribus fuit. Qui ære vulnerantur, faciliùs curantur, quàm qui ferro: qui metalla æraria fodiũt, vt eſt apud Macrobium, ſemper oculorum ſanitate pollent: & quibus antè palpebræ nudatæ fuerant, illic conueſtiuntur. Probat etiam Dioſcorides, vt ad medicamenta oculorum vaſa ænea adhibeantur. Diſtinguendum eſt apud medicos inter ſquamam æris, & florem. Squamæ exiliunt, cùm æs ferro tractatur: flos verò è candente ære, cũ apertis fornacibus in catinum effluit, tactu aëris exilit cum ſtrepitu, qui ferreis inſtrumentis excipi colligiq; ſolet. Flos ita ſubtilis eſt, vt interdum granulis minutis, interdũ pulueri ſit ſimi-

ſimilis, quem etiam metallici nomini bus diſtinguunt. granula nominant Kupfferkörnlein: id verò, quod puluerì ſimile eſt, Kupfferſtaub/oder kupfferbraun. ſquamas autem, Kupfferſchlag. Tinctura vitri, ex æris & ferri ſquama mixta fieri ſolet. Sunt & fontes hoc metallo tincti, vnus in pago Goza, ſito inter Numburgum & Cicium in Miſnia: alter prope vrbem Fridbergū, in Heſsia. Inter æra ipſa etiam diſtin guendum eſt apud ſcriptores, Temeſæum nobile eſt, propter antiquitatẽ, idq́ꝫ foſſum fuit: Dodonæum propter pateras, tripodes, & vaſa, quæ ſunt in templū Apollinis ex eo in Epiro oblata: Corinthium, quod in eius vrbis incendio è varijs metallis confluxit: deniqꝫ Corybantium & Saturnium: il lo vſi in ſacris ſunt Phryges, Cybeles miniſtri: hoc Itali, in ſacris Saturni. Inter eadem diſtinxerunt artifices propter loca, quod aliud alio fuit vel pul chrius vel tractabilius. Myron ſta-

Digitized by Google

tuarius vſus eſt ære ex Delo inſula: Polycletus ex Aegina. Aerarias nuſquã puto nobiliores & magis diuites, q̃ fuere hactenus comitum Manſueldiorũ. Fuit χαλκόπους ὁδὸς in Colono, qua per ipſas ærarias via ad inferos patuit, vt Apollodorus ſcripſit, fortaſſe propter ingentem illorum puteorum profunditatem: cuius viæ mentio apud Sophoclẽ in Oedipo. Apud poëtas χαλκόποδες ſunt boues Aeetæ, & eodem nomine appellantur Furiæ: & ſpectrũ illud, quod Empuſa dicitur, pedem æneum habuit. Ob indefeſſum ſtudium Didymus grammaticus, χαλκέντερος cognominatus, quaſi æneis eſſet inteſtinis. Aurea pro æneis arma dedit Glaucus Diomedi, ſua perpetua infamia. Aes circa pectus habere ab Horatio dicitur, qui propter audaciam nihil non tentat & aggreditur. Auctores æreũ appellant, quicquid firmum & quaſi inuictum eſt: vt apud Horatium, murus aheneus: & tur-

Digitized by Google

turris ahenea. A colore capillorum nonnulli Aeneobarbi acceperunt cognomentum, vt Domitius apud Romanos, Fridericus primus imperator, & Saladinus pręfectus Turcicus. Aereos aquales frigore diſrumpi, legitur apud Strabonem. Aeroſi dicũtur pyrites, & æroſa ſaxa, quę plurimũ in ſe æris continent. Subæratũ, quod ſubtus æs habet, pro mixto & adulterato, vt ſubęratum aurum Perſio: ſubæratę ſtatuę, intus æreæ, foris auro coopertæ. A Græcis oratores nonnulli ὑπόχαλκοι, vt & ὑπόξυλοι vocantur, quorum ſapientia non in pectore, ſed in ore eſt. Illi qui nũmis ſubæratis vtuntur, criminis ſtellionatus notantur, vt Saxones ex Inſubribus in ſedes antiquas reuerſi, Belgis talia nomiſmata dederunt, hi verò, qui ſermone fallunt, ſophiſtę appellantur.

Digitized by Google

V.

PLVMBVM candidum.

PLumbum candidum, Mercurio ſacrum, Græcè κασσιτέρου, vnde Caſsiterides inſulæ Celtiberis oppoſitæ nomẽ habent. Hoc è ſolidis montibus exciditur, & ſui coloris non reperitur: tamen reperitur purum, in lapillis videlicet nigerrimis, idq; ſæpius: aut flauis, aut candidis. quidam ex his pellucidi ſunt, vt albi & flaui coloris, ſed iidem tamen admodum rari. Vidi quod ſtibi ſeu antimonio fuit ſimile, cùm pyrite aurei coloris, in quo plumbum ipſum argenti, pyrites auri fuit ferax. Ex eo autem, quod ferri lapidi ſimile eſt, nihil aliud quàm plumbum excoquitur. Quod purum non eſt, ſed mixtum, interdum lapidi candidiſsimo adhęret inſperſis fluoribus coloris argentei, qui lapis aliquando ſilicis duriciem habet, aliquando friabilis

bilis eſt. Sed hic multò feracior: aliquãdo etiam lapidi nigro aut totum innatum eſt, aut ſuperficiei. Quod purum eſt, ferè angulos habet quatuor, quinq́ʒ, ſex: modò etiam cellas fauis, modò eminentias botro ſimiles. In metallo Hengiſto lapilli ſunt ſimiles ſulfuri viuo: quod vt recẽs metallum eſt, ita vberrimum fuit. Multis in locis lapides plumbi candidi, ita ſolidi duriq́ʒ ſunt, vt niſi igne exſcindi nequeant. Ab igne igitur ita domantur, vt ingentes maſſæ montis, ingentia latera, perticis decutiantur, quod fit periculo foſſorum ingenti. Sunt etiam lapilli nigri adulterini & ſteriles, qui in fluminibus reperiũtur: ſunt itẽ cinerei & flaui, qui in venis, quos noſtri lingua vernacula ſpumam lupi appellant: præterea purpurei, qui etiã vicioſi. Nam in coctione de bonitate natiui detrahunt. Plumbum candidum cùm in laminas funditur, ita tingi poteſt, vt colorem auri, æriſq́ʒ na-

tiui referat: ita inter ſe miſceri, vt inſpicienti paulò longinquius fucũ faciat. Miſcetur hoc plumbo nigro, vt opera ex eo fieri poſsint: per ſe enim minus eſt tractabile. Item plumbo cinereo, cùm ſplendoris tum leuitatis gratia. Plumbo candido cùm additur quarta pars de orichalco, ſimulq; incoquuntur, vaſa, quæ ex ea temperatura fiunt, argento eſſe ſimilia vidẽtur. Tabellæ quadratæ plumbi candidi annulorum fundis includuntur, iuxta adamãtes, quòd illius color inſigniter niger ſit, huius verò eximiè candidus. Appellatur autem candidum, nõ quòd natura ita ſit hoc plũbi genus, ſed poſteaquam ignem experitur & excoquitur, tum demũ candorem accipit ſingularẽ. Seruit hoc metallum noſtro tempore & lucro & impoſturæ mercatorum, ſeu potius inſtitorũ, qui ex eo varia vaſa, inſtrumenta & crepundia efficiunt, ornatui & luſibus puerilibus accommodata.

Digitized by Google

data. Vaſa verò domeſtica maiora, quæ ex eo fiunt, maximo ſunt in vſu.

Lapilli
- Nigri puri. Zwitter.
- Flaui coloris. Gelber
- Candidi. Weiſſer
- Candidi pellucidi. Durchſichtiger

  (Flaui coloris, Candidi, Candidi pellucidi:) Zwitter.
- Adulterini & ſteriles. Wolffrham/oder Schurel/od' Schörle/od' Greiß/oder Mißbickel.
- Purpurei vicioſi. Toub zwitter.
- Steriles pellucidi. Eſſer zinſtein.

VI.

PLVMBVM cinereum.

Biſemutum quod appellant metallici, id plumbum cinereum primus Agricola, putauitq; & Græcis &

Digitized by Google

Latinis fuiſſe ignotum. Eſt autem (vt in noſtra elegia diximus)

Candidius nigro, ſed plumbo nigrius albo.

Hactenus in Anglia tantum, & in Miſena, quod ſcitur, effoſſum eſt: & primùm in Miſena tantùm in venis argentarijs Snebergi: nuper verò & Annebergi, & Mariebergi, quanquã paucum rarumq́; in ijs venis inuenitur: necnon in Vallibus. Nitet interdum argenti colore, vnde fortaſſe plumbũ argentarium eſt Plinio: interdum purpureo ſed dilutiore: nam & flos eius quodammodo eſt purpureus. Reperitur pyriti aut cadmiæ annatum: item lapidi cum argento puro illitũ, ita vt ab argento niſi igne non diſcernas. Simile quoque antimonio eſt, quod ad figuram attinet, ſed colorẽ præſtantius. Excoctum antequam purificetur vt duci queat, aut hammitem lapidẽ ſpecie refert, niſi quòd ſit rarum, & non ita coagmentatum, quia natiuum colorem retinet: aut ſi-

lorum

Digitized by Google

lorum capillorúmue more contortũ eſt: idq́; floris colorem, obſcuriorem tamen, habet. Maſſas eius puras ſolidasq́; non vidi, ſed adhęrens lapidi, & eidem copioſe innatum. Lapis autem duriſsimus eſt, eo excepto, qui fluores habet, & cui nitrum innaſcitur: quod ita ſaxa exedit atq; corrumpit, vt penè fiant friabilia. Fiunt ex eo vaſa diuerſi generis, quæ propter colorẽ argentea eſſe putes: ſed plumbo candido minus ſunt ponderoſa.

Plumbum cinereum. Biſmuth.

Plumbum cinereum ſtibi ſimile. Spiſſiger Biſmuth.

Plumbum cinereum lapidi adhærens, vt argentum. Angeſchweiſſter Biſmuth.

VII.

PLVMBVM nigrum.

PLumbum nigrum, Græcis μόλιβδος, Saturno dicatum, aut ex la-

Digitized by Google

pide excoquitur, aut natiuum effodi tur. Quod natiuum eſt, aut durum ſolidumq́; vt Polonicum: aut minùs durum, vt noſtrate. Colore modò albũ, quale eſt Suacenſe in Alpibus, modò obſcurum; modò rubeum, vt Sultzbachium, modò ad cæruleum accedens, vt Fribergium, cui ochra innaſcitur. Vidi quod armaturam habuit aurei coloris. Excoquitur aut è propria vena, aut è lapide plumbario ferace, qui interdum lapidi arenario ſimilis, interdum fluoribus albis. Maſſarum variæ ſunt formæ: quædam rotundæ, quædam quadratæ: quatuor, quinq; ſex angulorum. Quod ſui coloris eſt, aut eſt planum, aut micarum inſtar ſplendet, aut eſt ſtimmi ſimile, aliquando etiã æri natiuo. Differunt lapis plumbarius, & plumbago. hæc enim pura eſt, quam Hiſpani galenam nominarũt. Plumbagini annaſcitur interdum copioſa ochra, vt Polonicæ: minus copioſa, vt Friber-

giæ,

Digitized by Google

giæ, & Stercingenſi in Alpibus. Annaſcitur interdum viride quiddã, quod eiuſdem metalli ferax eſt, & , vt nonnulli autumant, plumbi nigri flos eſt.

Plumbo teguntur templa, vt Romæ Panthei, Londini diui Pauli, Argentorati D. Mariæ, alibi alia: Turres, vt iterum Romæ in Eſquilino turris templi Mariæ maioris: Palatia, vt Patauinum & Vicentinum ampliſsima: Arces regum, vt Vvinſarti in Anglia: item nobilium, vt Comitis Arondellæ in eadem prouincia: & aliorum.

Fiunt è plumbo fontes, vt eiuſdem arcis Vvinſarti fons factus à Philippo Hiſpano: item lauacra, qualeeſt Conſtantini Magni Romæ in Eſquilino.

Fiunt ex eodem tubi & fiſtulę, quibus aqua ducitur, quales fuerũt, quæ effoſſæ ſunt in ſinu Baiano è Neronis piſcina: & in lacu Albano prope Romam. Eiuſmodi fiſtularum plena nauis inuenta eſt, cuius Blondus in deſcriptione Latij meminit. De aqua

Digitized by Google

Martia canit Statius,

Audaci tranſcurris flumina plumbo.

Feſularum mons in Hetruria, Florentię ciuitati imminẽs, lapides plumbarios habet, qui ſi excidantur, breui temporis ſpacio, nouis incrementis inſtaurantur, vt tradit Boccatius Certaldus, qui id compertiſsimum eſſe ſcribit. Maſſa duûm pondo plumbi candidi puriſsimi effoſſa Slacchevvaldi anno 1 5 4 9. quæ formam habuit erinacei. Maſſa plumbi nigri, quam ipſe vidi extrahi, pondo ſex habuit, anno 1 5 5 1. Fribergi, è ſecundo dimenſo altæ Betulæ, in quod tum ſumptus faciebant mercatores Auguſtani. Vaſa plumbea liquore aliquo plena, expoſitaq; aëri, cùm guttulas foris concipiunt, pluuiam deſignant. Liquido plumbo vſi ſunt olim ad ſontes excruciandos puniẽdosq;. Vnde Horatius lib. 1. Carm.

——— Nec ſeuerus

Vncus abeſt, liquidúmue plumbum.

Idem

Digitized by Google

Idem infuſum fuiſſe Chriſtianorum corporibus, ſcriptores Eccleſiaſtici memorant. Plumbatæ quibus cæſi ſunt, in eorundem libris notiſsimæ. Solẽt medici vaſis plumbeis ad quaſdam pinguedines medullasq; contiнendas vti. Philetas poëta Cous, ſoleis plumbeis vſus in calceis eſt, ne à vento propter corporis exilitatem euerteretur. Plumbeis pugionibus dimicare dicuntur, qui pugnant inutiliter: plumbeo item gladio iugulare apud Ciceronem. Plumbeus homo nullius ingenij, apud Terentium. Iræ plumbeæ pro grauibus, apud Plautũ. Auſtrum autem num ab effectu aëris, aut corporum, Horatius plumbeũ vocet, ambigunt interpretes. Muſici olim laminas plumbeas pectori impoſuerunt, ad cantica exclamanda, vt ſcribit Iſidorus. Chartam plumbeã ſupinus pectore ſuſtinuit Nero imperator, vt Suetonius, conſeruandæ augendæq; vocis cauſa. Tali itidem la-

mina Caluus orator cohibuit libidinem, teſte Plinio, vt vires corporis labori ſtudiorum cuſtodiret. Nonnulli eaſdem affectis membris imponunt: ſed hos ad medicos relegamus.

E plumbeis tabulis, ſeu (vt Suetonius appellauit) chartis, codices olim fuiſſe factos conſtat: quales ſub terra inuentos in ſepulchris ſcimus Neapoli, & vnum nobis monſtrauit vir nobilis Hadrianus Gulielmus, totius antiquitatis inueſtigator diligens. Plumbeis ſarcophagis impoſita orbis terrarum lumina duo, Martinus Lutherus, & Philippus Melanchthon. Plumbeos globos è tormentis manuarijs explodunt milites, inuento videlicet malo, vt metallum aliorum omnium maximè molle, hominem de vita tolleret.

Plumbum nigrum. Bley.

Plumbago. Glantz / oder gedigen bley.

Lapis plumbarius. Bleyertz.

Viride

Digitized by Google

Viride annatum plumbo. Bleyſchweiſſ.

VIII.

FERRVM.

FErrum, Græcis σίδηρος, dicatum Marti, id aut effoditur, aut colligitur, aut excoquitur, aut lauatur. Effoditur ex vena, vt Lauenſteini, Gishubeli, Glashuttæ in Miſena: colligitur, in agris videlicet, vt Grunhani, & paſſim in Norico, & in Palatinatu, & in Francia: excoquitur vtrumque, & foſſum quod eſt, & collectum: lauatur, cuius maſſulæ ramentaque ex aquis eximuntur. In Luſatia & Sileſia effoſſum, noua incrementa accipit, & terra arborumque trunci in illis incrementis, materiam ferri acquirunt: primũ liquori cuidam denſo ſimilem, poſtea magis magisque indureſcentẽ. Moluccæ populi hoc metallo carẽt: ideo maiore apud ipſos eſt in precio: carẽt

eodem regiones Moſcobiticæ, quibus id ſuo lucro, gentium aliarum incommodo importârunt auari mercatores. Ferrum quod ſtatim ſuum eſt, reperiri negatur: ſui tamen coloris reperitur. Aliàs colore varium eſt, plerunq; nigrum: aliquando iecoris colore, aliquando pyriti ſimile, rarò galenæ, rariùs item plumbo cinereo: quale foditur in monte Capha, duobus ſito à Vuiſentala miliaribus. Foris ſpecie diuerſum, aut aſſurgens virgularum in morē, aut tumens ſpecie cerebri vel botri: aut omnino denſam habens ſuperficiem, eamq; modò rudem, modò nitidam, modò aſperam, modò coloratam. Concauum quod eſt, varias in ſe res continet. Vnum genus cõtinet copioſam ochram, quale effoditur prope Tſchopam flumen, iuxta Francobergum oppidum, non lõgè à Trapenauco metallo antiquo, quod nunc planè deſertum eſt. alterũ genus, vel cretam Saponariam, vt ita

nomi-

nominem, vel, vt nónulli putant, morochthum lapidem, quale effoditur Saxenfeldæ. Tertium genus continet in ſe, quod metallici picem appellāt, quod interdum colore nigrum eſt, interdum ſchiſti ſpeciem habet. Ferrum quod iuxta magnetis venam effoditur, ſæpe purum eſt, & ferrum diues à metallicis dicitur. Flos ferri candidiſsimus eſt, & leuis, ramulos interdum habens corallio ſimiles, interdum filorum flexu ſubtiles: is è Stiria ad nos adfertur. Acies autem, quam Græci στόμωμα, eſt ipſius ferri bonitas, quemadmodum tinctura eiuſdem robur. Noti enim ſunt verſus Homeri Odyſſeæ nono:

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκεὺς πέλεκυν μέγαν
ἠὲ σκέπαρνον
εἰν ὕδατι ψυχρῷ βάπτῃ, μεγάλα ἰάχοντα
φαρμάσσων, τὸ γὰρ αὖτε σιδήρου γε κράτος ἐστί:
ὡς τοῦ σίζ' ὀφθαλμὸς ἐλαϊνέῳ περὶ μοχλῷ.

Fluuij autem eiuſmodi tincturæ a-

pti in Norico ſunt multi, quod ferrũ ſcriptis veterum celebratũ eſt. In Hiſpania ponuntur à Martiale Bilbilis, Turaſsio, Salo: à Iuſtino, Chalybs: ab alijs, Iberus, à quo Iberæ loricæ, pro firmiſsimis apud Horatium. In Italia is, qui Comum præterfluit: & Lambrus, qui Mediolanum, de quo Ianus Pannonius,

Nec niſi duratum Lambro thoraca volebam.

In hoc oppido ferrum, quod Albi tingitur, minùs bonũ eſt, quàm quod torrente Trebiſa. Non ignorauit hoc poëta doctiſsimus, qui in 12. de gladio Turni loquens, tincturam commendat:

Enſis quem Dauno ignipotens Deus ipſe parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda.

Idem cùm heroum cæterorum arma ſcribat ærea fuiſſe, de armis Aeneę inquit,

Quod

Digitized by Google

Quod fieri ferro liquidóue † poteſt electro. †*al. pote-*
Vt ſignificet viro forti à Vulcano, *ſtur. Ae-*
& firma & ſplendida, è temperatura *neid. 8.*
nobili, tradita arma fuiſſe. De lorica Hannibalis, Silius lib. II.

Hoc ære & duri chalybis perfecta metallo,
Atq; opibus perfuſa Tagi. ———

Ex ære ferroq; factum, & auro inductum fuiſſe demonſtrat. Ferrum citius liqueſcit melle reſtinctum, vt ebur vino: vitrum vel lapis, in decoctione ſanguinis, vt retulit Pandulphus Anglus: cuius fragmenta citata legi, libri enim integri nondum excuſi ſunt, in quibus copioſe de foſsilibus ſcripſit.

E ferro globi fiunt, qui è tormentis æneis emittuntur, immani interdũ pondere. In bello Mediolanenſi, pro Franciſco Sfortia geſto, in oppugnatione oppidi Aronæ ad lacum Verbanum, ſex millia globorum aduerſus mœnia exploſa: in obſidione Lipſiæ, bello Saxonico ciuili, vltra mil-

Digitized by Google

lia duodecim. In obſidione Pæſti ad Danubiũ ex vnis caſtris Georgij monachi, mille ducenti quinquaginta: aliqui graues pondo octoginta, aliqui centum & decem. Officinę ferri nobiles fuerunt Chalybum in Scythia, quam Aeſchylus σιδηρομήτορα αἶαν eſſe dixit. Ideo Chalybes deteſtatur Catullus,

Iuppiter ô, Chalybωn omne genus pereat:
Et qui principio ſub terra quærere venas
Inſtituit, ac ferri frangere duriciem:

Idæi fratres cognomento Dactyli, fabri ferrarij fuiſſe ſcribuntur, qui materiam artis foderint in Idæ promontorijs Lecto, Gargaris, & Phalacra. Vnum ex ijs, Celmum nomine, mutatũ in ferrum ſcribit Zenodotus: in adamantem, Ouidius: fortaſſe ea de cauſa, ꝙ præ eo ſtudio alia omnia neglexerit, & metallicus ditiſsimus fuerit. Noti fabri Vulcanij literis poëtarum,

Bronteſq; Steropeſq; & nudus membra Pyracmon.

Digitized by Google

In Melite inſula ferri metallum fuit: ſed antiquiſsimum in Ilua, è regione Volaterrarum, vbi ferrum in hunc dië effoditur, quod redigi in maſſam nõ poteſt, niſi deuectum ſit in continentem, vt Marſus Ceſenas ſcribit. Virg.

Iluaque inexhauſtis Chalybum generoſa metallis.

Celebrat Liuius Populoniam in Hetruria. Populonienſes enim cùm ad bellum Africanum alij aliud pro ſuis facultatibus, Romanis pollicerentur, quod dare commodè poſſent, ſe ferrum daturos polliciti ſunt. Eſt autem aliud alio tractabilius, vt Pirnenſe Luſatio apud nos: item præſtantius, vt alio vtuntur qui arma cudunt, alio qui inſtrumenta agricolarũ, alio qui meſſorum. Id autem fit partim ipſa natura, partim etiam tinctura. hoc in noſtrorum officinis eſt quadruplex. prima colore alba, quę nimis dura eſt, & facilè diſsilit: altera flaua, qua ſcindũtur oſſa, lapides, & limando ſcinden-

Digitized by Google

doq; ferrũ ipſum domatur: tertia mixta ex purpureo & cœruleo, quæ ad ſecanda ligna idonea eſt: quarta nigra, quæ nimis eſt mollis. Glaucus quidem Samius, teſte Suida, quod eſſe molle voluit, tinxit oleo: quod verò durum, aqua. Fiunt nunc è ferro fornaces, in Hermunduris Gishubelij, in Melibocis Sigenæ. In officinis formatur in globos bombardicos; in bacilla quadrata, è quibus poſtea omnis generis opera inſtrumentaq; cuduntur: in tabulas, è quibus componuntur fornaces.

Ferrum candens reſtinctum lacte, diarrhœã ſiſtit: vino aut cereuiſia, eandem concitat. Squama ferri ſiccandi vim habet, quam imponunt calceis, qui pedes odore graues habent. Ferrei claui, quibus tegulæ affigũtur in tectis, frigore rumpuntur: vt & ſilicem gelu findi ſcripſit Afranius, & aquales æneos Strabo. Eſt quædam materia ferro ſimilis, colore non duricie:

Digitized by Google

ricie: lapide magis fragilis, ferro minus ponderoſa: quę polita ferri refert nitidi aut vſitati formam: politur autem attritu & leuitate cuiuſuis corporis durioris. Locum, in quo effoditur, ignoro: nec vſum cognoui: differentiam eius inter terram, & lapidem, & metallum obſeruaui: vocatur autem noſtro idiomate ferri argilla. A ferro cognomentum habuit Ludouicus quartus princeps Thuringiæ, è Lotharij imperatoris filia natus, quia propter nobilitatem ſibi inuiſam, toto armatus corpore ſemper inceſsit. Ferrobraciorum familia, à brachijs armatis, apud Italos nobilis. Ferreus lectus, Gigantis Ogi, regis Baſanidis, memoratur in ſacra hiſtoria. Ferreum lectum impoſuiſſe Othoni patri ſuo Albertum primum Marchionem, in noſtris legitur Annalibus: quod ego de cauea aliqua, aut carcere intelligo. Ferrei Eumenidum thalami noti ſunt poëtis: item ferratę trabes in ar

ce Acriſij. Valuæ ferreæ Romæ in æde D. Pauli. In turre ferrata interfe ctum Probum imperatorem ſcribit Eutropius. Ferreũ appellatur, quic quid ſolidum indomitumq́ eſt, vt fer reum ſeculum, quod nunc viuimus: ferrea præcordia, ferrei homines, fer rea ſors vitę; ferreus ſomnus, pro ipſa morte apud poëtas. Ferro pluiſſe in Lucania ante bellum Parthicum, quo Craſſus interfectus, tradunt veteres.

Ferream maſſam recremento ſimi lem, ex aëre decidiſſe in ſyluis Neuho rianis prope Grimam, ſunt qui affir ment, eamq́ maſſam multorum pon do fuiſſe, narrant, adeò vt in locum il lum nec deportari propter grauitatẽ, nec curru adduci, propter loca inuia potuerit. Factum eſt autem ante bel lum ciuile Saxonicum, quod inter du ces agnatos geſtum eſt. A ferro no men accepit Siderites gemma, vt eſt apud Suidam: ſed eum lapidem eun dem eſſe cum adamante, liquet è Plu-

tar-

tarcho, qui ait adamantem ab Indis σιδηρῖτιν, ab Aegyptijs os Hori appellari. Ferro tinctæ ſunt interdum aquæ, quarum ſaporem Plinius ferrugineum nominat. Ferri laudes Sauanorola decantat libro ſecundo de balneis.

Ferrum. Eyſen.
Ferrum quod ſtatim ſuum eſt. Gedigen eyſen.
Ferrum diues. Ein magnet.
Flos ferri.
Acies ferri. Stahel.
Materia ſimilis ferro. Eyſenthán.
Lapides ferri. Eyſenſtein.
Ramenta ferri. Eyſenſpán/oder eyſenfeulen.
Squama ferri. Hammerſchlag.
Tinctura ferri. Die herte.
Bacilla ferri. Stábe.
Tabulæ ferri. Blatten.

Digitized by Google

IX.

STIBI.

STibi, Græcis στίμμι, Plinio, Stibiũ, ſi ſunt codices emendati; in officinis neſcio qua appellatione antimonium: lapidem plumbariũ refert, ſed magis nitet aut radiat, & magis eſt fiſſile, magis friabile, magis manus tingit. Eſſe autem hoc metallum proprium, non plumbum, vt Plinius, id apparere videtur, cùm in catinis eſt excoctum. Nonnulli id eſſe volunt, quod Cincum nominant metallici, id quod fundi poteſt, ſed tractari malleo non poteſt. Verùm hoc relinquo peritioribus. Inuenitur autem ſtibi in venis proprijs, vt Isfeldæ in Hercynijs, quod interdum corio plano eſt, interdum teſſellato, plerunq; ſchiſti ſpecie. item in venis argentarijs: item iuxta venam ſchiſti lapidis, vt in pago vno à Fribergo miliario, qui nomẽ habet Abietis altæ. Quod maximè

fria-

Digitized by Google

friabile eſt & ponderoſum, nominãt fœminam: quod ſcabrum & leue, marem. Natiuum ſimile eſt plumbo natiuo: excoctum verò, plumbo cinereo. In tingendis cilijs eo Italicæ mulieres nunc vtuntur; & Græcæ vſæ ſunt, vnde poëta Ion nominat ὀμματογράφον, alij πλατυόφθαλμον. quia enim tinctura nigrum eſt, cilia ornat: quia nitidum, etiam dilatat. Stibi cum pyrite, Suaci in Alpibus: cũ mica, quod plumbi cinerei ferax eſt, in Vallibus; cum ſchiſto, prope Fribergum, vt modò dixi, reperitur: itẽ cum lapide fiſsili. A forma eius plumbum album, nigrum, cinereum, ſchiſtos, gypſum nomen inuenere.

Spiſſiger — { Zwitter. | Glantz. | Wißmuth. | Farbſtein. | Gips. }

Stibi. Spißglaß, vel rectius Spiſgläß.
Stibi tinctura. Schmincke.

Digitized by Google

X.

STERILE NItidum.

STerile quiddam in metallis eſt, quod admodum nitet, & à colore ipſorum metallorum accepit nomina. id & oculos ſuo nitore decipit, & omnium metallorum imitatur pulchritudinem, mentitur ſinceritatem: eis mixtum deprauat, & viciat bonitatem. Vnde noſtris vulgi ſermone notum prouerbium eſt: Non eſſe omne aurum quod niteat. Id autem apud nos præcipuè fallit in plumbagine. quod ſi eſt album, Weiſſe / oder lichte blende: ſi nigrum, Glaſichte blende: ſi colore piceo, Schwartz oder bechblende: ſi flauo, Gilblichte blende, nominari ſolet. In lapide ærario, ſi colore æris, Kupfferblende: ſi micæ, itidē Weiſſe blende. In lapidibus proiectis, ſi colorem imitatur auri, dicitur aurum felium, Katzengoldt; quo quaſi corio inductus

ductus eſt ſilex, è quo vitrum factum fuit Crotendorfi in Miſnia montana. Sin colorem argenti, argentum feliũ, Katzenſilber, quo interdum ſilex, interdum lapis fiſsilis, non modò Soli & ventis expoſitus, ſed è terra etiam effoſſus obducitur. Verùm hoc ſterile, ſuo nomine, à ſplendore eximio, mica dicitur, quæ non ſolùm velut cortex exterior adhæret lapidibus, verũ etiam arenæ immiſcetur: qualis arena in Thuringia prope oppidum Kelbram inuenitur, & ab eâdem Romæ mons Ianiculenſis, aureus nunc idiomate Italorum appellatur. Eſt & mica nigra, ſimilis maſsis plumbi candidi, ſed ita leuis, vt facilè conijcias metallì inanem eſſe.

X I.

PYRITES.

PYrites nomen habet ab igne, & ſulfur olet, ſed non omnis: durus

cùm percutitur chalybe, aut ſilice aut alio pyrite, ignem emittit, quem noſtri metallici, pyritem durum, Plinius viuum nominat, Mauri marchaſitam.

E pyrite, ex quo excuditur ignis, etiam excoquitur ſulfur, aut certè materia quouis ſulfure vehementior odore & viribus, vt nunc fit Cromenæ in Morauia. Pyrites aut effoditur è veniscum alijs metallis, aut diſtractus à venis reperitur in fluminibus; aut eſt cretæ argillæúe, aut terræ vliginoſæ incluſus. Ferax eſt auri, argenti, æris, plumbi: quidam exudat ſuccos acres, vt miſy, atramẽtum, nitrum: quidam adhærentem habet ochram, vt ferè plumbarius: quidam terram candidam & pinguem, vt Saxenfeldæ repertus. Omnis pyrites aut ſuus eſt: aut admixtum metallũ, aut lapidem, aut fluores habet, nonnullis etiam in locis cæruleum natiuum. Omnis etiam aut ſolidus eſt atq; durus, aut rarus & leuis, aut ſtimmi figura & friabilis.

Colores

Colores omnium ferè metallorum refert, excepto argenti viui. Nam qui ferrum refert, etiamſi niger ſit, nomen tamen amittit, & ferri lapidis recipit. Reperitur prætereà viridis, cęrulei, violacei, purpurei, cinerei coloris, præſertim in metallis plumbarijs. Eſt autem vel vnius & ſimplicis coloris: vel mixti, vt auri & plumbaginis refert, qui effoditur Erendorſij in Palatinatu: æris & ferri, qui ex Alpibus Rhęticis affertur. Figura quoque pyritæ varij ſunt, aut rotundi & teretes, aut teſſellati, & multorum angulorum, aut botro cerebróue ſimiles, aut oblongi cauíque, aut ouales & ſolidi, aut ſtriati, aut plani, aut turbinati, aut incurui rectíue, aut concamerati, aut ſpongioſi: aliquando vuis, & fauis, item virgulis & conchis ſimiles. E quibus ſucci acres enaſcuntur, aut more ſquamarum, aut columellarum ſunt connexi, ijq; plerun-

Digitized by Google

que, qui in meas venerunt manus, coloris fului fuerunt. Eundem plerunque referunt qui in fluuijs, & maximè in torrentibus colliguntur, qui forma aut ſunt teretes, vt qui iuxta ripas iacuerunt: aut rotundi & globoſi, vt qui in alueis decurſu aquarum in hanc orbicularem ſpeciem formantur: quod itidem in lapillis videmus fieri, qui fluctuum repercuſsione in littoribus rotundi fiunt. Quamobrem primum genus digitorum ſimile eſt, & interdum internodijs quaſi articulis diſtinctum: alterum teſticulorum, vnde διόρχαι & τριόρχαι dici poſſent. Tales munere accepi à claro & eximio viro Iohanne Ienitio, illuſtriſsimi ducis Electoris Saxoniæ ſecretario. Pyrites autem qui metalli aut ſucci alicuius ferax eſt, exploratur pondere: qui omnino ſterilis, depræhenditur leuitate. Ii qui tormentis manuarijs, quæ bom

bardæ

Digitized by Google

bardæ vocantur, ignem excitant, pyrite duro & læuigato, vti ſolent ſilicis aut iaſpidis vice: ſed pyrites ad excutiendum ignem, quem puluis compræhendat, omnium eſt vtiliſsimus. Reperiuntur autem pyritis non tantum fruſta, ſed & maſſæ, qualem nos habemus quæ fluorum candidorum plena eſt. Pyritis vſum eſſe in medicinis, Trallianus ſcribit, vbi agit de morbo cœliaco: ſed id tantum intelligendum de eo, ex quo æs excoquitur, diligentiùs explanat Dioſcorides.

Hæc metallis adiecta ſunt de pyrite, quia ferè alicuius metalli partem in ſe continet: quæ licet rarò oculis dijudicetur, tamen igne depræhendi aut agnoſci ab artifice poteſt: interdum etiam ſi per dies aliquot imponitur aquę, eius ſaporem ſi mutat, aut tingit, cuius metalli aut ſucci fœcundus eſt, coniectura ducitur.

Digitized by Google

Pyrites. Kieß.

Pyrites:
- Durus. Harter kieß.
- Rarus. Leichter kieß.
- In fluminibus repertus. Waſſerkieß.
- Qui ſuus eſt. Reiner kieß.
- Mixtus. Vnreiner kieß.
- Friabilis. Spiſſiger kieß.

FINIS.

Digitized by Google

DE SVCCINO LIBRI DVO, AVTHORE Seuerino Gœbelio, Medico Doctore.

HORVM PRIOR LIBER continet piam commonefactionem, de paſſione, reſurrectione, ac beneficijs Chriſti, quæ in hiſtoria Succini depinguntur.

Poſterior veram de origine Succini addit ſententiam.

Tetraſtichon in hos libros Conradi Geſneri Tigurini.

Βίβλῳ τῇδ᾽ ὀλίγῃ λόγιος Γοιβήλιος ἡμῖν
Ηλέκτρος περιώνυμον
Ηλίου ἤλεκτρον πάνυ εὐφραδέως διέγραψε,
Πολλῆς γε χάριτος ἄξιος.

☘

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO Vrbano, Epiſcopo Gurcenſi, Romanorum, Vngariæ, Boemiæq; Regis Conſiliario & Concionatori, domino ſuo obſeruandiſsimo.

Voluit Deus, reuerendiſsime ac illuſtris domine, reges ac principes eſſe nutrices Eccleſiæ: & vt hæc haberet certa hoſpitia, conſtituit politias. ea autem, quamuis in hiſce imperiorum ruinis miſerè quaſſatur, et vera doctrina Euangelij obſcuratur, tamen ſemper Deus excitat aliquos Monarchas, quibus ſponſa Chriſti curæ eſt, excitat quoq; pios Doctores & Paſtores, qui incorruptam doctrinam tradunt, nullius impulſi vel deterriti authoritate.

Cum itaq; illuſtris celſitudo veſtra in hoc ampliſsimo conſeſſu sereniſsimorum Regum, illuſtriſsimorum Electorum, Principum, Comitum & Nobilium, & verā vocem Euangelij proponat, & manifeſtè taxet abuſus ieiunij & aliarum cæremoniarum, &c. volui

C.V. exiguũ & puerile ſcriptũ de triſti & lacera Eccleſiæ facie, ſub hiſtoria Succini proponere, non quod dubitẽ, quin C.V. & rectè docendo, & fideliter orãdo ſuæ vocationi ſatiſfaciat: ſed vt multos alios ad vota reuocarẽ, qui ſuas preces nobiſcũ pro ſalute Eccleſiæ & reipub. coniungerent, quibus maximè impendunt calamitates ab incurſionibus Turcarum & aliorum hoſtium. Oremus itaq; filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, redemptorẽ generis humani, vt ſuo ſpiritu ſancto regat & gubernet mentes dominantium, vt concordi pace ſancita arment ſeſe contra Turcam & hoſtes Chriſti, in hoc ampliſſimo conuentu, & ne amplius mutuis vulneribus ac inteſtinis bellis ſeſe proſcindant. Veſtra autem C. vt hanc qualemcunq; oratiunculam huic tempori conuenientem, boni conſulat, etiam atq; etiam rogo. Datæ Francofordiæ ad Mœnum. 4. Martij. Anno 1558.

V. R. D.

Addictiſſimus
Seuerinus Gœbel.

Digitized by Google

DE SVCCINO LIBER PRIMVS: AVthore Seuerino Gœbelio, Medico Doctore.

HAec eſt vita æterna, vt agnoſcamus te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Vox iſta eſt ipſius filij Dei ſaluatoris noſtri, quam proponit nobis ideo, vt reuocet nos ad conſiderationem perfectæ imaginis Dei, quæ ante lapſum nobis fuit impreſſa, & vt de reſtitutione generis humani ac vita æterna, quæ breui ſperanda eſt, aſsiduè cogitemus: vbi non tantum in nobis radij diuinarum operationum lucebunt, ſed in tota natura rerum, velut in theatro ſeu ſpeculo adumbrabitur idea & effigies diuinæ ſapientiæ & bonitatis erga nos, nō ſine mirando ordine & harmonia.

Nam & in hac naturę corruptione videmus quibuſlibet terræ naſcenti-

bus, inſita quædam illuſtria veſtigia, per quæ quaſi manu deducimur ad Archetypi admirationem & venerationem, vt rectè dicatur:

Præſentemq; refert quælibet herba Deum.

Viola exiguus floſculus hoc ipſo tempore, etiam in frigore, ex terra primò erumpit, cum primum ſacroſancta hiſtoria paſsionis & reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, in Eccleſia recitari ſolet, vt oſtendat nobis imaginem humilitatis Chriſti.

Serpit humi viola, nec ſeſe in altum attollit, & quanto plus pedibus conculcatur, tanto magis fragrantem odorem ſpirat. Aureus vmbellus, quẽ purpurea folia veſtiunt & amplectuntur, diuinæ & humanæ naturæ copulationem ſignificat, purpureus foliorum color liuorem Chriſti ex plagis & verberibus exprimit. Sed iſte flos ad cordialia medicamenta eſt præſtãtiſsimus: in febribus æſtũ caloris corrigit, animi deliquio correptis occurrit.

Digitized by Google

rit, mœſticiæ itidem & melancholiæ medetur.

Sic Chriſtus Deus & homo, ſuo liuore, paſsione & reſurrectione, omnes nos ex deſperatione, velut ex ſyncope ac deliquio animi eripuit. De quo admirando Dei beneficio, cum hoc tempore ſit cogitandum, paucis Eccleſiæ ſtatum depingam in hiſtoria Succini, vt oſtendam verum Phyſices ſtudium, nihil eſſe aliud, quàm doctrinam de Deo. In Succini enim allegoria ſeries & ordo omnium earum rerum, quæ in Eccleſia accidunt, nobis depingitur. Et, vt de lapſu ac reſtitutione humani generis primū dicā, triſtiſsima eſt hiſtoria, vt & veriſsima, de lapſu primorum parētum: qui cum conditi fuiſſent ad imaginē Dei, quæ in ipſorum mentibus, veluti viua effigies expreſſa fuit, & tanquam artificioſiſsima pictura omnibus numeris abſoluta, recedūt ab iſta perfectione, & labuntur non tantum in ſordes

peccati, ſed etiam in horrendas pœnas. De huius pulcherrimæ imaginis deformatione & maculis, quibus ſapientia & beneficentia Dei eſt obſcurata, quid triſtius cogitari poteſt?

Tota natura rerum noſtram vicem dolere, ac quodammodo nobiſcum gemere conſpicitur. Defigentes enim oculos ad hoc bitumen (ex quo ſuccinum naſcitur) vmbram deformatæ „ iſtius picturæ inuenimus. Materia „ iſta nobiliſsimus terræ ſuccus eſt, vi„ ribus haud abſimilis balſamo, odorē „ ſuauem & fragrantem ſpirans: haud dubiè in humanum vſum conditus ideo, vt ſua virtute & admiratione nobis archetypi imaginem in mentē reuocaret, & de beneficentia ipſius cōmonefaceret; quod certè non facit, ſed ab iſta ſua functione, vt ita dicam, „ recedit, cum nuſquam hactenus in to„ ta Pruſsia iſtius bituminis fontes vel „ ſcaturigines, in conſpectum noſtrum „ prodierint, aut è terra erupiſſe viſæ ſint.

Digitized by Google

ſint. Sed iſtius precioſi balſami ſuccũ "
videmus effugere noſtras manus, & "
per meatus ſubterraneos luto ſordi- "
busq; inquinatos labi & deuolui in "
mare fluctibus feruens, quorum tem "
peſtate hinc illinc agitatus, tamdiu "
concutitur, quoad frigiditate maris "
concreſcat, & eiuſdem ſalſedine alte- "
retur. Salſedo & amaritudo maris vincula & aſperitatẽ legis, ac iræ Dei imaginẽ ſignificat, in qua veluti procellis oppreſsi tantiſper fuerunt primi parentes & poſteri, donec admiranda Dei bonitate, iterum in littus ac portum tranquillæ conſcientiæ reſtituerẽtur. Et ea reſtitutio fit per prophetas & apoſtolos, qui ſunt pauperculi piſcatores, ſicut ij, qui ſuccinum ad littora protruſum colligunt.

Nam in tota Pruſsia non eſt aliud genus hominum magis deſpectum & vile, quàm ſunt iſti miſeri officiarij, qui ad ſuccinum colligendum ordinati ſunt: ij cum ſeruiles prope ſint,

Digitized by Google

„ certatim concurrunt ex vicinis vicis,
„ tam noctu, quàm interdiu flante Fa-
„ uonio, aut Cauro, aut Thraſcia ven-
„ tis, quibus ad littora ſuccinum im-
„ pellitur.

„ Ingrediuntur itaq; nudi mare, dum
„ adhuc feruet æſtus, & fluctus interi-
„ tum minantur: hauriuntq; ſuccinum
„ exiguis reticulis lino textis & affixis
„ ad anteriores longarum perticarum
„ partes, quæ furcarum inſtar ita didu-
„ ctæ ſunt, vt fermè vlnam vnã pateant.

„ Miſerabile autem eſt, miſerrimos i-
„ ſtos officiarios etiã hyberno tempo-
„ re cogi ad functionis ſuæ executioné:
„ & nudos quidem mare ingredi, quod
„ ideo fieri dicitur, ne veſtitos mare ſuis
„ procellis abripiat: quæ certè natura
„ fluctuum ijs in locis eſſe ſolet.

Voluit Deus eodem modo mini-
ſtros Eccleſiæ certo conſilio calami-
tatibus ſubijci: voluit eſſe nudos, ne
rebus ſecúndis nimiũ veſtiti ad mun-
di illecebras & pericula animæ rape-
ren-

rentur: Et vt exemplo eſſet omnibus pijs, ipſe filius Dei deſcendit nudus: & abiectiſsimus coram mundo, obijcit ſe pro nobis multiuarijs periculis, vt nos fluctibus peccati preſſos obrutosq́; eripiat, ac in portum tranquillę conſcientiæ reſtituat: pendet in cruce nudus & afflictus, expanſis manibus ac obuijs vlnis amplexurus nos. pollicetur ſingulis ſuam gratiã, ac æterna beneficia vltro offert nobis ingratiſsimis hominibus.

Et quemadmodum iſtis miſeris officiarijs, qui ſuccinum ex mari, nó ſine vitæ diſcrimine hauriũt, nulla dantur præmia: ita maxima eſt ingratitudo generis humani erga redemptoré noſtrum. quantum enim ſuccini piſcatores miſeri colligunt, tantundem ſalis rependunt illis præfecti. nos Saluatori noſtro itidem mordicanté ſalem & amaram ingratitudinem retribuimus pro tam dulci ſuccino & ſucco doctrinæ ſuæ, quo peſtem & om-

nes venenatos ictus Diaboli à nobis auertit.

Intuentes itaq; beneficia Ieſu Chriſti, nequaquam ſuccumbamus in miſerijs & ærumnis, nec propter momẽtanea huius breuioris vitæ commoda, à veritatis norma deſciſcamus vel declinemus, ſed in patientia & fidei conſtantia corda noſtra contrita ad Deum erigamus, ac ſpe vitæ æternæ li-
, bentiùs paupertatis onus feramus. In-
„ tueamur miſerãdam faciem iſtorum,
„ qui ſuccinum ſub atra nocte, nudi, in
„ ſummo frigore, inſano & furibundo
„ mari eripiunt. nemo equidem ſine do-
„ lore iſta videre poteſt, dum videt vxo-
„ res iſtorum ſtantes ad littora maris,
„ & exiguo foculo ſtrato à ventis ignẽ
„ fouenteis: quæ pannis calefactis mari-
„ tos redeuntes è fluctibus, prope exa-
„ nimes amplectuntur.

Sed ad naturam ſuccini digredior, cuius differentiæ ad eos, qui volunt dici membra Eccleſiæ, optimè congruunt.

Digitized by Google

gruunt. Tria enim ſunt potiſsimum colorum genera, Candidum, pellucidum, & obſcurum ſeu confuſum, ac mixtum ex varijs coloribus. Huius obſcuri, cum maxima ſit copia & minima vtilitas, meritò ad Eſſæos & Epicureos conferri poteſt, qui ſunt inutile terræ pondus. ſicut enim huius obſcuri ſuccini glebæ, neq; ad medicinā neq; ad ornatum adhibentur: ita illi etiam neq; pietatis officia, neq; politias aut virtutem curant.

Perſpicuū ſuccini genus Phariſæis eſt ſimillimum. quemadmodū enim hoc pulcherrimè ſolet expoliri & elaborari ad ornatum ac venuſtatem, vt gemmas varias mentiatur: conſpiciūtur etiam in eo varia animalcula venenata, vt araneæ, quę natura ſua texunt telas reliquis inſectis, quibus inuoluunt & enecant ipſa. Eodem modo Phariſæi non tantum externa quadā ſpecie ac ſplendore reliquos omnes antecellere videri volunt: ſed nonnū-

Digitized by Google

quam dum externa iſta pulchritudine nobis blandiũtur, peſtilens quoddam in corde virus alunt, quo multorum teneras conſcientias legum laqueis, ceu telis aranearum, implicatas, enecant, nulla ſalutari medicina tempeſtiuè adhibita.

Candidum per omnia conferri poteſt verè pijs & veris Eccleſiæ membris, quę in fidei conſtantia & confeſſione nunquam à pura doctrina recedũt. horum numerus eſt perexiguus,
„ non ſecus atque candidum ſuccinum
„ inuentu eſt rariſsimum: quod etſi
„ prima facie ſordidum ac vile videtur,
„ ſicut & apud Romanos olim in nullo
„ fuit precio, tamen admirandæ virtu-
„ tes ei inſunt. Peſtem & omnia veneno
„ rum genera arcet. Aiunt ſtridere can-
„ didum, quãdo venenum ei ſuperfun-
„ ditur. Cordi perutile eſt ac tremori i-
„ pſius inſigniter medetur. propterea
„ miſcuerũt id veteres electuario è gem
„ mis. Confert calculoſis & dyſuria laboran-

borantibus. Ad partus difficultatem mulieres fatentur vix quicquam eſſe præſtantius. Siſtit ſanguinis profluuium, & menſium redundantiam. Doloribus dentium medetur. Catarrhis & deſtillationibus capitis, aliarumq́; corporis partium citiſsimè occurrit. Vuluæ procidentiam ſuffitu in locũ reſtituit. Roborat viſcera ac cæteras corporis partes. Siſtit ventriculi vomitum. Aëtius id propinare eſt ſolitus in dyſenteria. Marcellus Empiricus dicit, quod cardiacæ paſsioni ſit vtile, quam ipſe ſaliſſationem nominat, ſi in aqua coquatur ſuccinum, & in eo relinquatur: de qua aqua vult propinari duas vncias per triduum, idq́; medicamentum tam iumentis q̃ hominibus exhiberi. Solet etiam ictericis fieri ſuffitus ex cãdido ſuccino: & iiſdem tritũ in vino exhibetur, prẹſertim quando ex obſtructione cauſatur icterus.

Quemadmodum autem medica-

menta nunquam ſuas vires exerunt, niſi priùs aut contundantur, & in minutiſsimum puluerem reducātur, aut macerentur, aut vrantur. Sic pij, quanto magis ærūnis & calamitatibus ſubijciuntur, tanto magis ſentiunt præſentiam & auxilium Dei, qui per eos reſiſtit omnibus malis.

Illuſtre quoq; eſt de diuina beneficentia ac gratia, quod omnibus ęquè offeratur. Omne electri genus in candidum conuerti poteſt, ſi iuſtā in mari trahat moram. vetuſtate enim albedinem acquirit, dum à ſalſedine maris alteratur. Placuit ipſi Deo in imagine candoris paternè nobiſcum colludere pulcherrima conſolatione, cū inquit Eſaiæ primo: Dicit Dominus, ſi peccata veſtra fuerint vt coccinū, niue reddentur candidiora: ſin rubeāt inſtar purpuræ, ſicut natiua lana, alba erunt.

Dealbat nos Deus miſſo filio Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui ſuo ſacroſan-

croſancto ſanguine pro nobis effuſo, naturæ noſtræ ſordes & peccati caliginem abluit, mundat corda noſtra ſuo Spiritu ſancto in nos effuſo, donat nobis æternam vitam & iuſtitiam, ſanctitatem & puritatem in nos confert: vt mentes noſtræ, velut alba lana, vel politiſsimū ſuccinum, quod ſplendor ſolis excipit, nitere videantur.

Fragrantiſsimus autē candido ſuccino ineſt odor: quo reſtituit ſyncope, vertigine, vel epilepſia correptos: & quò candidius eſt, eò in medicina eſt præſtantius. Singularis etiam dulcedo ineſt candido: reliquis vel exigua, vel nulla prorſus. At niger Gagates inſignis amaritudinis particeps eſt, fœtet, & accenſus capitis grauedinem inducit aſtantibus.

Notatu dignum eſt, quod nigri ſuccini genus quoddam tunc temporis ad littora appellebatur, cū noua quędam hæreſis in Pruſsia exorta eſſet. Erat id liquidum, viſcidum, & lentū

„ inſtar picis nitens, ac teterrimi odo-
„ ris: quod cum à nobis antea non fuiſ-
ſet conſpectum, meritò videbatur no
bis ceu digito oſtendere hæreſin talẽ
exorituram, quæ ſuo fœtore multos
„ eſſet turbatura. Iſtud verò teterrimũ
„ bitumen ne commacularet & inuol-
„ ueret reliquas ſuccini glebas ſua vi-
„ ſcedine, inter eas non reponebatur,
non ſecus atq; manifeſti hæretici ab
Eccleſiæ cœtu excludendi ſunt.

Congruit autem venuſtè hæreticis
hoc bitumen. non enim colore tantũ
„ candido opponitur, ſed etiam inſigni
„ amaritudine & viribus, viſcedine ſua
„ inſtar viſci adhæret contrectantibus.
„ Et ſicut candidum ſuauem ſpirat o-
„ dorem, ita hoc fœtidiſſimũ eſt ac ſul-
„ phureo quodammodo ſucco dilutũ.
„ Veriſimile eſt etiã tale bitumen fuiſſe
„ in lacu Aſphaltite, vbi Sodoma & Go
„ morrha conflagrârunt in æternam di
„ uinæ vltionis memoriam. De quo la-
„ cu Aſphaltite ita ſcribit Diodorus Si-

culus

culus: Cum Aſphaltum lacus eſt ege- "
ſturus, ante vigeſimum & ſecundum "
diem apparent ſigna. Etenim circa ſta "
gnum ſtadijs pluribus fœtor à vento "
excitatus, proprium argento auroq; "
& æri colorem aufert. Propinqua lo- "
ca ex calore fœtoreq; lacus corrupta "
morbos afferunt incolis, & breuioris "
vitæ reddunt.

Talis eſt natura hæreticorum, vt vi ſcedine ſua multorum incautas animas inuolutas opprimant, & fœtore ac amaritudine ſua enecent. Sæpe can "
didum ſuccinum, quando in calidio- "
ri loco (qui flammæ expers eſt) diu- "
tius commoratur, amiſſo colore na- "
tiuo in nigredinem degenerat: non ſe "
cus atq; ij, qui pro candidiſsimis Eccleſiæ membris habentur, ſæpe à veritate ad hæreſin prauam deſciſcunt. Multi etiam ex candidiſsimo ſuccino "
varia efformari & effingi ſibi curant, "
vt cordis humani effigiem vel crucis. "
Eodem modo multi, qui ad venena "

Digitized by Google

hæreticorum depellenda erant ordinati, ſub prætextu crucis & calamitatum voluptates ſequuntur.

Hæc ideo dixi vberius, vt oſtenderem naturę inquiſitionem iucundam & vtilem eſſe in cõmuni vita, dignam homine Chriſtiano. Conſiderantes enim terrę naſcentium varias vices ortus & interitus, commonefieri debemus de humanę vitę fragilitate, ideóque nec efferri rebus ſecũdis, nec noſtræ vocationis metã tranſilire. Quiuis Deo placere & ſeruire in quouis vitæ genere poteſt, nec opus eſt fingere nouos cultus aut cæremonias nouas contra mandatum Dei. Non moueamur lacera Eccleſię facie, amemus ſimplicitatem in doctrina, & humilitatem in omni vitæ genere. Humilitatem certè ac gratitudinem amare diſcemus, ſi ſæpius naturæ hortum pia conſideratione ingrediemur, ac terræ naſcentium naturas intuebimur: ad quarum contemplationem nos ipſe

pſe Chriſtus deducere videtur, cum proponit nobis lilia agri, & ea dicit eſſe magis præclara quàm Salomonis ornatum. tanta eſt iſtius floris elegantia, tanta odoris fragrantia, tanta deniq; ipſius virtus in varijs morbis depellendis.

Et vt vnum adhuc vltimo addam, quàm illuſtre exemplum gratitudinis eſt in Helioſcopio & multis alijs herbis: quarum flores noctu claudũtur, interdiu verò ſole oriente rurſus aperiuntur, & quaſi geſtientes præ lætitia effundunt ſeſe erga vitæ autorem: & mox demiſſo & inclinato capite, ceu ſigno reuerentiæ, videntur agnoſcere & honore afficere autorem ſuum, dum omni tempore ad ſolis motum ſeſe componunt, ſolem recedentem proſequentes, & redeuntem excipientes.

Nos itaq; hoc exemplo commonefacti, flexis genibus agamus gratias Deo, quòd vnicum filium pro nobis

Digitized by Google

victimam eſſe voluerit, per quem nos à peccato, morte & faucibus gehennæ eripuit, ac voluit nos eſſe cohæredes regni ſui. Eundem oremus, vt in hac ſenecta mundi dirigat omnes affectus & conatus noſtros ad nominis ſui gloriam.

Quare æterne Deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor & conſeruator generis humani, patiens, bone, miſericors te oramus, propter filium tuum vnigenitum Dominum noſtrum, vt ita ſpiritu ſancto tuo regas nos, ne quicquam aliud cogitemus, quàm quòd hæc ſit vita æterna, vt cognoſcamus te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, Amen.

Digitized by Google

DE GENERATIONE SVCCINI, PEtrolei, ac reliquis bituminoſis ſuccis. Liber II.

PRæclarè dictũ eſt à principe philoſophorum: Propter admirationem & nunc & initio cœperunt homines philoſophari. Philoſophamur enim de ijs rebus libentiùs, quæ vel rariores ſunt: vel quæ propter venuſtatem & elegantiã, vel propter inſignem aliquem in vita vtilitatem apud peritiſsimos quosq; viros in admiratione ſunt.

Proinde mirum non eſt, tam multos ex veteribus etiam varia de origine Succini diligenter conſcripſiſſe: cum non tantum in re Medica maximum vſum habeat, ſed etiam ſua pulchritudine & varietate quemuis facile in ſui admirationẽ conuertat. Tam variè enim ludit natura hoc ſucco concreto, vt nunc Chryſolithũ, nunc

Digitized by Google

Carbunculũ, nunc Hyacinthũ, nunc Topazium, & reliquas gemmarũ differentias imitetur & exprimat, odoris fragrantia Thus & Myrrham ſuperet, mirabili quoq; modo paleas non ſecus ac Magnes ferrum attrahat.

De hoc quidem etſi multi præclarè diſſeruerunt, tamen cum ſubinde adhuc nouæ & quidem falſæ opiniones, velut ex equo Troiano proſiliãt, paucis veram ſententiam aperiam: nó enim minus philoſophię ſtudioſo indignum eſt, vera occultare, quàm temere de rebus iudicare.

Cardanus autẽ, ſummus alioquin philoſophus, cum non erubuerit nouam comminiſci opinionem, contra tot doctiſsimorum ſententiam, reprehenſione certè non caret. Nam & noua fingere artis non eſt, & eadem ſine rationibus conſtanter aſſerere, temeritatis eſt. At in vnius quidem falſæ opinionis aſſertione, cum plura abſurda induci neceſſe ſit, Cardanus ab vna

na opinione mox ad alteram reſiluit, priori ratione non ſatis firma. Cum enim dixiſſet primo ſuccinum ex maris ſpuma Oceani ſeptentrionalis gigni, ſicut Pytheas & Timæus concreti maris purgamentum eſſe voluerũt, mox ſeipſum corrigens non ex ſimplici maris ſpuma oriri (nam tunc maiori quantitate & vbiq; locorum colligeretur) ſed ex cetorum ſpuma prodire affirmat, tum quod in ijs locis, vbi Phocæ abundant, ſuccinũ vel ambra colligatur: tum quòd vbi Phocæ deſunt, nec ibi reperiatur ſuccinum.

Hæc ſi vera ſunt, tam facilè ei fuerat dicere Phocas vel fragrantia odoris allici: vel prædæ expectatione, maiori cum voluptate, ea loca vbi ſuccini ſunt ſcaturigines, amare & incolere. In Sudinorum enim Oceano, vix triginta à littore ſtadijs, ſereno cœlo, ſcintillare quiddam inſtar pellucidi bituminis in fundo maris piſcatores narrãt, quem in locum piſces magna

copia cõuolant, ſiue recreationis cau ſa, ſiue quòd inde alimentũ quærant. Omne enim bitumen pingue, aëreũ, & ſubdulce eſt: & ſuccinum quidem tam animantibus quàm hominibus ipſis eſſe ſalutare, experientia multos edocuit. Tantò autem & dulcius & alimento aptius bitumen eſt, quantò purius & liquidius fuerit: quãuis pro pter lentorem & viſciditatem piſces hanc materiam nõ concoquere poſ ſe, facilè crediderim, ſed aliqua ex par te alterare. Ideo M. Paulus Venetus aſſerit, id in balenis ad inſulã Madai gaſcar inueniri: nec Auicenna vel Pſel lus, qui in mare è fontibus effluere ſen tiunt, in piſcibus reperiri negant. Et Serapio ait, Ambram è terra, quæ ſub mari eſt, oriri, non aliter ac fungi ori untur ex ea quę eminet à mari: ipſámque partim fluctus & tempeſtatem v nà cum lapillis eijcere, atq; ita colligi in littoribus: partim piſces deuorare, quos cum interfecerint, ex ipſis exi-

mi

mi. Sed eam quæ in ventre reperitur, eſſe prauam: quæ iuxta ſpinam dorſi, meliorem. Sæpe etiam lacertæ, viperæ, vt Martialis dicit, piſces & oua piſciū, ſuccino incluſa, ac cum eo in lapidem mutata, reperiuntur. Ergo vel ſuaui halitu afficiuntur, vel ad alimẽtum capeſſendum alliciuntur: vel in pellucidum ſplendensq́; bitumẽ, nõ ſine calidis halitibus in maris fundū e terra ſcaturiens, cæco impetu feruntur, nõ ſecus atq; ſolent ſectari aquas ex ſolis æſtu & ſplendore illuſtratas.

Nequaquam ergo ex piſcibus generari poteſt, cum pinguedo vel ſpuma Phocarum nullo cognationis vinculo, ſuccino reſpõdeat. Abſurdum autem eſt quod addit, inquiẽs: Et quod aqua illa in tam pingui corpore concocta, aliquid ex eo, vt & in nobis vrina educit, ex cuius copia aliquid fieri neceſſe eſt, &c. Exile quoque argumentum eſt, quod Phocæ odorem caſtorei horrent, quod ſuccino contra

rium eſt. Veriſimile enim eſt, piſces ſagaciores non tantũ caſtoreo, ſed omnibus grauiter olentibus fugari.

Si autem Cardanus bituminis ſcaturigines in Mediterraneo vel Baltico mari prorſus nullas conceſſurus erat, tutius & maiori cum laude veterum ſententiam, qui ex reſinis arborũ dixerunt naſci ſuccinum, defendere potuiſſet. Eſt enim reſina arborũ ſuccus pinguis, aëreus & pellucidus inſtar ſuccini, qui flammam recipit & alit, nec ingratũ ſpirat odorem: perido neus quoq;, ratione ſuæ viſcedinis, animalcula & quæuis obuia recipere & amplecti: & quidem eadem materia concreſcere & indurari apta eſt.

Memini aliquando reſinæ ſpeciem iniectam in aquam vitrioli, cui alij aſtringentes ſucci erant mixti, coagulari, & duritiem ſuccini acquirere. Etſanè vidẽs aliquis tot formicas, muſcas, culices, araneas, aliaq; id genus animalia, ſuccino inuoluta, is haud facilè aliun-

liunde quàm ex arborum gummatibus deriuaſſe exiſtimabit. Vnde & ab Ariſtotele pro lachryma arboris eſt habitum. In quam ſententiam Dioſcorides etiam pedibus ire maluit, quàm quod ex Lyncis vrina natũ crederet. Nã quod Braſauolus putat, Dioſcoridem in eadem fuiſſe ſententia cum Demoſtrato, falſus conuincitur ex libro 7. cap. 73. vbi ſic inquit: Lyncis vrinam, quam Lyncurium appellant, ſimul ac excernitur glaciari coiréue in calculi duritiem vulgò creditum eſt. quare quod de ea proditum eſt, vanũ eſſe cóuincitur. quo certè in loco planè reijcere videtur Demoſtrati opinionem. Et idem libro 1. cap. 92. aſſeruiſſe videtur, cum dicit: Lachrymam populorum commemorant, quæ in Padum amnẽ defluat, durari ac coire in ſuccinum, quod Electrum vocant aut Chryſophorum, &c. cuius Ouidius ſecutus eſt ſententiam:

Inde fluũt lachrymæ, ſtillataq; ſole rigeſcũt

De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nurib. mittit geſtanda Latinis.

Aegineta quoq; ſuccinũ albæ populi lachrymam eſſe dicit, iuxta Eridanum fluuium effuſum & coagulatũ, aurei coloris. ſic enim ait: ἤλεκτρον, τὸ δὲ αἰγείρου δάκρυόν φασι κατὰ τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν ἀποχεόμενον, καὶ πηγνύμενον, χρυσοειδές. Mithridates verò è cedrino genere arborum naſci dixit, quod in petras defluens in mare deuolutũ rapiatur.

Nondum itaq; Cardanus veterum opinionem abſurdam fuiſſe oſtendit, cum vix vno atq; altero argumento fretus, ipſorum ſentẽtiam impugnet. Prorſus enim leue eſt, quòd dicit lachrymam arborum non bene elici in regione tam frigida, cum non minus in Septentrione ſint arbores reſiniferæ, quàm alijs in locis. Nam Sol ibi tempore æſtiuo, ſupra horizontẽ diutius quàm alibi cõmorans, vehementiores æſtus ciet, & maiori copia ex

ar-

arboribus reſinam euocat.

Priuſquam ergo Cardanus nouam opinionem induceret, debuerat oſtẽdere, quomodo ex bitumine ſuccinũ non poſſet generari, aut firmioribus rationibus niti, ſi ex arborum gummi non poſſe prodire demonſtraturus erat: quod ego quidem in præſenti conabor. nam reliquas opiniones falſas minimè opus eſt refutare. Quis enim Sophocli fidem adhibebit, dicẽti eſſe concretas lachrymas Meleagridum auium, Meleagrum deflentium? Diodorus Siculus libro ſexto capite octauo recitat fabulã de origine Succini talem: Scythiæ, inquit, quæ ſupra Galatiam eſt, oppoſita inſula in Oceano iacet nomine Baſilia: in quam tempeſtas electrum plurimum eijcit, nulla alia in parte orbis repertum. De eo quidã veteres fabulas ſcripſere haud dignas fide, & quæ à poſteris reprehẽſæ ſint. Nónulli enim tum Poëtæ tum Hiſtorici tradunt, Phaëthontem So-

lis filium, cum puer eſſet, petijſſe à patre, vt vnicum diem Solis currum regeret: illo aſſentiente, ſumpto curru, cum equorum frena regere nequiſſet, ab equis contempto puero, extra ſolitum curſum eſſe currum delatum: & primò cœlum equorum errore incenſum, circulumq́; qui galaxias dicitur eiuſmodi factum, deinde magnã combuſtam orbis partẽ. Quare commotum Iouem, fulmine tradunt Phaëthontem peremiſſe, Solemq́; in priſtinum redigiſſe curſum. Phaëthontem in fontes eius fluuij qui nunc eſt Padus, olim Eridanũ dicebant, decidiſſe. Eius mortem Nymphas fleuiſſe ſorores, dolorisq́; magnitudine mutatâ naturâ in populos fuiſſe verſas. Has annis ſingulis eodem tempore lachrymas educere, è quibus electrum fiat, reliquũ ſplendore ſuperans. Sed cum hi fabularum conditores à vero aberraſſe, à poſteris deprehenſi ſint, nos veram hiſtoriam ſequamur. Naſcitur electrum

Digitized by Google

lectrum in ea, quam retulimus inſula: cum verò ab incolis ad proximũ deferatur continentem, inde ad noſtra vſque apportatur loca. Hæc ille.

Herodotus lib. 3. in Thalia ſic inquit: De extremis autẽ Europæ, quod pro comperto referã non habeo. neque enim aſſentior fluuium quendã eſſe Eridanum à barbaris vocitatum, qui ſubeat mare ad Septentrionẽ ſpectans, vnde electrum venire narratur.

Hæc etſi veteres tum Poëtæ tum hiſtorici, tanquam fabulas lepidas propoſuerunt, tamen nihil aliud ſignificare voluerunt, quàm ſuccinum eſſe lachrymã populi arboris, cum Nymphas deflentes Phaëthontis mortem, in populos verſas dicerent.

Hanc veterum ſententiam non vanis rationibus munitam, etſi non facilè impugnauerim: diuerſam tamen ab iſta recitabo, liberum cuiq; conceſſurus iudicium, vt quiuis ipſe, quænam veritati magis conformis ſit, ponde-

Digitized by Google

rare & concludere poſsit. Cum itaque ſuccinum ex pingui materia conſtet, omnes pinguium ſuccorum differentias exploremus, quæ ad tres ordines vel claſſes referri poſſunt. Nam quę pingueſcunt, aut ex animantibus & ipſorum partibus orta eſſe, neceſſe eſt, vt στέαρ, πιμελὴ (id eſt, ſeuũ, adeps) & medulla oſsium: aut ex ſuccis reſinísue arborum vel plantarum: aut ex terrę ſuccis pinguioribus: pręter quas tres differentias haud quiſquam plures oſtendere poterit.

De animantium ſanè tam terreſtrium quàm aquatilium pinguedinibus certò conſtat, tam experientia quàm rationibus, nunquam eas in tantam duriciem coire poſſe vt lapideſcant. calore enim attenuantur & magis funduntur, quàm vt inſpiſſentur, quocúque elixationis vel aſſationis genere vſus fueris: frigore verò cogi & condenſari multò minus poterunt, cum ex calida, tenui, & aërea ſubſtantia cóflatæ

Digitized by Google

ſlatæ ſint: quæ præter exiguam conſi-ſtentiam, nullam amplius craſsitiem & firmitudinem admittunt aut reci-piunt. Abſunt enim partes terreſtres, quibus niti, adhæreſcere, & fortiter permiſceri tenuiores ad conſtituen-dam duriciem & compactionem de-bebant, quomodocunq; cauſas effi-cientes duriciem accommodaueris. Impoſsibile etiam eſſet, ex animantiũ pinguedinibus tantas colorum diffe-rentias oriri, quantas ſuccini ſpecies eſſe deprehendimus. Neque igitur ex Phocis neque ex alijs pinguedinibus ſuccinum generatur, ſed aut ex terræ pinguiori ſucco, aut ex reſinis arbo-rum, vel herbarum gummate ortum habet.

Ex reſinarum numero & claſſe ſuc cinum exterminare, haud factu facile aliquis dixerit, probaturus fortaſsis id ex colore, conſiſtentia, & odore, quodq; flammam facilè recipiat: ſic-ut & Cornelius Tacitus vnà cum alijs

concludit, cum inquit: Aeſtyi populi ad dextrum Sueuici maris littus, mare ſcrutantur: ac ſoli omnium Succinum, quod ipſi Gleſum vocant, inter vada atq; in ipſo littore legunt. Nec quæ natura, quæue ratio gignat, vt Barbaris, quæſitum compertúmue. Diu quinetiã inter cætera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria noſtra dedit nomen. Ipſis in nullo vſu, rude legitur. informe perfertur, preciumq; mirantes accipiunt. Succum tamen arborum eſſe intelligas, quia terrena quædam, atq; etiam volucria animalia, plerunq; interlucent: quæ implicata humore, mox dureſcente materia, cluduntur. Fœcundiora igitur nemora lucosq;, ſicut Orientis ſecretis, vbi thura, balſamaq; ſudantur: ita Occidentis inſulis terrisq; ineſſe crediderim: q̃ vicini ſolis radijs expreſſa atq; liquentia, in proximum mare labuntur, ac vi tempeſtatum in aduerſa littora exundant. Si naturam ſuccini

admo-

admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alitq́ flammam pinguem & olentem: mox, vt in picem reſinámue, lenteſcit. Hæc ille.

Verùm, ſi quis hæc ſingula exacta collatione ponderet, is facilè ſe conuinci patietur. Si enim ex arboribus vel alijs plantis deſlueret, tunc vel ex vnius, vel diuerſorum generum arboribus deſtillaret. Si ex vnius, ſiue populi, ſiue pini, ſeu cedri, impoſsibile foret, eam tot colorum ſpecies aſſumere: impoſsibile quoq; foret, in tanta copia ſudare arbores, in quanta ſuccinum reperitur. Sin ex diuerſis arboribus vel plantis, tunc vires ſuccini quoq; non minus variarent, quàm diuerſarum arborum reſinæ, quæ nó diuerſas modò, ſed contrarias ſæpe vires ſortiuntur, cum ſuccini differentiæ viribus nunquam pugnent.

Reſinis inſuper vel omnibus vel pleriſq; certè amaritudo quædam ineſt, quam defugerent potius animalia &

inſecta: & ſanè rariſsimè reſinis vel gummatibus inuoluta ea conſpiciuntur, ſuccino autē ſæpiſsime. Præterea ſæpius in ſuccino inueniuntur cortices, folia vel alia arborum adnata: pro quibus non ſemel vidi veram Melanteriam, chalcitida, & alias ſubterraneas res, ſicut oſtendit mihi clariſsimus medicinæ Doctor, dominus Iohannes Pontanus, præceptor meus chariſsimus, & optimè de me meritus. Rondeletius itē celeberrimus & medicus & philoſophus, dicit ſe habere charabe extractum ex montibus Pyrenæis: in cuius altera parte ſit Charabe, in altera Gagates lapis. Accedit ad ea quod in tantas maſſas & glebas reſinæ nunquam ſua ſponte confluere poſſunt, cum eæ ſenſim reſolutæ ſolis æſtu deſtillent vel in rotundos globulos, vel per interſtitia cohęreant. In ſuccini verò maſsis (quæ ſua quantitate ſæpius humani capitis magnitudinem excedunt) partes partibus

bus tam ſolidè affixæ ac firmiter compactæ ſunt, vt non ſolis æſtu, ſed maiore caloris gradu liquefactam & perfectè mixtam ſuccini materiam intelligas, & quaſi eodem temporis momẽto genitam; quæ ſi ex arboribus per vices ſudantibus ortum duxiſſet, alias figuras & formas quoq; ſortiretur. Et vt omnia vno verbo dicam, non odore, non ſapore, non viribus vnquam conueniunt bitumen & reſina: huius enim ſpeciem quandam, cum arte inſtar lapidis duratam examinarem, nihil iſtorum referebat.

Poſtremò cum ad Pruſsiaci maris littora, vbi ſuccinum colligitur, nec populi, nec aliæ arbores in toto iſto tractu conſpiciantur, nec quidem in oppoſitis littoribus Daciæ & Sueciæ creſcant, & propter maris ſalſedinem fortaſsis alimentũ ibi habere nõ poſſint, Succinum nequaquam erit δάκρυον, nec ῥητίνη, nec κόμμι vllius arboris, vt vetuſtas exiſtimauit: ſed neceſ-

ſariò generabitur ex pinguiori terræ ſucco.

Huius quidem, cum duo ſint genera, ſulfur & bitumen, ex alterutro iſtorum vt electrũ proueniat neceſſe eſt. Huic quidem cum illo nihil commune eſt. conſtat enim ſulfur ex incineratis terræ partibus, parum quidem oleoſis, ſed vehemẽter aduſtis: quod pondus, ſiccitas & friabilitas, necnõ odoris nidor & graueolentia produ͂t. Succinum verò, cum pinguius, magis tenue & aëreum ſit, temperato calore coctum & à natura elaboratum, viribus à ſulfure longiſsimè diſsidens, neceſſariò ex bitumine originem ducet: quod non tantum odoris fragrantia & vires teſtantur, ſed fontes etiam varij coloris bitumen effundentes, ex quibus multiplices ſuccorum pinguium formæ proſiliunt & enaſcuntur: eæq; vel liquidæ permanent, vel concreſcunt ac condenſantur.

Priuſquam autem de generationis modo

modo dicam, paucis loca vbi inuenitur, perſtringam. In Germania reperitur in ijs Oceani littoribus, quæ ſunt inter Sueui amnis & Viſtulæ oſtia, ſed rariús. Cornelius Tacitus (vt iam recitauimus) ſcribit, ipſum in ſuo littore Aeſtorum gentes legere.

Audiui quoq; Iſlebię, Succini maſſam humani capitis magnitudine inuentam, vbi vetuſtior fodina conciderat in ſe, ac ruinam fecerat, per quē locum aquæ ſalſæ ſcaturigines ferebantur. Eſt ibi lacus etiam, quem propter inſignem aquæ ſalſedinē ſalſum vocant: in eum, ſi retia piſcatorum altiùs immittuntur, prorſus aduruntur, non ſecus ac ſi flamma fuiſſent concremata.

Nicias in Aegypto naſci ſcribit eodem modo, quo in Europa naſcitur. Theophraſtus verò in Aethiopia: Xenocrates quoſdam putaſſę in Numidia: Aſurabas, qui vixit Plinij tempore, tradidit iuxta Atlanticū mare eſſe

Digitized by Google

lacum Cephiſida, quem Mauri vocãt electrum. In Pruſsia verò, in littore Pucici ſinus, nõ longè à cœnobio, quod appellant Oliuam, effoditur, vbi arenarum cuniculi, quibus obrutum fuerat ſuccinum, diducuntur, vertũtur, ac ſuccinum eximitur: interdum remotiùs à littore eruitur. Et tunc foſſores ſatis amplas foſſas agunt, quadrãgulares pleruncꝫ, non tamen multum profundas. In fundum foſſæ palos aliquot acuminatos, magno conatu demittunt, atcꝫ hinc & illinc palos manibus ducunt fortitercꝫ commouẽt, vt hoc modo fundum fouearum & foſſarum pertundant, ac ſatis ampla foramina relinquunt. Id vbi ſæpius factitarunt, palos extrahunt: ſubſequitur & ſcaturit ſtatim aqua, qua cum ſimul etiam Succinum, ſi quod latebat ac tectũ erat, eructatur. Tum reticulis foſſam totam aqua impletã explorant, & Succinum extrahunt.

Inuenitur etiam in lacu quodã remotiſ-

motiſsimè à mari remoto, vbi veteris & nobilis familiæ Truthſiorũ à Wetzhauſen pagus eſt, qui diſtat ab oppido Raſtenburga tribus (ni fallor) miliaribus: lacus is profundiſsimus eſt, in quem ſi altiùs piſcatores demittũt retia, Succinum vnà extrahunt.

Ante annos ſex prope Regiomontem, cum herbas in ſylua quadam, ad Piſcinam (quam maiorem vel ſuperiorem appellant) inquirerẽ, reperi fungos duos candidiores, quibus à terra remotis ſuberat bitumen purpureum & pellucidum, conſiſtentia reſinæ terebinthinæ ſimillimum, odoris ſuaui tate mira præditum. Id tamen nó profundè in terram deſcendebat, nec vera ſcaturigo ſuberat, ſed ex anguſtioribus terræ poris, velut in aceruum, ad pollicis craſsitiem, collectum exploraui. arbores longius erant diſsitæ, vt reſinam dicere non poſſes, terra verò ex qua eructabatur bitumẽ, pinguior glebosa, viſcida, nigra & ponderoſa

erat. Vnde equidem nó erubeſcerem cum Nicia aſſerere, talem ſuccum terræ pinguiorem Solis radios interdũ ex terra elicere. quæ ſententia etſi Agricolæ diſplicet, tamen Nicias ſimili fortaſsis edoctus experiẽtia dixit. Talis terra pinguis, nigra & ponderoſa, & ita lenta vt vomeribus vix ſatis ſit peruia, eſt in peninſula Sudinorum, cuius terrę ſuccus fortaſsis bituminis materia ſit poſt varias coctiones & alterationes, quas à calore ſubterraneo ſuſtinet. Pruſsia enim non caret ignibus ſubterraneis, cum variæ pyritidũ aliorumq́; metallorum ſpecies in ea inueniantur: Eſt itidem veriſimile ad littora Sudinorum ignem ſubterraneum cótineri. adeſt enim pinguedo terræ, quæ poteſt fieri alimentũ ignis. adeſt etiam terræ denſitas à fluctibus maris impreſſa, quæ calorem cogere poteſt, ne erumpat vel diſsipetur. Tertio cauitates quoque ſubeſſe veriſimile eſt, in quibus calor vel ignis ſubter

raneus

Digitized by Google

raneus recipiatur, foueatur & conſeruetur. maritimæ enim terræ omnes pertuſæ ſunt, magis quàm mediterraneæ aut remotiores à mari. ac plerunque habent laxos & patentes alueos: intra quos etiamſi aqua recipiatur, tamen non extingui ignẽ illum neceſſe eſt in noſtro litore. nam iſtius bituminis natura eſt, vt ſemel accenſum, aquæ interuentu magis ardeat: oleo verò, vt quidam putant, reſtinguatur. Liquefactum igitur bitumen, interno terræ calore, vel ſponte per ſuos alueos in mare fluit & extillat, vel mare lambẽs ſecum ex venis terræ effert & educit, vel copiâ ſuccedentis ſucci protruditur atque egeritur. Interim verò, dum in mari denſatur atque coagulatur, frigus exprimit tenues & oleoſas partes, quę in ſuperficie aquę inſtar olei fluentes ad iſta littora tranquillo mari non ſemel viſæ ſunt: reliqua materia craſsior fundum obtinet: non ſecus ac fit in deſtillationi-

Digitized by Google

bus per deſcenſum, vbi oleum aquæ ſubiectæ innatat. Id verò, quod craſſum, fœculentum, ac nigrum bitumẽ eſt, ſubſidet in imo aquæ. Simile nigrum, viſcidum & lentum bitumen, vel crudum Succinum, ante paucos annos, cùm in noſtro Sudinorum littore præcipitium montis in mare deuolutum eſſet, maiori in copia, quàm vnquam antea reperiebatur, fortaſsis quòd ibi terrâ fluctibus maris dirutâ & remotâ, venæ Succini factæ patentioris ſcaturiginem ſubeſſe, quæ tamẽ hactenus nondum explorari potuit, illud demonſtraret. Dum verò ſic liquidum eſt Succinum, mirum nõ eſt diuerſa genera vermium, muſcas, culices, & alia pleraque inuolui: dum vel ſuauiori halitu afficiuntur, & fluitanti materiæ inſident: vel dum in ſpecubus ſubterraneis exhalatione acriori ſuffocati, concidunt & implicantur maſſæ liquidæ. Veriſimile quoq; eſt in canalibus iſtis excauatis, nõ tan

tum

tum in imo fluere bitumen, & velut ex vna ſcaturigine erumpere: ſed hinc inde veluti ſudante terra, vndique in tota cauitate parietes ſpecuum obliniri, quibus & inſidere & inhæreſcere tam volitantia quàm repentia facilè poſsint.

Quoniam verò calida & humida loca putrefactioni ſunt in primis obnoxia, in ſubterraneis iſtis cauitatibꝰ omnis generis inſecta, quæ ex putrefactione fiunt, generari dubium nō eſt. Nam & anfractus varios in illis cauitatibus non abſurdè ſtatuere poſſumus, qui puriorem terram dulci aqua permiſtam contineant: quæ vel quiete vel halitibus incaleſcens, putreſcit, & generandis animalculis materiam ſuggerit.

Porrò quemadmodum Succini oleum vetuſtate ſe ipſo craſsius fieri & inſpiſſari quodammodo vidimus, poſteaquam tenues & igneę partes exhalarint: ita enim ætate lenteſcit, vt ad

Digitized by Google

bituminis liquidioris conſiſtentiam redire videatur: ita dixerim puriſsimum Succinũ, & quod maximè pellucidum eſt, in ſpecubus ſubterraneis ex oleoſis bituminis vaporibus altiùs ſublatis generari. Etſi verò multi petroleũ ſeu naphtham craſſeſcere poſſe negant (quod oleo ſuccini odore, ſapore, conſiſtentia, colore & viribus reſpondet) tamẽ & arte quadã, & peculiari naturæ opificio inſpiſſari poſſe facilè dixerim.

Quemadmodum autem multiplices petrolei differentiæ ſunt, ita multiplici quoque & vario diſcrimine, ꝓut materia purior, tenuior vel craſſior eſt, colorum differentiæ in Succino generantur & prodeunt. Pellucidi varij gradus & ordines fiunt, non tantum pro humoris dilutione, & materiæ multipliciter variantis ſubtilitate: ſed etiam pro intenſione aut remiſsione caloris: & prout vel à flamma, eaq; nunc puriori vel impuriori, vel

vel ab exhalatione tantum bitumen reſoluitur. Dilucidior enim & purior fit color, quo citiùs reſolutum bitumen, aquæ, preſertim frigidiori miſcetur: quæ caloris impetũ moderatur, ac ſpiritus efficiẽtes corpus diaphanum, ne reſoluantur, coërcet, tollit denſitatem atque inæqualitatem. Ab aqua enim oriri pellucidum colorem indicant gummata. ea namq; ſi diſſoluantur in aqua, magis perſpicua fiũt.

Si item aqua incaleſcens, vnà cum bitumine elixatur, tunc tenuior aqua iſtâ coctione abluet & exteret tum terreſtres tum igneas quoque partes: ita vt bitumen, quod antea rufum fuit, aſſumat aqueum colorem: ſin verò nigro & opaco fuit colore præditũ, in purpureum primò conuertetur, mox in ruffum, & per varios rubedinis gradus in aureum, ex aureo ad cryſtallinum eò propius accedet, quò crebrius vapore tenuiori ac copioſiori elixabitur, ac iterata coctione

Digitized by Google

expurgabitur.

Ea coloris tranſmutatio manifeſta eſt in artificiali elixatione, tam in naphtha quàm oleo ſuccini, quę per deſtillationem ex nigro in aureum, ex hoc rurſum in candidum mutantur colorem. Eſt enim triplex oleum Succini, ſicut & ipſa Naphtha vel petroleum triplex in Italia conſpicitur.

1. Nigrum oleum fœtidum eſt, terreſtribus partibus toſtis aliqua ex parte permixtum: liquido bitumini ſimile, tenuius tamen & fluidum, conſiſtentia ab oleo lini parum diſsidens: fit autem tale, quando per deſcenſum violento igne deſtillatur.

2. Secundum ruffeſcens, vel aureo colore imbutũ. quod in Retorta extrahitur, prorſus diaphanum eſt, ſicut illud in opaco vix ſuppurpuraſcens. priore eſt & tenuius multò, & tam ſapore quàm odore ſuauius.

3. Tertium album, vel aquei coloris: quod tale fit, ſi ex prioribus duobus

bus alterum affuſâ aquâ in balneo Mariæ vt vocant, diligenter ſublimando eliciatur. Eſt autem hoc inter omnia tenuiſsimum & præſtantiſsimum, ad omnis generis obſtructiones aperiendas peridoneum, ad epilepſiam, paralyſin, vertiginem, calculum tam veſicæ quâm renum, accommodatum.

Hæc tria olei genera, præſertim vetuſtioris, cum igneæ partes euanuerunt, prorſus reſpondent Naphthæ. Nam album petroleum quod Meianæ ſcaturit, eſt melius cæteris, odoratius & ſubtiliorum partium.

Nigrum verò Aſphalti odorem refert, craſſum & fœtidũ, quale eſt Bulgaricum vel Naphtha Bulgarica. hoc enim ſupra modum tetrum ſpirat odorem ad Aſphaltum accedentem. Tertia Naphtha ruffa eſt, media conſiſtentia ac viribus inter reliqua duo genera. Prouenit hæc ex mõte Celite, de qua ſic ſcribit Bellonius: Huius naphthæ ruffæ ſcaturigo ex terra multũ

Digitized by Google

lapidoſa, ſuam originem ducit: quæ in ſibi ſubiectam foueam excauatam in imo antri deſcendit. duo nempe ſunt meatus ſibi coniuncti, ad quorum latera qui ad dexterã eſt, aquam mittit paulatim manantem: alterqui ad ſiniſtrum latus eſt, guttatim oleum diffundit, &c. Oleum hoc paulatim deſtillans, pondus triginta vnciarum, quod bocalis menſuram æquat, non excedit in die, æſtate ſeſquibocale, vbi mons Solis feruore incaluit: hyeme dimidium bocale. Aqua quæ cum oleo deſtillat, clara eſt & lympida, aliquantulum ſalſa: cuius ſalſedo multo remiſsior eſſe cõperitur quàm eius quæ in Laxiſſa Troadis thermis deguſtatur. Oleum hoc nuſquam per ſeſe viſum eſt emanaſſe, ſed ſuperficiei aquæ innatat. Illud collecturi aquam ſcopis quatiunt, oleúmque in quendam angulum cogunt, túncque conchis, vel cucurbitis vel ſitulis alijsq; vaſculis excipiunt, ſi copioſum

ſin

ſin paucum, alis anſerum, linteolis, alijsq́ rebus quibus facilè adhæreſcit.

Cæterùm ſicuti hoc ruſum petroleum, vel quod lutei coloris eſt in aqua, ex ſale vſto mixta, maceratum, agitatum & concuſſum albeſcit, & lacteo colore imbuitur: Ita veriſimile eſt puriorem & tenuiorem olei vel bituminis partem non tantum ſalſedine maris ſordes exterentis ablui, macerari & attenuari, ſed etiam dealbari: & hac eadem ratione condenſatū quoque Succinum cuiuſcunque coloris fuerit, in candidum poſſe conuerti, ſi diutius modò in mari cómoretur, qua mora ipſius materia exactiſsimam adipiſcatur coctionem.

Candidum enim ſuccinum eſſe vetuſtiſsimum probant, tum friabilitas, tum leuitas, quæ raritatem partium à ſalſedine maris exeſarum comitatur. nam quo candidius eſt, eo quoque ſolet eſſe magis leue & friabile. Nec aliam ob cauſam hoc genus Succini

inuentu eſt rariſsimum, quàm quod in mari non ſatis iuſtam moram trahit ad perfectionem coctionis ſufficiẽtem. At quòd interdum in eadem maſſa partes aliæ candidiores ſunt, aliæ pellucidæ, in cauſa videtur eſſe vel diuerſitas materiæ tenuioris, in quas liquidâ materia adhuc exiſtẽte, dum multum ſalſedinis miſcetur, partibus ijs inducit albedinem, reliquis pellucidis propter maiorem viſciditatem nihil ſalis admittentibus, vel ꝙ pars craſsior citiùs coaguletur, condenſata ſalſedine exteratur ac dealbetur: tenuior verò genuino & pellucido colore non ſimul cum illo deſtituitur, ideo quod nõ ſimul coiuerit, nec ſalſedinem alterantem eodem tempore receperit, repugnante nimirum maiori viſcoſitate: cuius notas firmior pellucidi compactio & addenſatio ſuggerit, ſicut candidioris materiam rariorem fuiſſe friabilitas oſtendere poteſt. Nec ſemel vidimus eandem maſ-

ſam

Digitized by Google

ſam ſuccini partim concretā, partim adhuc liquidam, & hanc ceu turgentē ſpiritibus viſcoſis pellucidiſsimā, illam obſcuriorē & poroſam, ideoq́; ad albedinis aliquē gradum accedentem. Variāt itaq́; gradus in eadē maſſa, prout craſsiores partes tenuibus miſcentur, quæ mixtio fit in ipſa ſcaturigine, fortaſsis tum, quando calor per ebullitionem attollit craſsiores partes, vel quando ex diuerſis & variantibus venis materia confluit & cōfunditur: ſic interdum nubes vel aliæ imagines apparent.

Candidum ſuccinum itaque rariſſimè videmus eſſe foſsile, quòd à craſſa & terreſtri ſalſedine impreſsionem nullam ſuſtineat. Reliquæ etiam differentiæ tantò rariores inuentu ſunt, quantò facilius calor bituminoſos ſuccos, qui ſine calore ſubterraneo generari nequeunt, depaſcitur & adurit.

Quare videmus in ijs locis, vbi ſuc-

Digitized by Google

cinum foſsile eſt, aquam ſimul contineri, qui calorem arcet. Experientia teſtis eſt, pellucidum Succinum calida exhalatione citra flammæ adminiculum nigreſcere, ac arte quodammodo in Gagaten conuerti.

Bituminoſi igitur ſucci quo ſunt nigriores, & ex craſsiori ſubſtantia conſtituti, eò maiori caloris impetu reſoluentis & depaſcentis aëreas ac oleoſas partes, exiſtimandum eſt eoſdem eſſe torrefactos: quanto autem plus ij aduruntur, tanto magis ſulfureo ſucco imbuuntur.

Primi generis ex his eſt Lithãthrax Germanis dictus Steinkol, vocabulo ex lapide & carbone compoſito, ceu lapideus carbo. Eſt autem talis carbo foſsilis inter omnia bituminoſa maximè ignobilis & omnium deterrimus, nullius in medicina vſus. Fabri ferrarij & ærarij carbonum vice illis vtuntur, qui verò ſubtilia opera efficiunt, his non vtuntur, propterea quod ſua pingui-

Digitized by Google

pinguitudine inficit ferrum & fragile facit. Eodem bitumine hi quos ligna deficiunt, cibos coquunt: caldaria, in quibus hyeme degunt vitam, calfaciunt, vrunt calcem. Mixto oleo tritus hic carbo emolliri poteſt, quo quidē agricolæ vites oblinūt, quod vermes illarum oculos rodentes interficiat.

Sunt autem duplices tales carbones, leues ſcilicet & rari, vt aquæ nonnunquam innatent, propter terrę excoctionem. Hos Theophraſtus γεώδεις dicit. Deinde ſunt & graues, qui effodiuntur in agro Leodienſi, qui dicūtur λιθώδεις. Græci ἄνθρακας vocāt.

Porrò omnes conſtant ex materia prorſus craſſa terreſtri, ita aduſta, vt partes aëreæ abſumptæ ſint, & ſi quid oleoſum ac pingue reſiduum, id non niſi ſulfureum & nidoroſum quiddā ſpirat. Veriſimile autem eſt non ſimpliciter calido & ſicco halitu, ſed interuentu ignis ſubterranei inflammatum hoc bituminis genus naſci, quod

non vno in loco videre eſt. nam in Miſenæ celebri monte carbonum, qui abeſt à Zuicca oppido paſſus duo millia quingentos, venam carbonum reperientes plerunq; ardere comperiunt: vbi carbones quos ignis abſumit, terra in caminos incidente, extincti in nigrum puluerem mutantur: qualis etiam videtur eſſe qui vltra Nigrũ fluuium eſt per ſolitudines, quòd ex eo emineant exuſtę cautes, quod Suetonium Paulinũ prodidiſſe autor eſt Plinius. Scribit quoq; præſtantiſſimus philoſophus Georgius Agricola, ardere partim igne ſubterraneo carbones foſſiles in ea Britanniæ ſiue Albionis parte, quam à Scotis Germanis, qui in inſulã immigrarunt, Scotiã appellamus, effodi ad vigeſimũ lapidẽ ab Edinburgo in loco Ericeti Deiſertij, quẽ areã carbonũ nominat. Sic etiã Ardẽs collis, dictus ita quod quondã arſerit, tale bituminis genꝰ nobis ſuppeditat: ſitus is eſt inter pagũ Culmã

&

&oppidulũ quod nomẽ habet ex accipitrũ genere quos falcones nominamus, in tribus Elbogani locis circa Satelũ pagũ, & ad quintũ lapidem à Dreſda Miſenæ oppido, qua itur Friburgũ ad dexterã. Effoditur idẽ bitumẽ in Samo vt Xenocrates: iuxta Liguriã, vt Theophraſtus ſcribit: in Theſprotia: in Elide qua itur Olympiã per montẽ. Hos carbones Galen. deſcribere videt̃, cũ inquit: Lapides tabularũ inſtar latos & nigros, ac qui in ignẽ impoſiti, flammã exilẽ emitterẽt, multos ex Cœle Syria apportaui, generatos in colle, q̃ mare q̃d mortuũ appellãt, circundãt, & quidẽ ab ortu, vbi & bitũmen gignit̃. odor etiã eorũ lapidum erat ſimilis bitumini. Sine dubio aũt calidæ altiùs ſub colle iſto bituminoſo manãtes, bitumen abradũt & liquefaciũt, idq́ in lacũ, in quo exiliũt, effundũt. Ad ſecũdũ genus referri poteſt terra γαγάτης, itẽ terra ampelitis & pharmaticis, quas puto, ni fallor, eſſe

friabiliores, ſed pinguiores & minus compactas. De hac Dioſcorides viſus eſt loqui, cum ita dicit: Optima eſt nigra exiguis piceæ carbonibus ſimilis, aſſulatim ſubſciſsilis, æqualiter ſplendens: quæ, ſi quid olei inſpergitur, liqueſcit. Sed fortaſsis hæc à priori parum differt.

Ad tertiam claſſem Piſſaſphaltum referrem, cum retorrido & graui conſtet halitu. nomen autem habet ex pice ac bitumine, non quod ex vtraque conſtet, ſicut Plinius exiſtimauit, ſed quod vtrunqꝫ oleat. Miſcetur tamen interdum pici bitumen, quod Vergilius voluiſſe 3. Georgicorum videtur, cum ait:

Idæasq; pices, nigrumq; bitumen, &c.

Plinius dicit bitumen pici mixtũ, eſſe præcipuum ad ſcabiem pecorum remedium, aut ſi fœtus mammas læſerit. Saxones verò miſcẽtes axungiam veterem, ea bituminis lentorem temperãt, vt alij picis. Bellonius dicit Piſſaſphal-

ſaſphaltum foſsile nullius eſſe ad medicinam virtutis, ad nauigia tamen illinenda, maximi prouētus in Epidauro inter Aſlon & Epidaurū (quę nunc dicitur Ragouſa.) Eliquari hoc etiam poteſt, ſi cum alio oleoſo miſceatur, vt adipe vel oleo. nam eouſq; ſiccum eſt & retorridum, vt per ſe nunquam lentitiam ſequacem conſequatur.

Quartus ordo Gagati debetur, qui Piſſaſphalto nō eſt diſsimilis, ſed multo nigrior & durior. A carbone foſsili differt, non tam materia quàm cauſa efficiente. nam Gagates denſior, ſolidiorq; euaſit, fortiori mixtione humidi cum ſicco facta, nō violento caloris impetu, ſed exhalatione tantūmodo ſine humore ſenſim aſſante & excoquente humidum oleoſum. Videtur autem materia Gagatis eſſe ſimilis bitumini, quod ſubſidere ſolet in aqua, dum ſuccini oleum deſtillatur. id reſoluto tenui & oleoſo inſpiſſari nō tantum incipit, ſed nigreſcit, ſplen

Digitized by Google

detq́ʒ inſtar picis, cui colore & conſiſtentia ſimilis fit, quæ materia ſi iuſto frigoris gradu induraretur, ex eo fieret gagates. Talem prorſus materiam in noſtro littore inueniri dixi antea, quam ſiue quis crudum ſuccinum dicat, ſiue Piſſaſphaltum, non contendo. Suauitate odoris ſuccino quidem non reſpondet, nec colore ſimilis eſt, niſi quod interdum in nigredine purpuraſcit, ſed plus pinguium ſpirituū tamen in ſe continet quàm Gagates. Manibus tractatum, ſtatim molleſcit, inſtar picis digitis adhærens: leui deinde frigore rurſus ad priorem conſiſtentiam redit. Gagaten verò Gale. lib. 9. ſimp. ſic deſcribit: Eſt & alius lapis colore atro, qui vbi igni admotus fuerit, perſimilem bitumini odorem exhibet, quem Dioſcorides, nonnulliq́ʒ alij in Lycia inueniri prodiderūt, ad fluuium nomine Gagatem, vnde & ipſi lapidi nomenclaturam dicunt inditam. Plinius itidem lib. 36. cap. 29.

lapi-

lapidem gagatem nomen habere à flu uio teſtatur, & loci & amnis Gangis Lyciæ meminit, & in Leucola expelli mari atq; colligi. Nicander in Theriacis ſuis, Engangin & Gangitin vocat, à Gange Lyciȩ ciuitate, vbi nidore docet gagatẽ fugare ſerpẽtes, propter odorẽ bituminis. Aiunt aquis accendi gagatẽ, eundẽq; reſtingui oleo: Vnde Dioſcor. docuit præferendum in gagatum genere, qui celeriter accendatur, & odorem reddat bituminis.

Effoditur etiã Gagates Sedunis in Gallia. Hunc Solinus quoq; in Britannia reperiri commemorat: itẽ in inferiori Germania, maximè in ditiõe Leodienſi, & in eadem ad Aquiſgranũ.

Thracius lapis cum niger ſit, vt Euax Maurus ſcribit, & accẽſus odorẽ bituminis ex ſe emittat, adeò prauũ & acrẽ vt nullæ animantes, aut ſerpẽtes in eo loco manere poſsint, veriſimile eſt hũc aut eundẽ eſſe cũ gagate lapide, aut ex materia eadẽ quidẽ, ſed

Digitized by Google

paulò craſsiori cōſtare, præſertim cū tantus fœtor nō inſit Gagati qualis in lapide Thracio requirit. Nicandri interpres dicit eſſe bitumē quod lapidis modo cócreuerit. Aqua inſperſa, ꝑinde ac bitumen, dilucidiùs ardet ac exurit: oleo reſtinguit, teſte Nicādro & Dioſcoride. Inuenit in flumine Scythiæ cui Ponto nomen eſt. Dicitur autem poëtice Threicius.

Agricola Obſidianū lapidem eundem quoq; eſſe credit cum Gagate, quod nigerrimi coloris ſit & tranſlucidi interdum, & quod in parietū ſpeculis pro imagine vmbras reddat. Sed Plinius inter vitra retuliſſe videtur: ergo non eſt bituminoſum quiddam.

Samothracia inſula, inquit Plinius, eiuſdem nominis gemmā dat nigrā, ac ſine pondere ligno ſimilē. Eſt itaq; nihil aliud quàm Gagates politus. tribuit enim ei Plinius colorē ſimilē, eandem leuitatem, & ligni ſimilitudinē.

Ad bituminoſos lapides etiā aliæ

gem-

Digitized by Google

gemmæ referri poſſunt. Antachates enim cum vritur, myrrham redolet. ſic & Aromatites, qui ex odoris præſtantia nomen inuenit, myrrham redolens, ex bitumine conſtat, teſte Plinio. traditurq́ ab eo gigni in Arabia & in Aegypto circa Piſas. Vbiq; lapidoſa, & myrrhæ coloris & odoris: ob id reginis frequentata.

Myrrhites quoq; gemma quæ myrrhæ colorem habet, attrita nardi odorẽ ſpirãs, exiſtimatur eſſe bituminoſa.

Catochites Corſicæ lapis impoſitã manum velut gummi retinet.

Lipare itidem pinguis eſt. adhæreſcit enim ad manum. huius ſuffitu omnes beſtiæ euocantur.

Sed hæ omnes & ſimiles gemmæ non ex puro bitumine conſtant, ſed alijs quoq; ſuccis ſubterraneis mixtæ ſunt. Succinum verò non niſi ex mero & puriſsimo bitumine generari hactenus copioſè oſtenſum eſt.

FINIS.

Digitized by Google

DE BITVMINE ET COGNATIS EI, NAphtha (id eſt, vulgi petroleo) Piſſaſphalto, & Electro, Corollarium.

EGREGIO VIRO VALERANDO DOVREZ FLANDRO Inſulano, pharmacopolæ Lugdunenſi, artis ſuæ & omnis ſimplicium medicamentorum generis cognitione excellenti, Conradus Geſnerus S. P. D.

CVM typographus cuperet chartam hanc repleri, vt Epiphanij De gemmis XII. libellus, à charta noua inciperet, ſicut & alij ferè in hoc volumen coniuncti, (quod conſultò factum eſt, vt quem vellet quiſque priore aut poſteriore loco poneret) pro Corollario addidi pereruditi cuiuſdam medici ad me Epiſtolam, non de Succino ſolùm, ſed de omni Bitumine (cuius Succinum certè ſpecies eſt) & tuas etiam de Auernico Bitumine obſer-

obſeruationes. Id verò quicquid eſt tibi dicare volui amiciſsime Valerande: quoniã Aruernici bituminis magnam à te copiam iampridem accepi: cuius muneris tui tempeſtiuè me hæc adornantem reddita mihi Epiſtola tua admonuit: qua cum etiam alias plantas raras, in Italia & Iſtria, marinas præſertim, à te collectas longinquis peregrinationibus tuis, pro liberali tuo in me amore, dono mihi miſiſti: & THERIACAE antidoti, quã nunc paras, nobiliſsimæ ſpecimen: hoc eſt, ſimplicia aliquot medicamenta, quæ in eius compoſitionem requiruntur pulcherrima aliquot lectiſsimaq; addidiſti: vnde ego tanquam ex vngue Leonem, vt aiunt, iudicans, antidotus tota, qualis ſit futura, hoc eſt, optima perfectiſsimaq;, qualis hodie ſanè rariſsima reperitur, facilè conijcio. Siquidem tu in omni ſimplicium pharmacorum genere, multis iam annis incomparabili ſtudio & diligentia diuerſis in regionibus, Germaniæ, Galliæ, Italiæ atque Iſtriæ es verſatus: & vndique amicos habes per quos optima quæque medicamenta

Digitized by Google

facilè tibi comparas, & Lugduni clariſsimorum medicorum Dalechampij & Bauhini mei præcipuè, familiaritate frueris: & fide ſingulari (quam non ſyncerior modò & Chriſtiana, ſed omnis penè religio poſtulat,) nihil non facis. Vale: & hoc mei erga te mutui amoris tantillum teſtimonium boni conſule.

Tiguri anno milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimoquinto, tertio Calend. Iulij.

EX

EX DOCTISSIMI CVIVSdam Galli medici ad me Epiſtola, Aruernici Bituminis deſcriptio: deq́; Naphtha & Electro quædam.

QVod de Aſphalto & eius vſu me rogas, quantũ memini, reſpondeo: inter Claromontẽ ex ruinis Gergobiæ ſtructam, & Montemferrandi Aruernorum, hãc oppidum, illam ciuitatem, miliari tantum à ſeinuicẽ diſtantes, ad extremam pratorũ oram collem eminere, aridum, lapidoſum, cuius ſolũ nigricat: ex eius radice fontem proſilire, aquâ tribus digitis non altiore. eodem cauo vnde fons emicat, Bitumen fluere, aquæ, principio, innatãs, adipis vel olei modo: ac tum id eſſe veram Naphtham: poſt temporis ſpatio ſpiſſari glutinis inſtar, & ſic tenax fieri, vt ſi vſquam inhæreat, deleri auelliq́ minimè poſsit. tum ſcilicet verum Bitumen eſſe: quale miſi. Eo Babylonis muros, calcis vice, Se-

miramis ædificauit. Haud procul fontis ſcaturigine vetuſtiſsimum ſacellum adhuc extat, parietibus ea materia compactis, ſtructura tam firmâ & durâ, vt quouis cemento [*arenato, vel intrita, Germani* Pflaſter, *quaſi emplaſtrum vocant*] validius reſiſtat iniuriæ temporis, ac hominum. Progreſſu tẽporis tum ſole reſiccatum, tum aquis verberatum, ſic Bitumen coit, vt Pix videatur, ac tum verum Piſſaſphaltũ eſt, nempe concretũ Bitumen, quod, vt Pix, obduruit. Tale Bituminis appellatione, in Seplaſijs nonnunquam ſyncerum vænit, at ſæpius adulteratum. Germanum & legitimum circa eius fontis margines hinc inde copioſum reperitur. Totus circumiectus tractus graue neſcio quid & bituminoſum olet: nec procul diſsita rupes eſt, è qua Petroleum nigrum manat, vt ideo non abs re quidam exiſtimarint eum totum agrum Bitumine ſcatêre. Equi, fontem aut eius riuum prætereun-

Piſſaſphaltum verũ durum.

Digitized by Google

tereuntes, æſtate præſertim, tanquam vi detenti, hærent, & in bitumine veluti fixi, viſcoq́ obliti reſiſtunt, nec inde ſe extricare queunt. Bitumen vêre largiùs, & æſtatis ſqualloribus effunditur. Areſcit rubetq́ gleba propinqua aut bituminis cõtactu, aut aquæ bitumen euehentis. Incolę vocant Picem aquaticam, & ad ſcabiem pecoris, ſignandos notis atris greges, arturum in pecudibus glutinandas fracturas vtuntur. Experimento mihi certiſsimo compertũ eſt, bituminis ſuffitu, ſiue crudum ſit, ſiue vratur, mulieres vtero ſtrangulatas extemplo reuocari. Quamobrem nonnulli fœminarum collo, quæ ei morbo ſunt obnoxiæ, lanâ exceptum appendũt, vt crebro olfactu, ſuffocationis paroxyſmum arceat. [*Nos etiam catapotia iij. vel iiij. ex Aruernico illo bitumine, dedimus vtiliter in colico affectu: & in vteri ſtrangulatu, in quo tamen caſtorium efficacius deprehendimus.*] Serpentes quoq́ eius ſuf-

Pix aquatica.

Digitized by Google

ſitu fugari vſu cognitũ eſt, nullo prorſus iuxta eius ſcaturiginem ſtabulante, aut immorante. Electrum Bituminis genus eſſe veriſsimũ duco. Argumento eſt gleba mihi viſa, dimidia ex parte Gagatis, dimidia ex parte Electri. [*Hanc apud clariſsimum medicum Guilielmum Rondeletium eſſe audio.*] Gagates autem bitumen eſt in terræ viſceribus longa annorum ſerie duratum, ac reſiccatum. Effoſſa porrò ea gleba fuerat, in monte quem incolæ vocant Buguerat, ditionis Archiepiſcopi Narbonenſis, in fodinâ quã nominant Cuquet, prope oppidulum dictum Quillat. Vt autem nigrũ vel flauum bitumen eſt, ſic & Naphtha (vulgi Petroleum) nunc atro colore ſplendet, qualis Aruerna: nunc luteo vel candido nitet, qualis Saxonica, & quę ex vicinis Balthico mari regionibus ad nos mittitur, vnde & Electrum adferunt, vaniſsimis eorum ſcriptis, qui ex arboribus ſtillare prodiderũt, gũmi

mi modo. Quocirca nec repræhendendus Philemon qui in Scythia foſſile eſſe tradit, nec Pytheas qui Balthici electri non ſatis explicatam hiſtoriam confuſe docet: atque adeò nec Nicias qui Indici Electri meminit. id verò Anymũ eſſe tecũ arbitror.

EX EPISTOLA TVA AD ME, ANTE *biennium ferè Lugduno data.*

PAucis ab hinc diebus ex Aruernio ſum reuerſus, quam res nouas deprehendendi ſtudio, iam ſecundo luſtraui. Ex ea peregrinatione mitto tibi Piſſaſphaltum, Naphtham, & Bitumen: quod etiam Gergoniæ (quæ Aruernis nunc Clarus mons dicitur) in fonte quodam ſuburbano naſcitur. Cuius fontis aqua ſimulatque e-

Digitized by Google

rupit, concreſcit in lapidem, vti vero vultu indigenæ affirmant: adeò vt per ſe pontem fabricata ſit, quem ego hiſce oculis vidi. Mea quidem ſententia non indureſcit aqua: quę ſubflaua, guſtu fatuo, nauſeam mouens, tepidaq; eſt: ſed inaudita quædam aquæ admixta materia ad id miraculi edendum effunditur. Eius lapidis fruſtum tibi mitto. Quod ad Aſphalti originem pertinet, ſcias, velim cliuũ extare non admodum editum, aliquot rupibus exiguæ molis aſſurgentem: in quibus medij inſunt duo fontes, qui ſubatræ aquæ non multum emittunt, cum copioſa Naphtha: quæ primùm in Aſphaltum, deinde in Piſſaſphaltũ, tandem in Gagatem conuertitur. In imo monticulo eſt & alius fons, qui parum quidem Bituminis eijcit, at multò vberiorem aquam, quæ Solis æſtu indureſcit in ſalem candidum.

FINIS.

Digitized by Google

VALERII CORDI SIMESVSII DE HALOSANTHO SEV SPERMATE CETI VVLGO DICTO, LIBER, NVNC PRIMVM IN LVCEM AEDITVS.



TIGVRI M.D.LXVI.

Digitized by Google

CL. V. D. ANDREAE PELLIZERO CArintho, Medico præſtantiſsimo,

[redacted]

S. P. D.

CVM De foſsilium rerum & lapidum differentijs libellos aliquot nouos, vno volumine procudendos, typographo patrueli meo tradere ſtatuiſſem, commodè accidit (vir clariſsime) vt pulcherrima è Succino tornata opera, à te & genero tuo excellenti doctrina & pietate viro, D. IO. VVEIDNERO, Euangelij in Eccleſia Dantiſcana miniſtro, dono miſſa mihi redderentur: quæ quidem non immeritò longè gratiſsima mihi fuerũt. Nam & ipſa per ſe munera, ſiue materiam ſiue artificium ſpectem, perquàm ſpecioſa ſunt: & à viris tantis hæc eſſe profecta, qui tanta locorum intercapedine diſiuncti, & ad piam animorum coniunctionem & optatiſsimum mutuæ amicitiæ fructum tam ſuauiter me inuitant, vel ipſis muneribus maius gratiusq́; mihi extitit. Animus enim, vt aiunt, munerum

Digitized by Google

optimus eſt. Et ſicuti hoſtium qualiacunque aut quantacunque dona, non dona nec vtilia, veteri Græco ſenariolo rectè iudicantur: ita quæ à veris amicis conferuntur, maxima minimaq́;, no[illegible]ul & vtilia eſſe: & in eiſdem maximi animus æſtimatur. Quod ego cum reputarem, & in horum (quos dixi) librorum æditione, Valerij Cordi ſcriptum de Haloſantho ſe mihi offerret, te illi patronum eligere, (ſi non in ſententia eius, induſtria ſaltem & voluntate approbanda,) & hoc qualecunq; ἀντίδωρον redamantis te ac obſeruantis gratiq́; pectoris teſtimonium exhibere, & ſub tutelari nomine tuo in lucem emittere volui. quod tu (vt ſpero) æqui boniq́; facies: & amicitiã noſtram, cuius acceptiſſimum initium tibi ac pijſsimo genero tuo debeo, in poſterum quoq; conſeruabis: quod ego viciſsim, vt par eſt, faciam. Viſum eſt autem mihi hunc Cordi libellum nunquam antehac æditum, rectè hoc loco poſt duos Gœbelij de Succino collocatum iri: cum ſicuti Succinum, ita & Haloſanthos è mari legatur. Illud quidem inter res marinas & foſsiles ambigere

bigere videtur, vt ad vtraſque referri poſſit: hoc ad marinas ſolúm. Mihi verò occaſionem qualemcunq; arripere, vt non ingratam tibi voluntatem [redacted] probarem, libuit. Eoq; [redacted] cet alienum fœtum tibi dicatum mittere volui: vt te iudicem ſimul ac cenſorem Cordi ſententiæ conſtituerẽ, tuumq́; iudiciũ de veteri geniture ceti dictæ nomenclatura, & in vniuerſum de remedijs eius obſeruationes abs te peterẽ: quæ ſi cõmunicare mihi, publicæ vtilitatis ergô, dignaberis, ſecundæ aliquando huius libelli cum Deo editioni futuræ adijciam. Tu enim qui doctrina & iudicio excellis, ac longo tempore medicinam Dantiſci (quod priſcis Gedanum fuit, nobiliſſimum hodie totius Germaniæ Emporium) ſumma cum laude factitaſti, de re marina iudicare præ cæteris potes.

Accepi autem hunc librũ ante biennium primùm à clariſſimo & doctiſſimo theologo D. GE. ÆMYLIO, paſtore Stolbergæ in ditione generoſorum Comitum à Stolberg, & Eccleſiarum in eadem Superintendente vt vocãt: deinde à præſtantiſſimis me-

dicis D. VVOLFGANGO MEVRERO, qui Lipſiæ artis medicæ profeſſor eſt, & D. HIERONYMO HEROLDO, qui eandem Norimbergæ exercet: quos omnes hon[redacted]quam viuos amiciſsimos, & de me cùm aliâs, tum huius libri mihi communicati beneficio, optimè meritos. Eum ſi maturiùs habuiſſem, cum reliquis eius operibus (copioſis & eruditis in Dioſcoridis libros V. de mat. medica Annotationibus, Deſcriptionis ſtirpium libris quatuor: Sylua obſeruationum circa diuerſa medicamẽta ſimplicia, metallica aliaq;, & De artificioſis extractionibus ſeu deſtillationibus libro, &c. quæ ſimul Ioſias Rihelius Argentinæ ante quadriennium ferè meâ operâ ædidit) aut certè cum quinto Deſcriptionis ſtirpium eius libro, ſeorſim poſtea ædito, adiungi curaſſem. Sunt autẽ apud me adhuc eiuſdem authoris Deſcriptiones accuratiſsimæ piſciũ marinorum, numero ſexagintaſex: Venetijs ante annos vigintiquinq; ferè ab eo conſcriptæ: quas itidem alio tempore vbi cõmodum fuerit, Deo iuuante, cum alijs quibuſdam ad

Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoriam animalium pertinentibus, in lucē dabo. Vale, & doctiſsimo viro D. Vveidnero genero tuo officioſam meis verbis ſalutē dicito: ac promptum in me ad omnia quæcunque eius nomine præſtare potero officia, animum ei perpetuo fore pollicetor. Cupio etiam peramāter ex me ſalutari D. IO. PLACOTOMVM medicum & pharmacopœum pereruditum: & HENRICVM MOLLERVM ſcholæ Dantiſcanæ Rectorem, poëtam ſanè doctum & caſtum. Salutat te cū genero clariſsimus vir D. HENRICVS BVLLINGERVS Eccleſiæ noſtræ paſtor pientiſsimus. Tiguri, pridie Kalend. Iulij. Anno M.D.LXVI.

Digitized by Google

DE HALOSANTHO LIBELLVS: Valerio Cordo authore.

SI quis etymologiam Halòs antheos inquirat, duplicem inueniet interpretandi occaſionem. ſignificat enim tam maris quàm ſalis florē. Nam Græcis ἅλς, cui genitiuus eſt ἁλός, mare & ſal vocatur: ἄνθος verò iiſdem idē eſt quod Latinis flos. Vtroq; itaq; vocabulo nominatum medicamen ancipitem interpretationem offert.

Quòd Haloſanthos nō ſit flos ſalis.

Quòd ſi ſalis florem interpreteris, neceſſe eſt hoc medicamentū eſſe cuiuſcunq; ſalis florē, hoc eſt, tenuiſſimam, candidiſsimam atq; optimam ſalis partem, ſiue hæc in eam naturam ex muria in ſalinis cocta tranſierit, ſiue in ſalis fodinis ſponte effloruerit. At quoniam huiuſmodi ſalis flos nō in mari gignitur, vt Haloſanthos: ſed aut in ſalinis fit, aut in foſsitij ſalis cunicu-

niculis naſcitur, ſubſtantia rarus, tenuis, leuis, atq; colore cādidiſsimus, neceſſe eſt quod Haloſanthos huiuſmodi ſalis flos non ſit, quippe cum etiam ſubſtantia plurimùm differat. ſal enim atq; ipſius flos ſicciſsimā & terreſtrem habent ſubſtantiam: Halòs anthos verò, pinguem, aëreamq;, atq; in oleo (aliarum pinguedinum modo) diſſolubilem, quæ proprietas à ſale eſt quàm alieniſsima. Cum itaque hoc medicamentum tanto interuallo à ſale eiusq; flore diſtet, non immeritò Plinius culpandus eſt, & omnes eius ſectatores, quòd Halòs anthos ſalis florem ſunt interpretati. Nam ipſe Plinius qualis & quid eſſet verus ſalis flos, libro 31. cap. 7. manifeſtè declarauit, ſtatimq; ſubdit: Et flos quidem ſalis in totum diuerſa res humidiorisq; naturæ, &c. ipſum medicamentum, quod Halòs anthos vocatur, abſq; vllo dubio intelligens. non enim Græco huius medicamenti nomine, ſed

Plinius reprehenſus.

Digitized by Google

Latina eius interpretatione eaq́ falſa vtitur. Quapropter cũ ſatis demonſtratũ ſit, Halòs antheos appellationẽ ſalis florem minimè interpretandum fuiſſe: veniamus ad alteram huius vocabuli etymologiam à mari ſumptam, atq; hoc medicamen non ſalis, ſed maris florẽ interpretemur. quod ſi fiat, rurſum nobis occurrit ambiguitas, cum marini floris appellatione diuerſę res iudicari poſsint. aut enim ſic propriè appellamus apricis ſcopulis fluctibus aſperſam marinam aquam atq; in raram ſpumoſamq́ lanuginẽ ſole exiccatam & immutatam, & ante Halos anthos caput à Dioſcoride Haloſachnem nominatam. Aut metaphoricè, cuiuſcunq; generis maris purgamenta, quę alibi fimi, alibi vt in Pomeranico Germaniæ mari, muci ſpecie expuuntur, à nobis Germanis Meerblůmen, id eſt, Halòs anthos, vel maris flos appellata. Cum autẽ dupliciter marini floris appellatio accipi

Maris flos.

Haloſachne.

Meerblůmen.

pi

pi poſsit, inquirendum iam nobis eſt, vtrũ Halos anthos ad Haloſachnen, hoc eſt proprio modo vocatum maris florẽ, an ad maris purgamenta metaphoricè floris appellatione nominata, referendum ſit. Si igitur Halos anthos propriè vocato maris flori, id eſt, haloſachnæ adſcribes, æquè peccabis, ac ſi ad ſalis florem in ſalinis excoctum referres, & abſurdum quiddam committes. ſequeretur enim Halòs anthos idem eſſe cum marino flore, id eſt, Haloſachne: atque ipſe Dioſcorides ignorantiæ inſimularetur, quòd eandẽ rem bis duobus ſequentibus capitibus deſcripſiſſet, à qua opinione ſibi quilibet caueat. Nam quemadmodum Halos anthos à ſalis flore diuerſiſsimum eſt, ita etiam à maris flore, id eſt, Haloſachne quàm plurimùm differt, vt quilibet ex trium iſtorum medicaminum definitione & deſcriptione æſtimare, colligere, & manifeſtè videre poteſt. Qua-

Haloſanthos differre ab Haloſachne.

Digitized by Google

Haloſanthos vnde dictum.

propter neceſſariò iam ſequitur Halos anthos æquè metaphoricè marinum florem appellandum eſſe, ac alia maris purgaméta. Animaduertentes enim veteres, medicamentũ hoc, non alio modo, fluctibus in littus atque marina ſtagna eijci, quàm etiam reliqua maris purgamenta, atq; efflorescentias (vt ita loquar) metaphoricè flores appellatas, eidem marini floris nomen indiderunt, opinantes marini purgamenti genus quoddam eſſe. Hæc opinio multa ſecula durauit, donec longè poſt Plinium atq; Arabes medicos ſerior ætas multorũ annorum experientia cognouit, huiuſmodi medicamen marinis paludibus innatans balænarum, id eſt, maximarum maris belluarũ, quas generis vocabulo Cete vel Cetos vocant, genitale ſemen eſſe: quod à maſculo Ceto emiſſum fœminæ locos ſubterfugit, aut ex iiſdem poſt coitum rurſus (vt fit) elabitur. Poſtquam itaq; ad huius medi-

Quòd ſit ſemen balænarum.

medicaminis originem ventũ eſt, cœpit ſperma ceti appellari, obliterato paulatim Halos anthos vocabulo. Hinc orta ignorantia eſt, quod neſcimus, quidnam ſit veterum Halos anthos, & ſub quo nomine apud veteres noſtrum ſperma ceti lateat. Porrò hæc de propria huius medicamenti interpretatione, per quam ipſius rei cognitionem cõſequimur, dicta ſint. Nunc autem, vt quid, qualéue medicamentum Halos anthos ſit, indicemus, neceſsitas requirit. Principio itaq; dicimus, atq; omnibus tam medicis quàm pharmacopolis notũ eſt, nullum prorſus haberi per totam Europam, Halos antheos nomine medicamentum, ipſumq; vocabulum nuſquam auditur. Nec vllus eſt ad hunc vſq; diem ex recentioribus medicis quotquot Dioſcoridem, Galenũ, Aeginetam, Aëtium & Plinium ſequuti ſunt, qui nouiſſet, qualenam eſſet Halos anthos medicamentum: quã igno

Haloſanthos veterũ quid eſſet hactenus incognitum.

rantiam optimis illis & clariſsimis viris vitio vertere magnum nefas duco. Rerũ enim nomina Deus bone quàm immutata ſunt. plurima nanq; medicamenta adhuc habentur, quibus olim longè aliud, quàm nunc eſt, nomen fuit, quo fit vt pauciſsimæ res cognoſcantur, quoties genuina earum nomina apud veteres probatos autores leguntur. Conſideranti autem mihi, cum ſæpius hoc caput legiſſem, quidnam eſſet Halos anthos, in mentem venit medicamentum hodie ab omnibus pharmacopolis & medicis ſperma ceti, Germanis verò Walrat appellatũ Halos antheos deſcriptioni per omnia conuenire, ne vnica quidem reclamante nota: quamuis aliquot ex ijs minimè reſpondere videantur his, qui ſperma ceti, quale in pharmacopolijs habetur, intuentur: quiq; ignorant cuius ſubſtantiæ, cuius ſaporis, cuiusq; coloris ſit, cũ adhuc mari innatat, aut cum, quale per ſe eſt

Se primũ quid eſſet, nempe ceti ſperma, inueniſſe.

ſe eſt in mari, collectum fuerit. Porrò quo facilius ad rei cognitionem perueniamus, ipſum Dioſcoridem ſua de Haloſantho verba reſonantem audiamus, quæ ſi ſimpliciter interpreteris, hæc ſignificant: *Maris flos defluit Nilo* " *fluuio, innatat autē ſtagnis quibuſdam. Pro-* " *batur ad crocum inclinans colore: aliquantu-* " *lum graui odore veluti garum, interdum e-* " *tiam multo grauiori, ac guſtu mordacior, &* " *ſubpinguis. Immixta verò rubrica adultera-* " *tus, aut grumos habens, vicioſus cenſendus* " *eſt. Incorruptus etiam oleo, ei ſe commiſcen-* " *do, reſoluitur ſolo: fucatus verò, ex parte etiā* " *aqua.*] Hactenus Dioſcorides ipſam " Halos antheos eſſentiam, & eſſentiæ inſitas qualitates diligēter deſcripſit. Sed quoniam hoc caput mancum eſt & intellectu difficile, operæprecium me facturum exiſtimo, ſi ſingulas huius medicamēti notas ſpecie tantum obſcuras, annotatiunculis illuſtrauero, principio ab ipſis natalibus ceu principe nota ſumpto: *Maris flos de-*

Digitized by Google

fluit Nilo fluuio.] Nouerũt omnes quæ ſit inter marinam & fluuialem aquam differentia, illa ſiquidem murię inſtar ſalſa eſt, hæc verò dulcis omnisq́; acrimoniæ expers: niſi ſingularis quędam cauſa eam medicatam reddat, ceu alumen, ſalſa terra, atq; alia eiuſmodi. Si itaq; (vt Dioſcorides ſcribit) Halosanthos Nilo defluit, neceſſe eſt quod in Nilo gignatur. Sed quoniam Nili vnda dulcis eſt, rem ſalſam gignere nequit: in quo ſi naſceretur atq; in alijs fluuijs, veteres proculdubio fluuiorum florem hoc medicamen nominaſſent. Cum autem à mari nomen illi indiderũt, ſequitur quòd res ſit marina, & non in fluuijs nata. Hinc colligimus, aut Dioſcoridem falsò hoc ſcripſiſſe & minimè exploratum habuiſſe, aut aliquid orationi deeſſe, quod potiùs credendum eſt. Nam Plinius, cuius ętate minùs corruptus hic autor fuit, libro 31. cap. 7. quamuis omnia verba huius capitis interpretatus

Quòd nõ defluat è Nilo, ſed defluere videatur.

tus ſit, nihilq́; omiſerit ex his quę Dioſcorides de Haloſantho tradidit, non tamen ſimpliciter reddidit, *Defertur Nilo*: ſed, *Videtur deferri.*] Hinc apparet Dioſcoridem non ſcripſiſſe καταῤῥεῖ, ſed δοκεῖ καταῤῥεῖν, id eſt, vt Plinius vertit, videtur defluere, aut deferri, & ſic nota hæc optimè conuenit. Inuenitur enim hoc medicamentum vt plurimum ijs locis, quibus magni fluuij ſe in mare exonerant, cuius rationem mox indicabimus. Sequitur in textu: *Innatat autem ſtagnis quibuſdam.*] Plinius pro ſtagnis, fontibus: Vergilius Marcellus, paludibus: Ruellius verò, lacubus vertit, maxima inter fontes, paludes, & lacus differentia: cum fontes in mediterraneis ſcaturiant. Paludes vliginoſę limoſęq́; ſint, & aquã minimè profundam, ſed in latitudinẽ diffuſam habeant: lacus verò mediterranea, concaua lataq́; loca ſuis aquis apud ſe ſcaturientibus compleant, & ex ſe riuulos emittant. Apud Dioſco

Λίμναι, hîc ſtagna maris.

Digitized by Google

ridem autem λίμνας legitur: quæ vox neq; fontes, neq; paludes, neq; lacus significat, ſed ſtagna. Et ſi verò λίμνη vocabulum etiam paludem quibuſdam ſignificet, hoc tamen loco non dulcium aquarum, ſed maris paludes intelligendæ ſunt. Propterea nullus eorum hoc vocabulum rectè interpretatus eſt. Eſt enim Halòs anthos res marina, ideoq; neq; fontibus, neq; paludibus, neq; lacub⁹ familiaris. At ſtagnum ſtantem & tranquillam, tam marinam, quàm fluuialem aquam ſignificat, fluuiorum inundatione aut marinis tempeſtatibus in lata & concaua loca, humilioresq; & profundos ſinus effuſam. non enim tantùm fluuij ſtagna faciunt, verumetiam ipſum mare locis quàmplurimis. Hinc Virgilius quoq; tranquilliora & altiſsima maris loca, quandoq; ſtagna appellat. Suntq; hoc capite ſtagna intelligenda non à fluuiorum inundatione facta, ſed è mari effuſa. Cauſſa autem, quod

quòd Halòs anthos marinis ſtagnis & fluuiorum oſtijs innatat, eſt, quòd huiuſmodi loca alijs littorum partibus multo humiliora ſint. Fluuij enim defluendo valles & campos maximè decliues ſequuntur, donec mari humillimo loco appropinquantes ſe in id effundãt. Cùm verò omnia grauia & liquida ſua natura deorſum tendant, neceſſe eſt etiam mare in huiuſmodi decliues cauitates ferri, ſecũq; innatantia rapere, maximè eo tendentibus æſtu & fluctibus: qui multis in locis contra rapidiſsimorum fluuiorum impetum effuſi, atq; in eorundẽ alueos irruentes, ipſos fluuios multorum milliariũ ſpacio retro repellunt, illatas herbas, purgamenta, conchas, atq; alia ſibi innatantia interdum in alueo, interdum in ripa, aut vtroq; loco, dum recedunt, relinquentes: inter quæ nonnunquam etiam ipſum Halòs anthos inuenitur. quod ſi in alueo relictum fuerit, ſtatim poſt æſtus di-

Halòs anthos cur circa ſtagna maris & oſtia fluuiorũ frequentiùs inueniatur.

ſceſſum vnà cum retenta fluminũ vn-
da rurſus in mare defertur: quod fre-
quenter in magnorum fluminum o-
ſtijs contingit: quales apud nos ſunt
Rhenus, Albis, Viſurgis, Viſtula &
Danubius. At quia Nilus hos, omnéſ-
que alios totius Europæ fluuios ma-
gnitudine excedit, ſolo Danubio qui-
buſdam excepto, ſinusq́; facit ſeptẽ,
longè abinuicem diſtantibus oſtijs,
ſpacioſiſsimos, æſtui marino facilli-
mum acceſſum præbentibus, neceſſe
eſt Halòs anthos in eius oſtijs frequẽ-
tius & copioſius inueniri. Cernenti-
bus itaq; veterib⁹ Nili accolis Halòs
anthos eo quo dixi modo Nilo de-
fluere, viſum eſt illis non à mari fluuio
illatum, ſed è longinquo delatum, v-
nà cum Nili vndis delabi, quam opi-
nionem iam multis argumentis & de-
monſtrationibus confutauimus. Vi-
detur etiã huic orationi aliquid deeſ-
ſe. vetus enim Dioſcoridis interpres
non tantùm interpretatus eſt ſtagnis
inna-

innatãs, ſed ſtagnis veluti pinguamen innatans, quæ vox non parum facit ad huius medicamenti inueſtigationem. nam noſtri etiam nautæ ſperma Ceti rei alicui comparaturi, dicunt liquidi ſepi, aut adipis, aceruatim in mare effuſi ſpeciem præ ſe ferre, quã notam ſucceſſu temporum è Dioſcoride librariorum incuria excidiſſe rationi conſentaneum eſt. *Probatur ad crocum inclinans colore.*] Eligebatur olim atq; optimum cenſebatur Halos anthos, quod ad croceum colorẽ vergeret: nunc verò ſperma ceti, quò cãdidius fuerit, eò præſtantius exiſtimatur, & longè pallido præfertur. Obijciat ergo aliquis: ſi Haloſantho croceus eſt color, ceti verò ſpermati candidus, atq; vtrunq; excellentius cenſetur, quod hos colores habuerit ſynceriores, quomodo Halos anthos idem cum ceti ſpermate eſſe poteſt? Cui breui reſponſo obiectum argumentum diluam. Olim Halos anthos

Pinguamẽ

Haloſantho qui color.

Digitized by Google

reponebatur qualiter è mari collectũ fuit. Hodie verò collectũ ſperma ceti certa ratione, & non cuiuis cognita arte, lauatur, donec omni ſalſa acrimonia eluta etiam croceum palloré deponat: quemadmodum cera, quæ quamuis & ipſa citrina ſit, colorem tamen ſuum crebra lotura atq; eliquatione exuit, candorem contrahens. Ipſum enim ſperma ceti, dum adhuc mari innatat, dumq́; quale collectum fuerit reponitur, colorem habet croceum aut citrinum, quod quamuis ſępius mihi à nautis & mercatoribus relatum eſſet, credere tamen non volui, donec ipſe quoq; collectũ vidiſſem. Cum itaq; poſtea eius medicamenti nondum loti colorem inſpexiſſem, ipſumq́; ſæpius attrectaſſem: & omnes eius qualitates ipſamq́; ſubſtantiam conſideraſſem, dictis illorũ fidem habui. Propterea non eſt quod hæc nota quæ ad colorem attinet, aliquem in dubitationẽ inducat, cum

etiam

etiam in loto ſpermate ceti interdum pallor ad dilutum crocum inclinans appareat: quod fit, cum nimia vetuſta terancorem mutato ſimul colore cõtrahit: aut ſi longo tempore mari innatet, antequam colligatur: *Aliquantulum graui odore veluti garum, interdum etiam multo grauiore.*] Diſcuſſa quæ à colore ſumpta eſt nota, ad eam, quæ ab odore ſumit, ſermonem vertamus. Debet autem ſyncerũ Halòs anthos gari odorem habere: quòd ſi multo grauius virus olet, à bonitate recedit. Sciendum verò eſt, quid reuera ſit garum. quidam enim hodie coctorũ piſcium ſimplex ius ſic appellant. quidã eorundem ius croco tinctum & ichthyocolla, id eſt, piſcium glutine (vel aliter) coagulatum, garum eſſe cõtendũt, ſed falsò, multumq́ à veritate aberrantes. Appellatur enim vetuſtis & probatis autoribus garum generali ſignificatione, ſale conditorum quorundam piſcium, carniúm ve, ius ex

Odor.

Garũ quid.

ipſo ſale, & piſcium aut carnium ſanicoſo humore diſſoluto, eiq́ immixto, conſtans. Plinij poſtea ætate Romani hanc vocem ad piſces tantùm, eorumq́ inteſtina ac viſcera ſale macerata transtulerunt, ipſam viſcerum ſaniem vnà cũ reſoluto ſale tabeſcentem, & aliquantulum grauem odoré ſpirantem, garum appellantes, cuius plures & diuerſas ſpecies luxus excogitauit. Nobis verò in Germania aliquot gari ſpecies ſunt, inter quas bonitate excellit quod ex ſale macerato Hæringo fit: quod ſi olfacias, ſtatim colliges, qualis Haloſantho ſit odor. Quod autem interdum Halos anthos odoris grauitate garum ſuperat, cauſa eſt inueterati rancor. corruptâ enim ipſius ſubſtantiâ, neceſſe eſt quoque ipſa accidentia inſeparabiliter inhærentia vnà corrumpi, ex quorum numero etiam ipſe odor eſt. ſi igitur emunctæ nares conſulantur, nemo ibit inficias, candidum & lotum ſperma

ma Ceti, garũ odore æmulari, idemq́ ſi vetuſtius & rancidum fuerit longè grauius virus olere. *Ac guſtu morda-* Sapor.
cior.] Omne Halos anthos guſtu mordax eſt: quo verò mordacius, eo excellentius. Porrò mordacem illam acrimoniam duplici de cauſa ſortitum eſt. habet enim ſubſtantiam pinguẽ, tenuem, & aëream, quæ eius qualitates calidæ ſunt, & facilè in rancorem vertuntur: ideoq́ per ſe & propter accidentem rancorem, acrimoniam ei tribuunt. Altera eius ratio eſt, circũfuſa innatans marina aqua: quæ cũ ſalſa & acris ſit, mordacitatem vehemẽtẽ prædictæ acrimoniæ addit. Videamus igitur num hanc mordacitatem ſperma ceti præ ſe ferat. Quod ſi guſtaueris, cum elotum & præparatũ eſt, quale in pharmacopolijs habetur, fateberis quidem aliquam ei ineſſe acrimoniam, qualem vetus butyrum & inueteratum oleum habere ſolẽt, ſed minimè ſalſum feruidumq́ qualis Ha

Digitized by Google

loſantho eſſe debet. Hîc idem reſpondendum quod ſuperius de colore dictum fuit. Quemadmodum enim colorem crebra lotura deponit, ita etiã ſalſam illam acrimoniam eâdem lotura amittit, multoq́; faciliùs: quippe cum non de rei ſubſtantia, ſed aduentitia ſit: & cum ſal alioquin natura ſua in aqua reſoluatur facillimè, plurimúq́; à pinguedine diſtet, ita fit vt illi non per omnes partes cõmiſceri poſſit. Eluta autẽ accidentali & ſalſa Haloſanthi acrimonia, remanet natiua: quæ quia pingui ſubſtantiæ inſeparabiliter ſecundum omnes partes cõmixta eſt, nó facilè eluitur. Guſtandum igitur eſt non ſolùm præparatum, verumetiam illotũ & nuper collectum ſperma ceti, quod feruente acrimonia Haringarum † laccæ (vt vocãt Germani) nó abſimile guſtu exiſtit, quod facilè vt dictum eſt lotura deponit, ſalſamentorum, id eſt, ſale maceratorum piſcium modo: quorum ſalſam

† Sal. lacti

acri-

Digitized by Google

acrimoniam ſuperinfuſa aqua elicimus & diluimus, eosq; cibis præparaturi ſemel atq; iterum repetita recenti aqua omnis ſalſedinis expertes reddimus. *Et ſubpinguis.*] Vetus Dioſcoridis interpres ſcribit, Halos anthos pingue eſſe & veluti liquamen, &c. Plinius illi olei pinguitudinem tribuit, ideoq; non metaphoricè hæc nota intelligenda eſt, vt cum dicimus, pinguia prata & arua, propter ſucci & alimenti vbertatem, & pingues caules, pinguia folia, lilia, &c. id eſt, craſſa, & †ſucco lento plena. nam omnes pingues & obeſi, craſſi ſunt. Huiuſmodi exiſtunt Sedum, Portulaca, Lilia, &c. Quinetiam Galbanum, Opopanax, & alij denſi liquores, pingues appellantur: quia ſubſtantia ſunt lenta, glutinoſa & viſcoſa, adeò vt etiam ex his Galbanũ accenſum ardeat, lucidámq; & extinctu difficilem flammã ædat: quamuis minimè pinguem, id eſt, oleoſam habeãt ſubſtantiam vt adeps,

Haloſanthos quomodo pingue.

†al. ſucci plena.

&c. Hoc verò modo Halos anthos pingue non eſt. Quapropter intelligi hæc vox, pinguis, in propria & genuina ſignificatione debet. Collata autẽ hæc nota ad ſperma Ceti, ei prorſus conuenit. reuera enim pingue eſt. Nã ſuperinfuſo oleo liqueſcit & reſoluitur, adeò vt nihil non diſſolutum relinquatur aut appareat. *Immixta verò rubrica adulteratus, aut grumos habens, vicioſus cenſendus eſt.*] In Græco habetur ἔμμιλτον, id eſt, in ſe rubricam habens. Plinius vertit, adulteratur autẽ tingiturq́; rubrica: Ruellius interpretatus eſt, fucatus autẽ rubrica. quod vetus Dioſcoridis interpres ſic reddidit: qui colorem rubeum habet: Virgilius Marcellus autem, qui rubricæ colore rubet. Ex his quatuor interpretibus optimè verterunt priores duo, Plinius videlicet ac Ruellius, propriam vocabuli ἐμμίλτου, ſeu potiùs ἔμμιλτον ſignificationem ſequentes. ſonat enim Græcis idem quod Latinis

ἔμμιλτος.

intus

intus milto, id eſt, rubrica plenum vel rubricoſum, ceu pleraque alia apud Græcos nomina ab ἐν præpoſitione compoſita: qualia ſunt, ἔμπυος, id eſt, intus collecto pure plenus: ἔμπυρος, id eſt, feruidus intus concepto igne: ἔμφορτος, id eſt, oneroſus: ἔμμυσος, id eſt, intus latente ſcelere plenus, ſceleratus ſiue ſceleroſus: [*& ἔμμητρον lignum, medullam in ſe continens, Theophraſto.*] vetus enim Dioſcoridis interpres atque Marcellus Virgilius huius vocabuli ſignificationem minimè ad rubricam, fuci cauſa Haloſantho miſceri ſolitam, vt oportuit, referentes, ad huius medicamenti colorem (tantùm) fœdo & inexcuſabili errore traxerũt. omnia enim eiuſmodi Greca nomina ab ἐν compoſita, & paulò antè enumerata in corpore aliquo latentis cuiuſdam rei copiam ſignificant: ideóque ἔμμιλτος minimè ad colorem referri poteſt. ſi enim Dioſcorides rubricæ colore Halos anthos improbaturus

fuiſſet, nequaquam ἔμμιλτον, ſed μιλτῶδες ſcripſiſſet. nã μιλτῶδες eſt qcquid colore rubricam æmulatur, & ad rubricæ colorem refertur tantùm, quemadmodum ἔμμιλτον ſolummodo ad ipſius milti ſubſtantiam. Rubrica autem tuſiq́; lateres Haloſantho nimis pallido coloris cauſa miſcebantur. hinc alioquin per ſe liquidũ medicamen inæquale reddebatur, & in grumos (θρόμβους Græcis, Germanis flundern/[flotzen] appellatos) concreſcebat, quod ceu † viſcoſum improbat Dioſcorides. Hodie verò nulla rubrica, neq́; tuſis lateribus, ſperma ceti adulterant, vt olim. Nam veteres Halos anthos, vt natum erat, illotum ſeruabant, ideoq́; requirebatur colore in croceum †, quem ſi nõ habebat, iniecta rubrica tingebatur. nos autẽ hodie hoc medicamentum lauantes, minimè in eo croceum, ſed candidũ colorem probamus. ideoq́; hæc nota parum ad eius indagationem fac.t.

† viciosum

† tendente

Incor-

Digitized by Google

Incorruptus etiam oleo, ſe ei commiſcendo, reſoluitur ſolo.] De duplici Haloſantho ſermonem Dioſcorides habet, videlicet de ſyncero & fucato: quapropter vtriuſq; notas oſtendit quo faciliùs dignoſcantur. Syncerum autẽ Halos anthos in oleo totum reſoluitur, quæ nota optimo ſpermati ceti cõuenit. Nam, vt ſuperiùs quoq; dictũ eſt, oleo iniectum facilè totum diſſoluitur: ſi verò in eo ſiue præparato ſiue nõ præparato aliquid remanet quod reſolui non queat, hoc minimè de eius ſubſtantia eſt, ſed ex numero fuci cauſa iniectorũ. Propterea mox ſubdit Dioſcorides: *Fucatus verò, ex parte etiam aqua reſoluitur.*] Id igitur quod ſyncerum in eo fuerit, in oleo totum reſoluitur: ea verò eius pars, quæ in oleo nõ reſolui poteſt, vt in aqua reſoluatur neceſſe eſt, niſi omnino durum aut lapideum corpus fuerit. nam omnia † mollia & liquida (ex quibus etiã rubrica & aliæ terræ duriſsimæ ſunt)

Haloſantheos reſolutio in oleo vel aqua.

† molliri aut liquari idonea.

autin ſimplici,id eſt,aqueo,aut oleoſo & pingui humore diſſoluuntur, vno atq; altero medicamento (quibus ſingularis eſt ſubſtantia & natura) excepto. Ex ijs itaq; rubrica minimè in oleo † liqueſcit, id eſt, lutum fit. hinc ea fucatũ Halos anthos facilè deprehenditur. Eadem contrà aquæ aut vino iniecta reſoluitur,& lutum fit. hoc eſt quod dicit: *Fucatus verò ex parte etiam aqua reſoluitur.*] Ex parte, id eſt, ea eius pars, quæ aduentitia eſt, & fuci cauſa immixta, qualis eſt rubrica & lateres tuſi. Nec tantùm reſoluitur, verumetiam roborẽ amittit, aqua facticium colorem diluente & eluente, quæ nota è Dioſcoride excidiſſe videtur, cũ Plinius eam ponat. Hæc eſt tota medicamẽti deſcriptio, quãtum ad eius eſſentiam attinet. Colligamus igitur iam in vnũ omnis ſpermatis ceti nondum præparati notas, vt appareat num idem cum Haloſantho ſit, aut an ab eo differat, quo ad inſignis

† emollitur.

Spermatis ceti vulgò dicti deſcriptio.

Digitized by Google

inſignis huius medicamenti apud veteres cognitionem perueniamus. Eſt itaq; ſperma ceti genitale Cetorum ſemen, velut ipſum nomen indicat, in Venereo actu fœmineos locos ſubterfugiens, mari adipis aut pinguis liquaminis modo ſupernatãs, donec in magnorum fluuiorum oſtia aut marina ſtagna vel tranquillos ſinus fluctibus feratur: ſubſtantia ſubliquidum & adipis inſtar pingue: colore ad citrinũ aut ad croceum inclinans: odore graui non diſsimili garo, interdum multo horribiliùs virus olens, præſertim inueteratum & rancidum. Saporẽ habet, illotum adhuc, pinguem, ſubrancidum, acrem, & vehementer ſalis aut marinæ aquæ modo feruidum: præparatum verò, hoc eſt, lotum & dealbatum, ſalſum feruorem vnà cum colore amittit: quo fit vt guſtu tantũ pingue, modicè acre & ſubrancidum ſit.

Idẽ eſſe Haloſanthos, & vires etiam conuenire.

Spermatis ceti deſcriptio Halòs antheos hiſtoriæ collata nihil omnino

ab eo differt. Pronunciandum igitur
iam eſt liberè abſq; vllo dubio & con
trouerſia,medicamentum quod vete
res Halòs anthos appellant, idem pla
nè eſſe cum eo quod hodie per totã
Europã Sperma ceti nominãt, quod
ſequentes etiam in hoc apud Dioſco
ridem capite vires & facultates com-
probant. Nam quod contra cacoë-
the,phagedænas,genitalium nomas,
purulentas aures,oculorum hebetu-
dines,cicatrices & albugines medici-
nam facit,ſalſę,acri & pingui eius qua
litati tribuendum eſt.nam acrimonia
ſua curatu alioquin difficiles eas exul
cerationes,abſterſis eorum ſordibus
à putrefactione in poſterum ſecutu-
ra tuetur,earumq; graſſantem & vlte
riùs progreſſurum impetum cohibet
& compeſcit, & cauſas curationi re-
luctantes diluit & conſumit: pingue-
dine verò eas ſalſa acrimonia irrita-
tas atq; exacerbatas rurſum mulcet,
& ad curationem inuitat. Quòd autẽ
ſudo-

Digitized by Google

ſudorem cit, ſalſedini minimè eſt adſcribendum: nam ſalis natura cũ terreſtris ſit, condenſat & exiccat: ea verò, quæ ſudores prouocant, vt tenuiũ partium ſint neceſſe eſt, quibus penetrare, poros aperire, & ad eos ſudorẽ ducere queant. Huiuſmodi igitur eſt natiua ſpermatis Ceti ſubſtantia & facultas, qua non ſolùm ſudores prouocat: verumetiam poſt caſus ex alto coagulatum in grumos ſanguinẽ diſſoluit, eumq; aut membris reſtituit (ſi nó multum à natiuo calore receſsit) aut per aluum aut vrinales vias expellit, [redacted] ſupra diaphragma contineatur, ſurſum d[redacted] os exſcreet. Atq; huius facultatis ſolius nomine in tanto vbiq; eſt precio. Aluum propter ſalſam acrimoniam & rancidam pinguedinem turbat, atq; ventriculo propter eundem rancorem nocet, tenui & nauſeabunda ſubſtantia eum laxans & diſſoluens. Sequitur in textu: Μίγνυται σμήγμασι πρὸς τειχῶν λω

κασμὸν, id eſt, miſcetur abſtergentibus medicamentis ad capillorum candoré, quo loco Marcellus vertit, ad extenuandos palpebrarum pilos, magno & palpabili errore è Plinio hæc Dioſcoridi inſerens: quamuis fieri poteſt, quod hæc verba librariorum incuria ex hoc capite exciderint. ſed hoc ſibi nó vult τριχῶν λευκασμὸς, Ruellius genuinam verborum ſignificationē ſecutus, propriè hanc ſententiā vertit.

COROLLARIVM DE HAloſantho, & Salis flore duplici, [redacted]

DE Haloſantho primùm conſiderãda ſunt veterum ſcripta: deinde quid noſtri ſeculi viri docti de eo ſenſerint. Quibus tertio loco obſeruationes noſtras paucis addemus.

Dioſcoridis de eo verba iam in Val. Cordi libello recitata ſunt: facultates verò

verò non adſcriptę: quas hiſce verbis Dioſcorides explicat: Facit ad vlcera cacoëthe, id eſt maligna, & phagedęnas, genitalium nomas (hoc eſt quæ paſcendo ſerpunt vlcera) purulentas aures, & oculorum hebetudines: quorum etiam cicatrices & albugines tollit. Quin & emplaſtris vnguentisq́ coloris cauſa, vt roſaceo, miſcetur. Sudorem cit. Aluum turbat è vino & aqua potus. Stomacho nocet. Miſcetur pręterea acopis, & ſmegmatis quę attenuandi capillos gratia adhibentur. In vniuerſum quidem acris eſt feruentisq́ naturæ, vt ſal. Hæc ille. Gręcus contextus habet: μίγνυται καὶ σμήγμασι πρὸς τριχῶν λεπτυσμόν. Ruellius vertit albandi capilli gratia, in quo Matthiolus eum ſequitur. Ad pilos inalbandos, Cornarius. Ad extenuandos palpebrarũ pilos, Marcellus Vergili9. Capillos tenuat, vetus interpres in Pandectis Syluatici. Detrahit & ex palpebris pilos efficaciſsimè, Plinius.

At non de palpebrarum pilis, ſed de pilis ſimpliciter à Dioſcoride mentio fit: & attenuare potiùs illos quàm dealbare videtur hoc medicamentum, quod croceo colore ſuo potiùs inficeret quàm dealbaret. Smegmata etiã vel ipſo nomine ſuo ab abſtergendo dicta, attenuandi vim pollicentur. abſterſa autem attenuantur. Pharmacorum pilos corrumpentiũ (inquit Galenus de compoſitione medicamentorum ſecundum locos lib. 1. cap. 4.) triplex eſt differentia. alia enim ex eis propriè pſilothra appellãtur, alia attenuatoria pilorum, alia verò ipſos penitus extirpantia. Plinius in Græco ſcriptore, ex quocunq; is tranſtulit πρὸς τρίχας βλεφάρων legiſſe videtur: ꝓ quibus verbis in Dioſcor. noſtro vetus interpres Dioſcoridis rectè legit πρὸς τριχῶν λεπτυσμόν: Marcellus verò πρὸς βλεφάρων (vel βλεφαρίδων) λεπτυσμόν. Sunt autem βλέφαρα Latinis palpebræ, nomine Latino literis Græci tranſ-

tranſpoſitis facto,id eſt, genæ oculorum. & eorum pili, Latinis cilia, Græcis βλεφαρίδων dicuntur: aliquando etiam βλέφαρα, ni fallor, per ſynecdochen, calliphlebaris inde denominatis, quibus fucantur ornanturq; palpebræ. Galenus eiuſdem libri iam citati capite quinto toto, de pilos attenuantibus pharmacis agit: eaq; in genere primùm eſſe docet, quæ communiori vocabulo abſterſoria dicantur: ex quibus ea quæ fortiori vi extergẽdi prædita ſint, ad pilos valde duros magnosq; attenuandos conueniant. Particularia autẽ eiuſmodi in primis eſſe, nitrum vſtum & nitri ſpumam, & aphronitrum ſpumoſum (τὸ ἀφρῶδες ἀφρόνιτρον) tanquam vehemẽtiùs abſtergentia. nitrum enim vſtum, validiùs, quàm non vſtum, abſtergit. Tale autem & haloſanthos eſſe apparet, cum nitri natura proxima ſali ſit, & haloſanthos Dioſcorides medicamentum acre ac feruidum ſalis inſtar eſſe

Digitized by Google

ſcribat. Et Galenus iam citati operis libro vndecimo: ἁλὸς ἄνθος (inquit) quod aliqui compoſito vocabulo ἁλόσανθον vocitant, liquidum eſt medicamentũ, tenuiorumq́ꝫ partiũ quàm ſal vſtus, & acri qualitate præditum, & facultatis admodum digerentis.

In Antiballomenis Galeno perperàm attributis, nõ tamen omnino cõtemnendis, pro haloſantho ſubſtituitur ſandaracha, in Iul. Martiani Rotæ interpretatione. In noſtro quidẽ Græco Galeni codice, ſicut & Aeginetæ, (ad cuius finẽ libellus idem adiectus eſt) nihil tale inuenio: ſed hæc tãtùm verba: Ἀντὶ ἀσίου λίθου, γαγάτην, ἢ σανδαράχην, ἢ ἁλὸς ἀμμωνιακοῦ. vbi iam dictus interpres reddit, pro Aſio lapide, ſal Ammoniacus toſtus. Cum Aeginetæ verò codice, Ἀντὶ ἀσίου λίθου, γαγάτης λίθος, ἢ ἅλες ἀμμωνιακοὶ κεκαυμένοι. Mihi pro Aſio lapide, ſalem ammoniacum aliũmue vſtum poni probatur: gagaten verò pro ſandaracha recentiorũ,

quam

quam & vernicem & gummi iunipe-
ri dicunt, potiùs quàm pro ſandara-
cha veterum ſubſtituerim. Nam ſan-
daracha veterũ, arſenici vires habet,
& in hoc Antiballoménων Catalogo
pro eo ponitur: ſicut & pro ſulfure vi
uo & pro fæce vini, ἀντὶ τρυγὸς. Inte-
rim an ſandaracha Grçcorum aliquid
commune etiam cum haloſantho ha
beat, conſiderandum: quod mihi vix
videtur. Pſilothris enim & corrũpen-
tibus pilos, non attenuantibus medi-
camentis miſceri ſolebat. Vini verò
fæx non ſandarachæ Græcorum mo-
dò vires in multis referre videtur, ex-
tra corpus, erodendo ſcilicet, exiccã-
do & extergendo, vſta præſertim: ſed
etiam haloſanthi, tum intus ſumpta,
ad alui deiectionem: tum foris adhibi
ta ad oculorum remedia, & alia ple-
raq;. liceret autem ei vel ſalem nitrúm
ve aliquando addere, vel ſaponem ad
ſmegmata. [*Author libri de dynamidijs fal
ſo inſcripti Galeno, Aphronitrũ ita miſcet,*

vt nitri partes duæ, & ſaponis vna temperentur cum prima gutta ſaponarij: vnde facti trochiſci exponuntur Soli.] pilorũ præſertim, vt haloſanthi vim propiùs & efficaciùs repræſentaret: vel ſi maiori vi opus fuerit, oleo etiam ex ea cremata vti. Syluaticus Pandectarum author de haloſantho (in A. litera, ſine aſpiratione) verba hæc tanquam Plinij recitat: Haloſanthos eſt quoddã pinguamen, quod aquis ſtantibus ſupernatat, porrò extra [*alias, prout ſtant alia: legerim ego, præſertim Nili,*] colore croceo. Optimum eſt quod in Nilo flumine colligitur, hoc enim & coloratiſsimum eſt, & cum aliqua pinguedine aquoſum, & penè putridum [*putidum forté.*] Poteſt igitur acriter & viſcidè calefacere, [*aliâs, acriter & incidere & calefacere*] & quaſi ſal aliena conſumere. Verùm hæc non eſſe genuina Plinij conſtat: leguntur autem eadem inter Spuria Galeni libro de ſimplicibus medicamentis ad Paternianũ inſcri-

ſcripto: vbi hoc etiam additur, quod collyria & malagmata colorare poſſit. Caput de Haloſanthio inſcribitur: quod ab Haloſantho diminutiuum nomen eſt. Idem Syluaticus faculta tes haloſanthi ex veteri Dioſcoridis interprete referens, in nonnullis à noſtris codicibus Græcis diſsidet, quæ hîc ſubijciam: Caligines oculorum, & glaucomata, [*glaucomatũ nulla mentio eſt in Græco: ſed leucomatum ſolùm*] & albedines cicatricum (in oculis) detergit. Emplaſtris & confectionibus, [*inunctionibus fortè, ſed in Græco eſt μύροις, id eſt, vnguentis*] oculorum (*legendum, ad colorem*) miſcetur cum roſaceo, capillos tenuat. Maximè virtus eſt ei recorporatiua, viſcida, pyrotica vt ſali. Adulteratur autem teſta confricata, & alijs rebus: ſed diſcernitur ſolutus aqua. ſyncerus enim oleo ſoluitur. & eſt probabilior pinguis, guſtum mordens. Quantum ad odoré, quo garum æmulatur, aliquando autem *δυ-*

σωδεστέρου eſt, id eſt, grauioris ſeu deterioris odoris, ea lectio placet, magis quàm Hermolai qui εὐωδεστέρου contrario ſenſu legit. pinguia enim & facilè ranceſcunt, & grauiorem odoré acquirunt. Notandum autem, quod roſaceo vnguēto oleóue aliter dicto, haloſanthos coloris gratia cum hoc in capite miſceri ſcribat Dioſcorides libro primo de materia, in eius confectione, non hoc, ſed anchuſam melioris coloris cauſa adijcit: & inſuper ſalem, ne corrumpatur. Quòd ſi haloſanthos adderetur, cum id & coloris & ſalis vim in ſe habeat, ſale alio opus non eſſet. Iam cum alijs etiam vnguētis coloris cauſa Haloſanthos addi ſcribat, ego hoc tempore inter ea quę libro primo deſcribit vnguenta, Haloſanthos nulli adiectum reperio: vt neq; anchuſam, præterquā roſaceo. Galenus quidem libro ſexto de ſanitate tuenda, ſalem à nónullis oleo roſaceo addi teſtatur. Porrò vt halo-

ſan-

Digitized by Google

ſantho facultas ciendi ſudoris eſt, q̃d Dioſcorides ſimpliciter: Oribaſius verò Synopſeos libro 1. cap. 23. cum oleo mixtum id facere ſcribit: ſicuti & nitrum toſtum ac tenuiſsimũ (læuiſsimè tritum) cum oleo: [*Aetius lib. 9. cap. 3. Ad eos qui flauam bilem euomunt: Vniuerſi corporis curatio ex oleo fiat, modico nitro ammixto, quo ſudorem ex cute eliciamus, & fluores transferamus.*] ita & ſali vis eadẽ eſt, hydropicis, arthriticis, & ad laſsitudines vtilis, quæ omnia etiam halo ſantho conueniunt: quod cum planè ſalſum & oleoſum ſit, ſi ſalem oleo miſceas, haloſanthos artificiale effeciſſe videri poteris. Sed cum ſal oleo non liquetur, aceto, aqua, alióue liquore affectui conueniente priùs ſolui poterit, & ita cum oleo ad liquoris vſq; conſumptionem coqui. Eſt etiam in ſale pinguitudo, quod mireris, inquit Plinius. Arrianus in Indicis refert, Ichthyophagos è ſale oleum excipere: & oliuas littore afflatuq; maris gau

dere certum eſt. Multum tamen olei continere ſal non poteſt, vt Cardano videtur, niſi bitumen admixtum habeat. Sunt autem fontes nónulli, qui & ſalem & bitumen continent: & fortè vix in alia, quàm marina aut ſalſa aqua bitumen reperitur. naphthicum autem ſalem vocant, cui bituminis liquidioris aliquid admixtum eſt. Leuinus Lemnius medicus præclarus libro 3. de occultis naturæ miraculis, capite 9. Darii vocatam apud Belgas tradit, bituminoſam quandam cócretionem ac ſubterraneam congeriem eſſe: è qua glebæ nigræ & pinguedine imbutæ eruantur: quæ accenſæ (inquit) vt aridi ceſpites, vrétiſsimos calores excitant: atq; in cineres redactæ ſaleq; perfuſæ, materiam ac fomentú olim noſtratibus præbuerunt conficiendi ſalis. In capite de ſale Dioſcorides: Contra laſsitudines (inquit) cú oleo inungetur: & ad hydropicorum tumores ita inunctus prodeſt. Pruritum

tum etiam ſedat ex oleo & aceto vſq; ad ſudorem prope ignē illitus: quod remedium impetigines quoq;, & lepras & ſcabies ſanat. Hæc ille. Vidi ego qui ſalis bonam partem, cum dimidia ſulfuris, & iride pauca odoris cauſa, oleo copioſo miſcebant, & calefacto illinētes intra paucos dies curabant ſcabiem. Galenus Methodi medendi lib. 14. cap. 15. in quo agit de curandis ijs qui obeſitate & corpulentia onerantur, laudat lauationem in aqua digerendi facultate prædita. Ac ſi quidem, inquit, talem aliquam ſponte natam habemus, ipſa vtemur: cuiuſmodi in Lesbo viſitur, à Mitylene ſtadijs quadraginta. Sin minùs, ipſi ſimilem aliquā moliemur. Eſt porrò ea quæ in Mitylene conſpicitur, & viribus & colore talis, qualis vtique fiat, ſi quis florem ſalis aquæ marinæ miſceat. Hæc ipſa aqua etiam hydropicis, & reliquis tumefactis idonea eſt, vtpote valenter deſiccans, &c.

Digitized by Google

Podagricis ſal cum oleo vtiliter im ponitur, Dioſcorides. Vnguentum ex ſalis flore, arthriticis in declinatione vtile Nicolaus Myrepſus deſcribit, inter vnguenta numero 29. Apud Galenum de compoſitione medicamentorum ſecundum genera libro 7. acopo cuidam, id eſt, ad laſsitudines remedio, ſalis flos adijcitur. Idem ſexto Methodi medendi, cap. 2. Ad neruos vulneratos, inquit, plurimi vno illo emplaſtro vtũtur, quod ex euphorbio & cera & frixa reſina eſt compoſitum. Cui nõnulli poſtea, vt medicamẽtum à me inuentum alio colore diſsimularent, ſinopidis aliquid vel ochrę miſcuerunt: alij fortaſsis & è ſalis flore quippiam: aut aliud tale, quod colorẽ eius mutet, nec vim eius minuat.

Flos ſalis cum ſpuma nitri, &c. inditur medicamento Harpocratis ad aures purulentas apud Galenũ De compoſitione medicamentorum ſecundum locos affectos lib. 3. inter auricu

lares

lares compoſitiones Andromachi. Idem lib.2. de arte curatiua ad Glauconem, cap.5. Cum ſplen (inquit) flatuoſo tumore afficitur, & magis œdemate: ſi multum aluminis adhibueris, nihil nocebis. In ſcirrhoſis autem tumoribus vim diſſolutiuam ſuperare conuenit: parum autem eius, quod ſtringendi vim habet, admiſcendum eſt. Cum igitur de numero ſimpliciũ & ſponte naſcentium medicamentorum, flos ſalis tali ſit natura præditus, ſanat ſplenes induratos, ſi extrinſecus ipſis in veſica apponatur. Salis flos ſiue per ſe ſolùm, ſiue cũ aliquo ſimplici cerato impoſitus ad humidã lienis intemperiem, optimum pharmacum eſt. Solus enim calefactus, & aliqua veſica exceptus, ſpleni adhibetur. In epithemata quoque ammiſcetur, quemadmodum eſt prædictum, Aëtius lib.10.cap.8. Galenus de cõpoſitione pharmacorum ſecundũ locos lib.8.cap.5. vbi pharmaca quæ ſo

Digitized by Google

rinſecus ad ſtomachi, id eſt, oris ventriculi affectiones imponũtur, ex Aſclepiade repetit, inter cætera habet Malagma, quod recipit Ammoniaci thymiamatis libras ij. quæ diligenter tritæ in vas fictile conijciuntur, & floris ſalis libra additur, cum olei cyprini ſeſquilibra. quæ cum cocta emplaſtri formam acceperint, adijciuntur ceræ libræ ij. Hoc autem & ſimilia ibîdem Malagmata, mixtam (ex emollienti & aſtringenti) facultatem habere ſcribit, & induratas etiam inflammationes curare, & propterea hepaticis quoq; conuenire. Idem de compoſitione medicamentorum per genera, lib. 7. cap. 7. inter Andromachi Malagmata deſcribit vnum boni coloris ad multa accommodatũ, in quo permiſcet hæc: Ceræ, reſinæ frixæ, vtriuſq; libram: guttæ ammoniacæ, aluminis liquidi, ſalis floris (ſecundum alios viſci) cuiuſq; vncias ſex. Dioſcorides lib. 5. inter variorum virorũ medi-

medicatorum confectiones: Conficitur, inquit, etiam ἁλοσάνθινος οἶνος, id eſt, è ſalis flore vinum, maiore in purgando vi, quàm quod marina aqua confectum fuerit: verùm fauces, renes, veſicam & ſtomachum lædit: eamq́ue ob cauſam neque in ſanitate, neque in aduerſa valetudine vtilem habet vſum. Sic ille: Miretur autem aliquis, ſi aqua non diluitur haloſanthos, quomodo & Galenus loco ex Methodi libro 14. ſuperiùs citato, aquam prope Mitylenen talem eſſe ait, ac ſi quis florem ſalis aquæ marinæ miſceat, & hoc in loco Dioſcorides haloſanthinum vinum deſcribat: cum ea quę nõ miſcentur aquæ, vt pinguia, vino etiã miſceri nequeant, ſed in ſummo innatent.

Plinius lib. 31. cap. 7. de ſalis generibus agens: Sal omnis, inquit, pluuia dulceſcit. Suauiorem tamen rores faciunt: Sed copioſum Aquilonis flatus. Auſtro non naſcitur. Flos ſalis nõ Flos ſalis alius.

ſit niſi Aquilonibus. Sic ille. quo in loco longè aliam rem quàm ſupradictam, eodē floris ſalis nomine appellat, ipſius videlicet ſalis, qui vel è mari fit, vel è ſalinis excoquitur, ſummā, albiſsimam leuiſsimamq́ partē: qualis nimirum Aquilone vento ſicco ſpirante, naſci & colligi poteſt: auſtrina & humida conſtitutione non poteſt, vt ne prorſus quidem ſal vllus, (circa mare nimirū & maritima ſtagna,) Auſtro flante naſcitur. Porrò quod eodem in loco de ſale in genere ſcribit Plinius, ſuauiſsimum omnium eſſe Tarentinum atq; candidiſsimum: & fragilem eſſe, quicunq; maximè candidus ſit: hoc ego etiam ad florem ſalis traxerim & accommodarim. Flos ſalis enim præ cætero ſuauis, candidus atq; fragilis eſt. Quare cum Tarentinus, & Phrygius ſiue Tattæus, qui è ſtagnis fiunt, à medicis olim laudati ſint in primis, tanquam oculis vtiles, (ceu minus acres nimirum) ſalis flore

corum

eorum loco vti licebit. Ad medici næ vſus (inquit ibidem Plinius paulò pòſt) antiqui Tarentinũ maximè laudabant: ab hoc quemcũq; è marinis, ex eo genere ſpumeum præcipué. [*Spumæ autem florem ſalis quoq; comparaueris.*] Iumentorum uerò & boum oculis, Tragaſæum & Bæticum. Et paulò inferiùs: Salinarum ſynceritas ſummam fecit ſuam differentiam, quadã fauilla ſalis, quæ leuiſsima ex eo eſt & candidiſsima. Grammatici fauillam, cinerem interpretantur, quem hic ſalis flos ſua leuitate aut partium tenuitate forſan refert. Florem ſalis etiam Cato vocat, qui è populari ſale candidus arte factus ſit. propterea & alabaſter à Democrito quandoq; dicitur, vt Hermolaus Barbarus in Corollario ſuo ad Dioſcoridis de haloſantho caput annotat; vbi tamen hunc ſalis floré à Latinis dictũ, à Græcis (quod ſciã) non item, cum altero ſalis flore, qui haloſanthos Græcorum eſt, con-

dit: & è Plinij verbis non rectè hæc citat, fauillam ſalis in totum rem diuerſam à ſale eſſe. Plinius enim vt iam recitaui, florem ſalis priore loco à ſe dictum, fauillæ comparat, vtpote ſiccũ: mox autem de alia re eiuſdem nominis ſcripturus: Appellatur, inquit, & flos ſalis in totum diuerſa res (ſubaudi à præcedenti flore ſalis) humidiorisq́; naturæ, diſſentiens à ſale, nó modò à ſpuma. Et fortè ſpumam nũc vocat, ſiccum illum ſalis florem, qui ſpumæ inſtar ad reliquum ſalem eſt, nempe leuior & candidior. Sic idem Plinius lib. 18. florem in ſiligine vocat, leuiſsimam & puriſsimam farinæ eius partem, in tritico pollinem. Et fortè etiam ignis florem in Homerico carmine,

Αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπτατο, παύ-
σατο δὲ φλόξ,

non vt quidam, vim & vigorem eius, ſed proſilientes velutiq́; euolantes ab eo ſcintillas ac fauillas interpretari o-

por-

portet. Porrò florem ſpumámue ſalis & ſpumeum ſalem appellare licebit, non modò illum iam dictum, qui à reliquo ſale candore ſolùm & leuitate differt: ſed alium etiam qui figura inſuper differt, vtpote fiſtuloſus & ſpongioſus: talis autem redditur, qui ſpuma ſalis efferueſcente in vaſis vbi coquitur (Salzpfannen noſtri vocāt) & bulliendo redundante effunditur: effuſus in formā pyramidis ferè coit, fiſtuloſa compage rarus & leuis, præſertim Halæ in valle Oeni, Salzzepfſlein appellant, qui etiam albiſsimus eſt: ſtiriam ſalis Kentmanus noſter. nā quem Salinis in Burgundia ſimiliter effuſum & coagulatum ad me miſit vir doctrina & omni virtutum genere clariſsimus Gilbertus Cognatus eccleſiaſtes Nozerethi, multo durior ſolidiorq́ eſt, lapidis ferè inſtar & grauis, licet meatibus non careat: colore minus albus, ſubrubente alicubi, Salegre vocant Burgundi, ſi bene memi Spuma ſalis.

Digitized by Google

ni, & auiculis quas in caueis alunt, exhibent: quæ eius vſu recreantur, cum alio ſale pereant: quod quidem mirũ mihi viſum eſt, eò quod in ſapore nullum ferè à reliquo ſale diſcrimen mihi appareret. Huius quidem compages fiſtuloſa, & color alicubi leuiter rubeſcens, nitri à Dioſcoride laudati me admonent: Nitrum, inquit, probatur quod leue eſt, roſeo colore aut albo, & ſpongiarum modo fiſtuloſum. Leuem autem eſſe dixi ſalis ſpumam è valle Oeni: grauẽ ſolidamq́, Burgundicam. Reperitur autem & nitrum lapidis modo durum. Eſt ergo nitro ſimilis hæc ſpuma, non ipſum nitrum: in hoc etiam nitro ſimilior, quòd ſale minùs aſtringat.

Hic integrum Plinij locum de altero Salis flore, quem Græci haloſanthos nominant, ex libro 31. cap. 7. ſubiungam. „ Appellatur & flos ſalis, in„ quit, in totum diuerſa res, humidio„ riſq́ naturę, & crocei coloris aut ruffi, veluti

ſi, veluti rubigo ſalis, odore quoq; in- “
grato, ceu gari, diſſentiens à ſale, non “
modò à ſpuma. Aegyptus inuênit, vi- “
deturq́; Nilo deferri. Et fontibus ta- “
men quibuſdam innatat. Optimũ ex “
eo quod olei quandam pinguitudinẽ “
reddit. Eſt enim etiam in ſale pingui- “
tudo, quod miremur. Adulteratur au “
tem tingiturq́; rubrica, aut plerunq; “
teſta trita: qui fucus aqua deprehen- “
ditur, diluente factitium colorem, cũ “
verus ille non niſi oleo reſoluatur, & “
vnguentarij propter colorem eo ma- “
ximè vtantur. Canicia in vaſis ſumma “
eſt: media verò pars, humidior. Floris “
[*ſic abſolutè nunc vocat ſalis florem*] natu- “
ra aſpera, excalfactoria, ſtomacho in- “
utilis. Sudorem ciet: aluum ſoluit in “
vino & aqua, acopis & ſmegmatis v- “
tilis. Detrahit & ex palpebris pilos “
efficaciſsimé. Feces imæ concutiun- “
tur, vt color croci redeat. Hæc Plini- “
us: ex cuius verbis apparet haloſan-
thos rem humidam ac pinguem eſſe.

Digitized by Google

in vaſis condi, & ſuperiore ſui parte ſicceſcere vel denſari, colore cano: in medio humidiorem eſſe: in imo fœculentam, magisq́ croceam, ſubſidente cum fæcibus etiam colore. Mirũ hoc, quòd ex aqua & vino propinet, quod Dioſcorides etiam ſcribit, ad ſoluendam aluũ, cum ijs liquoribus non miſceatur vt dictum eſt. Hoc etiam mirum, naturam in eo ſalem oleo miſcuiſſe videri, quod ars non poteſt.

Hæc ferè ex veterum ſcriptis de Salis flore & haloſantho prodita reperi. Quid verò rei is ſit, & quibus alijs nominibus in vulgaribus hodie linguis appelletur, dictu difficile eſt. Ex recentioribus quidem nonnulli, qui de ſimplicibus medicamentis ex profeſſo ſcripſerunt, aut in Dioſcoridis libros aliquid annotarunt, omnino nó attigerũt, aut veterum duntaxat paucula de eo ſcripta repetierunt: vt Hermolaus Barbarus, Braſauolus, Amatus, Conſtantinus, Ryffius. Marcellus

Vergi-

Vergilius nunc in medicina parũ cognoſci, & nullum eius vſum eſſe ſcribit. Primus Valerius Cordus in ſuis in Dioſcoridem Annotationibus, non aliud quàm Sperma ceti vulgò dictũ eſſe, breuiſsimè & ſimpliciter aſſeruit: idem verò prolixiùs libello priuatim ſuper hac re condito, probare conatus eſt. Huius ſententiam arripuerunt & ſecuti ſunt alij quidam, nulla authoris ex quo hauſerũt mentione: ante alios Georgius Agricola libro tertio de natura foſsilium, his verbis: “Sales foſsiles, marini & lacuſtres, craſſarum ſunt partium, foſsilis in primis: contrà tenuium, ex aqua ſalſa excocti, nempe plerunq; minuti & molles. Sed maximè tenuium partium eſt flos ſalis. eſt enim non modò tanquã fauilla tenuiſsimus & leuiſsimus, ſed etiam candidiſsimus. At maris flos [*ſic enim vertit cum Cordo*, τὸ ἁλὸς ἄνθος] ab eo totus eſt diuerſus. etenim humidus, pinguis, croceus, vt qui ſit ſemen

„ balænarum: quod aliâs explicabo. Sic ille: alibi verò nuſquam quod hîc pollicetur, præſtitit, niſi fallor. Deinde Chriſtophorus Encelius in ſuis libris de re metallica. Tertiò Leonhardus Fuchſius in libro de Compoſitione medicamentorum. Horum ſententiæ primus, quod ſciam, contradixit Ianus Cornarius, nullo quidem argumento, ſed ſimpliciter nihil ſe videre haloſantho & ſemini balænarum cõmune profeſſus: nuper verò etiam Andreas Matthiolus in ſuis Dioſcoridi adiunctis commentarijs: qui argumẽta addit, primum à colore: quem, inquit, in ſpermate ceti vocato nuſquã croceum, neq; rufum, vt ſalis flori inesse teſtantur omnes, videre mihi licuit. Alterũ à conſiſtentia, quòd ſperma ceti non videatur adeò liquidum, vt ſalis florem eſſe Galenus & Aëtius innuũt. Tertium à guſtatu, quẽ ſi conſulas, non videatur eſſe ipſo ſale tenuius. Poſtremum à loco, quòd in mari tan-

ri tantùm colligatur,non in Nilo flu-
mine & lacubus quibuſdam. Quidnã
verò veteribus flos ſalis fuerit, decer-
nere non audet. Color quidem (inqt)
rufæ rubiginis inſtar pictoribus expe
titur è Germaniæ ſalinis aduectus, q
fortaſſe flos ipſe ſalis fuerit. nam colo
re & ſapore illi non obſcurè reſpon-
det: vulgò appellant Morello di ſale.
Verùm cur hoc non planè affirmem,
illud mihi obſtare video, quòd color
is non ſit liquidus, neq; oleoſus, ſed
aridus. quare potiùs inclinat animus,
vt ipſum credam eſſe ſalis rubiginem,
cuius mentionem facit Plinius. Hæc
Matthiolus. nos Plinij verba, quibus
ſalis flos, veluti rubigo ſalis eſſe, ab
eo dicitur, ſuperiùs recitauimus: ex
quibus rubiginem ſalis rem aliquam
ſui generis eſſe, affirmari non poteſt:
ſed hoc tantùm, florẽ ſalis ipſum met
veluti rubiginem quandam ſalis eſſe,
ob coloris ſimilitudinem.

His breuiter ego quid ſentiam, ſub-

ſcribam. Et primùm quod ad nomẽ, ἁλὸς ἄνθος, non cum Cordo & Agricola maris florem, ſed ſalis, cum Plinio & alijs recentioribus eruditis verterim: tum quia non in mari, ſed in Nilo & paludibus aut ſtagnis, quę Nilus nimirum efficit, reperiri traditur: tũ quia ſali, nó quidem conſiſtentia, ſed guſtatu & facultate omnino cognata res eſt, vt in præcedentibus ex ipſis authorum verbis oſtendi: & Dioſcorides inter ſalem ac nitrum aliaq; ſalſa de eo pertractat. Galenus quidem libro xj. de medicamentis ſimplicibus ſub lemmate, De rebus in mari & aquis ſalſis naſcẽtibus, de haloſantho quoq; ſcribit: ſed cum aliæ etiã aquæ ſalſę ſint, vt in paludibus maritimis alibiq;, non in ipſo mari tantùm, nó eſt neceſſe in mari hunc florem ſalis naſci, ex hac apud Galenum inſcriptione: ſed potiùs in ſtagnis maritimis, ſiue illic primùm naſcatur, ſiue è Nilo eò defluat ut Dioſcorides ſenſit. Accedit

cedit quòd ἅλς pro mari poëticũ eſt, nó item in ſoluta oratione vſitatum. Quod ad rem ipſam, aliud quod dicam non habeo, niſi in genere, ſali cognatam eſſe, vt nomine, ita ſapore etiam & viribus, nempe calidam, acrẽ, ſalſam & ſiccantẽ ſine aſtrictione aliqua. Quid autem pro eo ſubſtitui ad remedia poſsit, iã ſuprà expoſui. Matthioli argumenta, quibus genituram ceti non eſſe haloſanthos aſtruit, probo; & hoc inſuper addo, vlceribus malignis ac phagedænis remedia ſiccantia & abſtergentia conuenire, quale haloſanthos eſt: pinguia, oleoſa, humectantia, quale ſperma ceti dictum eſt, pingui ſucco ſubdulce, non conuenire. Ad alterum etiam Matthioli argumentum ex Plinio hoc addiderim, tam liquidum eſſe ſalis florem, vt in vaſis condi oporteat: & mediam eius partem omnino liquidam eſſe, ita vt fæx huius liquoris ſubſidat, eaq́ cõcuſſa color, qui & ipſe ſubſederat,

Digitized by Google

rurſus in ſuperiora diſtribuatur: quæ circa genituram ceti minimè contingunt. Sed ita quid non ſit haloſanthos, potiùs quàm quid ſit, indicauimus: cuius cognitionem certioré qui deſiderârit, ijs qui mercium aut rerũ cognoſcendarum cauſa Aegyptũ adeunt, hoc negocij mandet, vt diligenter hanc in rem inquirant.

DE SEMINE CETI DIcto, eiusq; nomine & facultatibus.

ET quia nunc oſtendimus, Haloſanthos veterum, nó eſſe ſperma ceti dictum: quidnam hoc ſit videamus, & quid poſsit in re medica. Primùm igitur apud Germanos in vſu marinum hoc pharmacũ extitiſſe puto, & Germanicum eius nomen Latinè interpretantes aliquos ſperma ceti aut balænæ ſemen vocaſſe. Germani enim

ni enim Walram vel Wolram vocitát:vel vt alij ſcribũt, Wolrâm/Walrath/Baldrath. ſignificat autem Wal vel Walfiſch Germanis cetum, à Balęna, quod Gręcis & Latinis vſitatũ eſt, nomen hoc mutuatis. Ram verò geniturã, ni fallor, apud aliquos Germanię populos ſonat: vnde & Râmling, feles præſertim, cognominamus, cum in libidiné aguntur: & ab odoris impudici ſeu hircoſi fœditate, Ram̃ſeren allij agreſtis genus nominamus: & rerum pinguium cum ranceſcunt odoré grauem, Räzelen noſtri dicũt, alij fortè aliter: omnibus vt conijcio, his vocabulis à Latino rancor, detortis. Martialis quidem odorem impudicum hunc cognominat hoc diſticho:

Fuiſſe gerres aut inutiles mænas,
Odor impudicus vrcei fatebatur.

Belgæ nôn Walram, ſed Walſcot appellant. Falluntur qui Balrath ſcribunt, & à celeritate auxilij compoſi-

tum nomen coniectant. Viroſus autē inueterato maximè odor eſt. De hoc quæ in Aquatilium hiſtoria ſcripſi, pagina 244. inter Cete, hîc omittam pleraqꝫ. Cum ambra quidem, qua cum aliqui confundunt, nihil prorſus ei cómune arbitror. Rem marinam eſſe conſtat: qualis verò & vnde ſit, nemo adhuc in dubium vocauit, tanquā recepto eius nomini, reuera cetorum ſemen eſſe credendum ſit, vt Cordus, Agricola, Encelius & Fuchſius credidiſſe vident. At ſi genitura cuiuſcunque animantis eſt, cur pinguis eſt, & innatat aquæ? cur oleo non aquæ miſcetur? cum albi liquoris oui potiùs naturam referre deberet. Odoris grauitas viroſa fortè, eos qui primùm ſemen putarunt, ad hoc induxit. Mihi vel omnino ſui generis res eſſe videatur: vel potiùs adeps animaliū in mari degētium quorundam, vt cetaceorum piſcium aut belluarū maris, quorum ingens eſt corporis moles, & adipis

pis plurimum continet. Graſſantur autem illæ inter ſeſe, & cædes mutuas exercent: vnde plurimum adipis in ſummum maris euehi veriſimile eſt. Confirmat hanc cõiecturam id quod apud maritimos quoſdã Germanos fieri ſolet. Sunt enim qui adipem cuiuſuis ceti vaſe exceptũ, in cella frigida deponant, deinde prelo exprimãt, vt pars tenuior effluat: quæ inſtar olei eſt, & eiſdem viribus, quibus pars craſsior quæ remanet, licet tenuiorũ partium. Craſsiorem pro genitura ceti vendunt, cuius vim quidem repręſentat, ſed ignauiús. Diligentiores dignoſcunt, quòd vera (vt vocant) genitura ceti, maculis candidis, latis & dulcibus inſignitur: adipis verò pars craſsior, pinguior, compactior, & minoribus maculis videtur. Fieri etiã poteſt, vt ex lacte belluarum maris, redundante, & catulorum ſugentium rictus ſubterfugiente, pars pinguior velutiq; butyrũ mari ſupernatet, quæ

Digitized by Google

breui poſtea graui odore butyri quadrupedum inſtar viciatur, & colorem mutat. Odor certè paululum inueterati, neſcio quid caſei præ ſe fert: vnde ego aliquando coaguli vim habere ſuſpicatus, lacti addidi vt experirer, quod tamen inde coagulatum nó eſt: ſiue quòd coagulum nó ſit (quod etiam aquatilium habent ea quæ lactent vt phocę) ſiue quòd in aqua degentium coaguli vis non eadẽ ſit quę terreſtrium. Vtcunq; eſt, maris adeps aut oleum, vel Cetaceus adeps innatans mari, non genitura ceti, nec halo ſanthos, eſſe & dici poſſe, ac debere mihi videtur. Nuper quidem clarus doctrina & omnium virtutum genere vir Vuolphgangus Meurerus medicinæ ac philoſophiæ in illuſtri Academia Lipſica profeſſor, mihi de huius remedij facultatibus per literas percunctato his verbis reſpondit: De vſu haloſanthi (ſecundum Val. Cordũ dicti) nihil aliud habeo, niſi quod ſciá vulgò

Digitized by Google

vulgò vſurpari in ægra & difficili ſpiratione: quam nó parum adiuuari affirmant, ſumpto eius ſcrupulo in pomo aſſo. Quidam medici admiſcent id etiam his medicamentis, quæ dari ſolent præcipitatis ex alto, aut caſu grauiore concuſsis, ad ſanguinis grumos diſſoluendos diſsipandosq́;, & ad rupta conſolidanda, ad hunc modum: Recipe mumiæ, tormentillæ, dictamni, oculorum cancri, rhapontici, ana drach. j. ſ. ſpermatis ceti ſcrup. j. Miſce. fiat puluis, cuius drachma aut ſeſqui è vino bibatur. Inuenio præterea in ſchedis noſtris: Sperma ceti humidum, ad colicam & omnem interaneorum dolorẽ cum alijs quæ flatus ſoluant exhibitũ, mirè prodeſſe. Cauẽdũ eſt tamẽ ne qs aut nimio hoc remedio, aut nimis vetere vtat̃: nimio eñ eius vſu pijſſe matronã quãdã Encelius teſtat̃: & cõtra omne ferè morborum genus apud Germanos (maritimos prçſertim puto) vſum eius eſſe.

DE HALOSACHNE, & Adarce.

HAloſachne à Græcis dicitur, ἁλὸς ἄχνη, quaſi ſalis ſpuma, vt Marcellus vertit: quanquã & flos ſalis ſiccus ille, qui in ſalinis colligitur, leuior cãdidiorq́; alio ſale, à Plinio ſalis ſpuma dici videt̃, vt ſuprà annotauimus. eſt autem & ipſa ceu flos quidam ſiue ſalis ſiue maris, id eſt, marinæ ſalſæq́; aquæ ad ſaxa marina aſperſæ & cócretæ: è ſpuma præſertim maris, quæ ſuo lentore faciliùs adhæret: & ſaxis in litore ita hęrere videtur, vt ſalpetra vulgò dicta humidis ac ſubterraneis parietibus. Nec nomen ſolùm haloſanthi, ſed facultates etiam conueniunt: quas ſali eaſdem habent ambo. præſtat tamen clarioris diſcriminis gratia hanc non alio quàm Græco nomine haloſachnẽ, haloſanthos verò κατ' ἐξοχὴν illum de quo diximus, liquidũ ſcilicet ſalis florem appellare. Dioſcorides

rides nihil de haloſachne, niſi ἐπίψηγμα eſſe ἁλὸς ἀφρώδους, id eſt, ſpumoſi maris lanuginem, vt Marcellus Vergilius vertit, inueniriq́ue in ſaxis, & eaſdẽ ſali vires habere. Plin. libr. 31. cap. 7. Aliud genus ſalis, inquit, ex aquis maris ſpõte gignitur, ſpuma in extremis littoribus ac ſcopulis relicta. Hic omnis rore denſatur, & eſt acrior qui in ſcopulis inuenitur. Hanc Dioſcorides (inquit Marcellus interpres) ἐπίψηγμα dicens, lanuginem quæ iam in ſaxis concreuit deſcribere videtur, facilem cognitu & inuentu rem. Ruellius vertit, Spumoſa maris lanugo, ſiue ramentum eſt. Et ſimplex quidem vocabulum ψῆγμα, ramentũ ſeu micam ſignificat: vt ψῆγμα χρυσοῦ, vel etiã abſolutè ψῆγμα, auri ramentum, Plinius palam dixit, Suidas μικρὸν κομμάτιον interpretatur. χαλκοῦ δὲ ἄνθος, ὅπερ ἔνιοι τῶν παλαιῶν ἥλων ψῆγμα ἐκάλεσαν, Dioſcorides. Deducitur autem à verbo ψάω, quod eſt rado, λεπτύνω: à quo etiã

ψακὰς, vel ψεκὰς & ψάκιον pro rebus minutis deduxerim. Compoſitum verò ἐπίψηγμα, non memini adhuc apud vllum probatũ authorem legiſſe: & malim ἀπόψηγμα legere, hoc eſt, ramentum: à petris enim deradunt nimirum hoc ſalis genus qui colligunt: nec rarus eſt hic error præpoſitionũ, ἀπὸ & ἐπὶ à librarijs permutatarũ. aut fortè ἐπίπηγμα, in ea ſignificatione qua & ἐπίπαγος dicitur, à verbo ἐπιπήγνυσθαι, vel ἐπιπήσσεσθαι, id eſt, in re aliqua vel in ſuperficie concreſcere. ſic adarcen Dioſcorides ſcribit eſſe ὥσπερ ἐπίπαγον ὑφαλμυρίζοντα. Sed prior emendatio magis arridet: quoniã ἐπίπηγμα vocabulum vſitatum non reperitur, etſi ab eodem verbo à quo ἐπίπαγος, rectè formari poteſt: & Dioſcorides ſæpe nõ admodum proprijs aut puris vocabulis Grçcis vtitur. Ex Galeno quidem & Aegineta ἐπαύθημα vel ἐπαύθισμα legere liceret, pro ἐπίψηγμα: & ἀφρῶδες, pro ἀφρώδης: quorum

rum vtrũq; magis placeret quàm vulgata Dioſcoridis lectio. Eſt enim Haloſachne, ſecundum Galenum, efflo-reſcentia (vt ita dicam) ſpumoſa ſalis, ſed multò tenuiorum quàm ſal partium, ideoq́ attenuare & diſcutere multò ampliùs quàm ſal poteſt: reliquum verò ſubſtantiæ (quod digerẽdo nimirum & diſcutiendo abſumptum non fuerit, ita vt ſal aſtringere non poteſt. Cæterùm in Haloſachne, ita & Adarce vel adarcion, Galeno eſt veluti ſpuma quædam aquæ ſalſæ cõcreta: in hoc quidem diſtinguuntur, quod hæc circa arundines aliasq́ herbas aquis paluſtribus innaſcentes cõcreſcat: haloſachne verò lapidibꝰ adhæreat: & inſuper figura, quæ in haloſachne certa non eſt, in adarce verò alcyonio multis foraminibus pertuſo ſimilis. Haloſachne ſalis genus eſt, & ſal petræ marinus dici poteſt, [*noſtra lingua*, Meerſalpeter/oder Saltzblůmen/ die man ab den Meerfelſen abſchabet:] Adarce.

adarce verò non ſalis, ſed alcyonij ſpecies eſt: Quanquam & quintū alcyonij genus in Propontide haloſachnē vocari Dioſcorides prodit. Barbarus in Corollario de haloſachne recitatis Plinij verbis (quæ nos etiam ſuprà poſuimus) hæc addit: In igne nec crepitat, nec exilit. At Plinius lib. & cap. iam citatis, de omni ſale in genere agens: In igne, inquit, nec crepitat, nec exilit Tragaſæus, neq; Acanthius ab oppido appellatus: nec vllius ſpuma, aut ramentum, aut tenuis. Vbi apparet eum non de haloſachne, ſed de cuiuſuis ſalis ſpuma aut flore, id eſt, leuiore & tenuiore eius parte loqui. Interim haloſachnæ etiam neutrum horum accidere veriſimile eſt, cum & ipſa ceu ſpuma aut flos ſalis ſit. Obiter verò animaduerſione dignum eſt, ramentum à Plinio hîc dici, quod à ſolidiore ſubſtātia ſalis alicuius, vt gemmei vulgò dicti, deraditur. ramēta autem ſolidioris, & alius per ſe ſtatim te

nuio-

nuioris ſubſtantiæ, cum ad ignem nō poſsint in ſe concipere aërem, ita fit vt neq; crepitent aëre pauciore incluſo, neq; exiliant copioſiore. Rurſus eiuſdem libri 31. cap. 9. cum diuerſa è ſale remedia expoſuiſſet, ſubdit: Ad omnia autem ſpuma ſalis iucundior vtiliorq́;: quæ itidem verba Barbarus ad Haloſachnen contrahit: ego ad omnem ſalis ſpumam ſiue florem ſiccum, vt loco iam proximè dicto, retulerim. nam & aſpectu iucūdior is eſt, vtpote candidior, & mitior guſtatu.

Sed cum ἅλς apud Græcos modò mare, poëtis præſertim, modò ſalem ſonet: præſtat haloſachnen vocabulū Græcum, Homero vſitatum pro purgamentis maris, retinere, vt ſuprà etiā monui: vel maris ſpumā potiùs quàm ſalis vertere: in Haloſantho autē contrà: id enim vocabulum poëticum nō eſt. Et maris quidem purgamenta à Germanis generali vocabulo Meerblůmen vocari rectè docuit Valerius

Cordus: an verò haloſachne medicorum etiam, ex illorũ numero ſit, quæ fluctuans æſtuansq́ mare veluti purgandi ſui gratia in littus eructat, & veluti inter alia huius generis excellens ꝓpriè priuatimq́ Germanicè Meerblůmen (id eſt maris flos vel purgamẽtum vocetur, nam flos Germanis vt in hoc vocabulo, ita & in fœminarũ mẽſibus pro purgatione accipitur) id verò attentiùs eſt conſiderandum. Videri autem poteſt haloſachne medicorum cum genus ſit ſalis, & quidẽ ſubtilius, veluti ex aſpergine maris, eiúſue ſpuma ortum, non minùs quàm ipſe ſal in aqua liqueſcere: liquatus autem non eijcietur in litus: niſi quis marinã aquam adeò ſalſam eſſe putet, vt aliũ ſalem non ampliùs imbibere poſsit. ſimilẽ enim marinæ aquæ facturi medici, tantum ſalis addunt dulci, quantum ferè in ea tabeſcere poteſt, vel donec ouum innatet. Sed hæc maris accolæ, ſi qui ſunt naturæ ſtudioſi, con ſide-

ſideret. Vtcunq; eſt, ego haloſachnen Germanicè commodiùs cenſeo vocari debere Saltzblůmen, cum diſtinctione ſiue additiõe ſuperiùs expreſſa: vel cum Ge. Agricola, ſiccam maris ſpumam, Trochnen Meerſchaum.

Ad remedia quidem haloſachne ſi requiratur, cum eandem ſali vim habeat Dioſcoride teſte: ſalem, potiſſimùm verò ſpumam eius, id eſt leuiſſimam partem, vel ſtiriam ſalis dictam, cuius mentio à nobis facta eſt in Halo ſantho, ſubſtituemus: pro adarce verò ad exterenda cutis vitia, alcyonij prima vel ſecunda ſpecie, aut ſulfure duab9 partibus, ſalis vna vtemur. Sulfur terebinthinæ mixtum, lepræ, & impetigini medet: & cum aceto quoque lepras ac vitiligines tollit. Et ſal cum oleo acetoq; inũctus iuxta ignẽ ad ſudorẽ vſq;, impetiginem, ſcabiem & lepram curat. Hæc quidem cum nunquam nobis deſint, adarce & alcyonio facilè carebimus. Sulfuris ve-

rò odor ſi quem offendit, oſſe ſepiæ vſto vtatur. ❡ Hoc loco commodè mihi in mentem venit, quod ab amico olim audiui, qui Flandriæ & Belgici tractus orā perluſtrauit: in qua rem quandam maritimā, Meergallen vulgò dictam (id eſt fel marinum, & ſi nō propriè amarum, ſed ſalſum eſſe puto. ſic & Homerus ἅλμην πικρὴν, Iliados ε.) multis in locis ſibi repertam aiebat: eſſe autem materiam albam & pellucidam glaciei inſtar, magnitudine pilei interdum, mollem, ſpongioſam, lentā, glutino aqua reſoluto vel concreto piſcium iuri, ſimilem: valde ſalſam: inueniri in litore circa petras, in earum angulis præcipuè vbi aquæ marinæ ab æſtu nonnihil relictum eſſet: viderió́ è maris ſpuma petris alliſa, paulatim gigni. Hoc verò quidnā rei ſit, & quis eius vſus, nondum cognoui. ❡ Ariſtoteles libro 9. animalium, cap. 14. alcyonum nidum ſimilem eſſe ſcribit pilis maris, ſiue haloſach-

ſachnis dictis, &c. quem ſi ferro acuto diſſecare conêris, non facilè procedit: ſi verò inter ſecandum, manu etiã confries, mox attereretur, tanquam haloſachne. Sic ille: Videtur autem non haloſachnen noſtram, ſed quintũ alcyonij genus intelligere: quod in Propótide haloſachnen vocari diximus. Plinius tamen lib. 10. cap. 32. hunc locum transferens, haloſachnen vertit ſpumam aridam maris, vnde eum nõ alcyonij genus, ſed medicorum haloſachnen intellexiſſe apparet. Poſtremò apud Nicandrum in Alexipharmacis inter remedia aduerſus potam hirudinem legimus:

Πολλάκι δ' ἢ ἅλα πικρὸν ὁμιλαδὸν, ἢ ἁλὸς ἄχνην
Ἐμπίσαις: τὴν τ' αἰὲν ἀνὴρ ἁλοπηγὸς ἀγείρει.
Νειόθ' ὑφισταμένην, ὁππόθ' ὕδασιν ὕδατα μίξῃ.

Vbi Græcus interpres: Qui ſalem, inquit, conficiunt, dulci aquę marinam

admiſcent,& ſubigendo confundũt, ita marinæ virus quodammodo eluentes. Dum verò ita ſubigitur, ſpuma exurgit, quam ἄχνlω ἁλὸς appellant. Alij quidem authores aduerſus hirudines nihil tale habent: niſi quod muriam, præſertim acidã, & ſalſa omnia cõmendant.

FINIS.

Digitized by Google

SANCTI

PATRIS EPIPHANII EPISCOPI CYPRI AD DIOdorum Tyri epiſcopum, De XII. Gemmis, quæ erant in veſte Aaronis, Liber Græcus, & è regione Latinus, Iola Hierotarantino interprete: cum Corollario [redacted]



TIGVRI M.D.LXV.

Digitized by Google

CLARISSIMO VIRO D. ADOLPHO OCCONI F. INCLYTAE REIPVB. Auguſtanæ medico doctiſsimo, Conradus Geſnerus medicus Tigurinus S. D.

MITTO ad te, vir doctiſſime, Epiphanij de XII. gemmis libellū Græcum & Latinum, ab amico itidem meo, optimo & pererudito viro conuerſum. Audio quidem Lutetiæ Pariſiorum etiam euulgatū eſſe: ſed ego hactenus nec Græcum neque Latinum typis editū videre potui. Quamobrem cæteris qui hoc codice coniuncti ſunt, amicorum & meis, de metallis ac lapidibus libellis, hunc etiam adiungere volui: quem Epiphanij veteris, ſanctiſſimi ac doctiſſimi illius epiſcopi Cypri, genuinū eſſe fœtū non dubito, etſi inter reliquas eius Græcè Latineq; Baſileæ editas lucubrationes non habeatur. Fuit enim vir ille, non pius ſolùm & eruditus in literis ſacris epiſcopus: ſed rerum etiam naturalium ſciētiſſimus: quod relicti ab eo libri declarāt, in quibus ſæpe ſimilitudines à naturalibus re

Digitized by Google

bus, animantibus præſertim, ad ſacras egregiè & eleganter ſanè, trahit atque accommodat. Et ego alium etiam eiuſdem authoris, nō editum hactenus, Phyſiologi titulo librū manuſcriptum habeo: in quo ex profeſſo ductas ab animalium numero XXXIX. naturis ſimilitudines explicat: quē alio tempore, ſi diuina fauerint, edam. Tu in præſentia, amicorum optime & candidiſſime, exiguū hoc munuſculum boni conſules: quod propter multa maximaq́; beneficia in me tua, quibus ſubinde & oblectare me, & lucubrationum mearum labores promouere pergis, qualecunque gratitudinis ſpecimen, aut potius pignus ac publicum obligationis meæ χειρόγραφον tibi offero: & rogo ſi quid in Græco exemplari, cui emendationes quaſdam ex cōiectura duntaxat mea marginibus adieci, mutandum iudicaueris, pro tuæ in Græcarum literarum cognitionis rerumq́; naturalium omnium excellentia, de eo liberè candideq́; vt ſoles, me commonefacias. Videor quidem mihi ſententiam ſaltem authoris, ſi non verba, vbiq; ferè conſecutus, vno loco excepto: qui eſt capite duo-

decimo

Digitized by Google

decimo de onyche gemma: quam ait aliquos putare ἐξ ὕδατος ἀτταίκτου πεπῆχθαι. vbi ἀτταίκτου vox corrupta videtur: quomodo autẽ emẽdari debeat, ne diuinare quidem poſſum. Habui autem vnicum ſolùm exemplar manuſcriptum, quod ante annos aliquot vir genere nobilis & eruditione præſtans Gaſparus à Nydbruck I.C. Ferdinandi Romanorũ & Maximiliani Bohemiæ regum à conſilijs, immatura morte nobis ereptus, ad me miſit. Peto præterea vt per occaſionem in Photij patriarchæ Catalogo authorum quos legit (quẽ Auguſtæ apud vos in generoſi viri D. Io. Iacobi Fuggeri Mecœnatis mei benemeriti nobiliſſima Bibliotheca Græcè manuſcriptum vidi) locum, ſi modò eſt aliquis, de Epiphanio eiusq́; ſcriptis inquiras: vt an præſens hic liber, & alter phyſiologus inſcriptus, ab ipſo quoque ad hunc authorem referantur, certiores reddamur. In Corollario addendo prolixior ac diligentior fuiſſem, ſi per alias occupationes licuiſſet. Delector enim non parum indagandis Hebraicis rerum naturalium proprijs nomenclaturis: vt aliquid hac ſaltem in

parte lucis, quoniam in melioribus non poſſum, ſacris etiam literis adferam: idque vt in noſtris Animaliũ libris declaraui, ita in Stirpium quoque hiſtoria non minùs diligenter, Deo iuuante, faciam. Vale vir ornatiſsime: & meo nomine venerando doctiſsimoq; ſeni parenti tuo, tibi cognomini (cuius tu ἐκ τεχνικῆς γονίας ἰατρὸς, filius es: auus autem Maximiliani Cæſaris primùm medicus fuit, deinde illuſtris Reipub. Auguſtanæ) plurimam officioſamq; ſalutem dicito. Tiguri 1565. Nonis Iulij, ex tempore, ad prælum.

HIs ſcriptis offertur mihi locus di
ui Hieronymi lib. 9. Comment.
in Ezechielẽ, cap. 28. vbi inter alia quę
de lapidibus precioſis ſcribit, ita legi
tur: Horũ colores, atq; naturas & effi “
cientias ſingulorũ, non eſt huius tem “
poris diſſerere, ſed proprium volumẽ “
deſiderant: ita vt in Ezechiele, & in E- “
xodo, & Apocalypſi, & in Eſaia, ſibi “
omnes lapides & lapidũ ordines cõ- “
parati, magnam & legenti & diſſeren “
ti faciant quæſtionem. Super quibus “
& vir ſanctus *EPIPHANIVS* epi- “
ſcopus, proprium volumen mihi prę “
ſens tradidit. Hæc ille: quo locuple “
tius teſtimonium, hunc librũ eſſe ger-
manum Epiphanij, non eſt quod deſi
deremus: præſertim cum idem Hiero
nymus ad Fabiolam de veſtitu ſacer-
dotum, de Lyncurio gemma, eadem
planè quę Epiphanius hoc in li-
bello ſcribat: vt inde tran-
ſtuliſſe eum ſatis ap-
pareat.

Digitized by Google

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ἘΠΙΦΑΝΙΟΥ

ἐπισκόπου Κύπρου πρὸς Διόδωρον ἐπίσκοπον Τύρου περὶ τῶν ιβ. λίθων, τῶν ὄντων ἐν τοῖς στολισμοῖς τοῦ Ἀαρὼν, βιβλίον.

Marginibus quædam ex coniectura adſcripſimus: idq; monemus, ne quis diuerſam lectionem aliorũ Codicum exiſtimet.

ἨΤΗΣΑΣ (τῷ ἐμοῦ) τιμιώτατε (Διόδωρε) περὶ τῶν ἐν τῷ λογίῳ ἐπὶ ἐπωμίδος τοῦ ἱερέως ἐπὶ τοῦ στήθους Ἀαρὼν, προστεταγμένων τότε ἐμπεπορπῆσθαι λίθων, τάς τε ὀνομασίας, τάς τε χρόας, εἴτ' οὖν ἰδέας, τούς τε τόπους, καὶ τὰς εἰς θεοσέβειαν φερούσας τῶν αὐτῶν λίθων θεωρίας· καὶ ἕκαστος λίθος, ὑπὲρ ποίας φυλῆς ἐτέτακτο· πόθεν τε εὕρηται καὶ ποίας πατρίδος. †

Deeſt aliquid, & ſententia pendet.

Τετραχῇ δὲ διαιρεῖται τὸ λόγιον, καὶ αὐτὸ τετράγωνον, σταθμῆς τὸ μῆκος καὶ εὖρος ὁμοίως. Τοῦ μὲν πρώτου στίχου πρῶτος λίθος σάρ-

SANCTI PATRIS
EPIPHANII EPISCOPI Cypri ad Diodorum Tyri epiſcopum de XII. Gemmis quæ erant in veſte Aaronis, Liber, Iola Hierotarantino interprete.

QVod petijſti, vir præſtantiſsime, de Gemmis quas in Rationali ſiue Oraculo dicto Epomidis humeralis ſacerdotis, ſupra pectus Aaronis Dominus iuſsit † alligari: vt cum eorũ nomina, colores ſiue formas locos, & quæ faciunt inde ad pietatem meditationes, tum etiam ad quam indicandam quælibet Gemma poſita fuerit, quoq; in loco & in qua patria inueniatur, id paucis tibi exponam: Hoc quidem ita ſe habet.

† infibulari, id eſt, fibula innecti.

Quadrifariam diuiditur Rationale. Et ipſum quadratum † palmi longitudinem ac latitudinem habet. Primi quidem ordinis prima Gemma,

† dodrãtis

Σαρδιον, εἶτα τοπάζιον, εἶτα σμάραγδος.
Τοῦ δὲ δευτέρου στίχου πρῶτος λίθος ἄνθραξ, εἶτα σάπφειρος, εἶτα ἴασπις. Τοῦ τρίτου στίχου πρῶτος λίθος, λιγύριον: εἶτα ἀχάτης, εἶτα ἀμέθυστος. Τοῦ τετάρτου στίχου πρῶτος, χρυσόλιθος: εἶτα βηρύλλιον, εἶτα ὀνύχιον. Καὶ οὗτοι μέν εἰσιν οἱ ιβ. οἱ ἐν τῇ ἐπωμίδι τοῦ ἱερέως ἐξηρτημένοι, ὧν καὶ διαφοραὶ, καὶ οἱ τόποι οὗτοι.

Α.

Πρῶτος λίθος σάρδιος ὁ Βαβυλώνιος, οὕτω καλούμενος. ἔστι δὲ πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματοειδὴς, σαρδίῳ τῷ ἰχθύι τεταριχευμένῳ ἐοικώς. διὸ καὶ σάρδιος λέγεται, ἀπὸ τοῦ εἴδους λαβὼν τὸ ἐπώνυμον. ἐν Βαβυλῶνι δὲ τῇ πρὸς Ἀσσυρίαν γίνεται. ἔστι δὲ διαυγὴς ὁ λίθος. δυνάμεως δέ ἐστι θεραπευτικῆς, ᾧ κέχρηνται οἱ ἰατροὶ πρὸς οἰδήματα, καὶ ἄλλας πληγὰς ὑπὸ σιδήρου γιγνομένας. ἔστι δὲ καὶ ἄλλος, σαρδόνυξ, ὃς καλεῖται μολοχάς. μαλακτικὸς δέ ἐστι στομάτων. τῆς δὲ αὐτῆς ἰδέας τυγχάνει, ὑπο-

χλω-

Digitized by Google

Sardius, tum Topazius, dein Smaragdus. Secundus ordo primã gemmã habet Carbunculum, ſecundã Sapphirum, tertiã Iaſpidem. In tertio ordine ſunt, prima † Ligurius, ſecunda Achates, tertia Amethyſtus. In quarto, prima Chryſolithus, ſecũda Beryllus, tertia † Onychiũ. Et iſtæ quidẽ ſunt XII. Gemmæ, quæ in Humerali (Epomide) ſacerdotis ſunt annexæ, quarũ tũ diſcrimina tum loci ſunt iſti.

† *Lyncurium.*

† *Onyx.*

I.

Prima gemma, Sardius Babylonius dicta. Eſt verò forma ignea, & q̃ ſanguinis colorẽ referat † Sardio piſci ſale cõdito & inueterato ſimilis: qua de cauſa etiã Sardius dicit̃, à forma (colore) nomine deſumpto. Naſcit̃ in Babylone Aſſyriorũ. Pellucida eſt: & vim habet medendi ad tumores ac vulnera ferro inflicta. Eſt & alia quæ Sardonyx vocat̃, & † Molochites, vim emolliendi ſteatomata habens. Eiuſdẽ hæc coloris eſt cum ſuperiore, ſubuiri-

† *Sardæ.*

† μολοχάς

χλωρίζων. ἐμβριθέστατος δὲ μᾶλλον παρὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ ἔαρος, ὅτι ἡ ἀρχὴ τῶν παθῶν.

B.

Λίθος τοπάζιον, ἐρυθρὸς τῷ εἴδει ὑπὲρ τὸν ἄνθρακα. † γίνεται δὲ ἐν Τοπάζῃ πόλει τῆς Ἰνδίας, ὑπὸ τῶν ἐκεῖσε ποτὲ λίθους λατομούντων, ἐν καρδίᾳ ἑτέρου λίθου: ὃν οἱ λατομήσαντες θεασάμενοι φαιδρὸν, καὶ ὑποδεξαντες † ἀλαβαστρόν τινα, ἀπέδοντο ὀλίγου τιμήματος. Θηβαῖοι δὲ προσήνεγκαν τῇ κατ' ἐκεῖνον καιρὸν βασιλίσσῃ. ἡ δὲ λαβοῦσα, ἐν τῷ αὐτῆς διαδήματι μέσον τοῦ μετώπου περιέθετο. ἔχει δὲ ὁ λίθος δοκιμὴν τοιάνδε. τριβόμενος ἐν ἰατρικῇ ἀκόνῃ, οὐκ ἐρυθρὸν ἀποδίδωσι κατὰ τὸ χρῶμα τὸν χυλὸν, ἀλλὰ γαλακτώδη. ἐμπίπλησι δὲ κρατῆρας ὅσους ἂν θέλῃ ὁ ἀποτρίβων, καὶ τοῦ προτέρου σταθμοῦ οὐκ ἐλαττοῦται οὐδ' ὅλως. χρησιμεύει δὲ καὶ ὁ ἐξ αὐτοῦ οὗτος χυλὸς πρὸς πάθος ὀφθαλμῶν. καὶ πινόμενος δὲ ἀντιπαθεῖ πρὸς ὕδρωπας; καὶ τοῖς ἀπὸ σταφυλῆς θαλασσίας μαρκινομένοις.

† εὕρηται

† Forte ὡς ἀλάβαστρον: vel, Θηβαίοις τισίν.

λίθος

dis. Grauiſsima autem eſt ſub initiū veris, cum huiuſmodi malæ affectiones incipiunt.

II.

Topazius gemma colore rubet magis q̃ Carbunculus. Naſcitur in Topaza vrbe Indiæ, inuenta quondam illic à lapicidis in corde alterius lapidis: quã cum ſplendidam vidiſſent, & Thebanis quibuſdã oſtendiſſent, paruo precio vendidêre. Thebani verò, tum temporis regnum adminiſtranti Reginæ attulerunt. Illa verò diadematiſuo impoſuit in medio frontis. Habet tale experimentum hæc gemma. Attrita medica cote reddit ſuccum non pro ſuo colore rubrum, ſed lacteum. Implet autem ſucco illius attritæ quot crateres voluerit is qui affricat, idq́ abſq; prioris ponderis vlla planè imminutione. Vtilis eſt ſuccus hic ad morbos oculorũ. Epotus aduerſatur hydropi, & medet̃ tabeſcentibus ab vua marina ſumpta.

Digitized by Google

Γ.

Λίθος σμάραγδος. οὗτος καλεῖται ὁ πράσινος. ἔστι δὲ καὶ χλωρὸς τὸ εἴδει, καὶ διαφοραί τις ἐν αὐτοῖς. τινὲς μὲν γὰρ αὐτῶν Νερωνιανοὺς καλοῦσιν. ἄλλοι δὲ Δομετιανούς. καὶ ὁ μὲν Νερωνιανοὺς † πικρός ἐστι τὸ εἴδει, σφόδρα χλοΐζων, διειδὴς καὶ στίλβων. καλεῖσθαι δὲ Νερωνιανὸν λέγουσιν, ἤτουν Δομετιανὸν, διὰ τοιαύτην αἰτίαν· ὅτι φασὶν ἔλαιον Νέρωνα εἴτε Δομετιανὸν ἐν σκεύεσι βαλεῖν ἱκανοῖς, καὶ ἐκ τοῦ ἰοῦ τῷ χρόνῳ χλωραίνεσθαι τὸ ἔλαιον. καὶ ἐκ τούτου τὴν πέτραν ποτιζομένην παντοτρόπως ξανθεῖν τῇ χροιᾷ. ἄλλοι δέ φασι Νέρωνά τινα τεχνίτην τῶν παλαιῶν πινακοποιὸν, ἤτουν λιθουργὸν ἐφευρεῖν τὸ ἀναγκαιότατον τοῦ σμαράγδου, καὶ ἐκ τούτου Νερωνιανὸν καλεῖσθαι· οἱ δὲ Δομετιανόν. Ἀλλὰ καὶ ἄλλοι εἰσὶ σμάραγδοι. ὁ μὲν πρῶτος ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, πάνυ ἐοικὼς τῷ Νερωνιανῷ. ὁ δὲ ἕτερος ἐν τῇ Αἰθιοπίᾳ, ὃν καὶ ἐν τῷ Φεισῶνι ποταμῷ λέγεται γεγενῆσθαι. Φεισὼν δέ ἐστι ὁ παρὰ τοῖς Ελλησιν Ἰνδὸς καλούμενος, παρὰ τοῖς Βαρβάροις δὲ Γάγγης. λέγουσι δὲ ὅτι τὸν

† μακρός.

ἄνθρα-

Digitized by Google

III.

Smaragdus gẽma. Vocat̃ hęc etiam Praſin⁹. Eſtq́; viridi colore, & differũt tamẽ aliquantũ inter ſe. Quidã enim illos vocãt Neronianos, alij Domitianos. Et Neronianus quidẽ parua eſt eſt forma, valde viridis, pellucidus, & ſplendẽs. Appellatũ verò Neronianũ ſiue Domitianũ huiuſmodi de cauſa ferũt. Neronẽ aiũt ſiue Domitianũ oleũ in multa vaſa infudiſſe: & interuallo tẽporis, oleũ viridẽ colorẽ contraxiſſe, hocq́; oleo petrã copioſius rigatã floridioris coloris euaſiſſe. Alij dicunt Neronẽ quendã antiquũ artificẽ, gemmarũ ſcalptorẽ, Smaragdi pręcipuũ vſum inueniſſe, & gemmã iſtã ab illo Neronianã dictã: alij verò Domitianã appellari malũt. Sunt aũt & alij Smaragdi: & primus q̃dẽ naſcit̃ in Iudæa, Neroniano valde ſimilis: alter verò in Aethiopia, quẽ etiã in Phiſone fluuio naſci dicunt. Phiſon aũt apud Græcos Indus, apud Barbaros Gãges

ἄνθρακα ἐν αὐτῷ γίνεσθαι. ἐκεῖ γάρ φησιν ὁ ἄνθραξ, καὶ ὁ λίθος ὁ πράσινος. ἡ δὲ δύναμις φασὶ τοῦ λίθου, δηλαδὴ τοῦ σμαράγδου, πρὸς τὸ ἐνοπτρίζεσθαι πρόσωπον. λέγεται δὲ καὶ παρὰ τοῖς μυθοποιοῖς προγνωστικὸς εἶναι.

Δ.

† φοινικον forte, vel ὀξυφοίνικος

Λίθος ἄνθραξ. οὗτος εἶδος † ξυφοίνικον ἔχει. γίνεται δὲ ἐν Καρχηδόνι τῆς Λιβύης, ἥτις Αφρικὴ καλεῖται. ἕτεροι δέ φασι τὸν λίθον τοῦτον οὕτως εὑρίσκεσθαι, οὐκ ἐν ἡμέρᾳ καθορώμενον· ἀλλὰ κατὰ τὴν νύκτα πόῤῥωθεν δίκην λαμπάδος, ἢ ἄνθρακος σπινθηρίζοντος, καὶ ὡς μακρόθεν φαινοντος. καὶ τοῦτο ἐπιγινώσκοντες, οἱ τοῦτον ἀνερευνῶντες, ῥᾳδίως εὑρίσκουσιν αὐτόν. βασταζόμενον δὲ ἀδύνατον διαλαθεῖν, ὁποίοις γὰρ ἂν ἱματίοις κατακρυβῇ, ἡ αὐταύγεια αὐτοῦ ἔξωθεν τῆς περιβολῆς φαίνεται· ὅθεν καὶ ἄνθραξ κέκληται. Ὀλίγον δὲ ὁ κεραύνιος λίθος αὐτῷ ἔοικε. καλοῦσι δὲ τὸν κεραύνιον, οἰνωπόν. Ἐστὶ δὲ ὁ † χαλκηδόνιος καλούμενος λίθος παραπλήσιος τούτῳ, ὅτι καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου εὑρίσκεται.

† καρχηδόνιος.

λίθος

vocat̃. Aiunt etiã Carbunculũ in hoc fluuio gigni. Illic enim, inquit Moſes, Carbũculus & gẽma Praſinus. Ferunt aũt Smaragdũ ſpeculi inſtar imagines reddere. Tradũt etiã fabulatores uim eũ habere ad prædicẽdas res futuras.

IIII.

Carbũculus gẽma, puniceo colore ardet. Naſcit̃ in Carthagine Libyæ, q́ dicitur Africa. Sunt q̃ ita inueniri hãc gemmã dicant: Interdiu quidẽ nó videri, ſed noctu inſtar lampadis & carbonis ſcintillãtis eminus ac ꝓcul apparere. Hinc agnitã q̃ eam quærũt, facilè inueniũt. Geſtata quibuſcũqꝫ veſtibus tegatur, latêre nó poteſt. Splendor enim eius extra veſtes apparet: vnde etiã Carbũculus appellat̃. Carbunculo nõnihil, parũ quidẽ, ſimilis eſt gemma Ceraunius, quẽ aliqui οἰνωπὸν à vini nigricantis colore cognominant. Eſt etiam gemma dicta Carchedonius non abſimilis huic, quoniam & ibidem loci reperitur.

E.

† πορφύρας puto pro interpretatione in margine ſcriptũ fuiſſe

Λίθος σάπφειρος πορφυρίζων, ὡς βλάττης † πορφύρας τῆς μελαίνης τὸ εἶδος. πολλὰ δὲ γένη τούτου ὑπάρχουσιν. ἔστι γὰρ ὁ βασιλικὸς, χρυσοστιγής. οὐ πάνυ δὲ οὗτος θαυμαζόμενος ὡς ὁ διόλου πορφυρίζων. Καὶ οὗτος δὲ λέγεται εἶναι ἐν τῇ Ινδίᾳ καὶ Αἰθιοπίᾳ. διὸ τὸ τέμενος παρὰ Ινδοῖς φασιν εἶναι τοῦ Διονύσου τξε. ἀναβαθμοὺς ἔχον ἐκ σαπφείρου λίθου, εἰ καὶ τοῖς πολλοῖς ὑπάρχει ἄπιστον. ἔστι δὲ θαυμαστὸς ὁ λίθος καὶ εὐειδέστατος, καὶ χαριέστατος. διὸ καὶ ἐν † τοῖς χλιδόσι καὶ ὁρμίσκοις κατατιθέασι τοῦτον, μάλιστα οἱ βασιλεῖς. Αλεξίπονος δέ ἐστι. τριβόμενος γὰρ καὶ ψυδράκων καὶ φυμάτων γινομένας πληγὰς σὺν γάλακτι ἰᾶται, χριόμενος τοῖς ἡλκωμένοις. γέγραπται δὲ καὶ ἐν τῷ νόμῳ, τὴν τῷ Μωϋσεῖ ὀφθεῖσαν ὀπτασίαν ἐν τῷ ὄρει, καὶ δοθεῖσαν νομοθεσίαν, ἐπὶ λίθου σαπφείρου πεφυκέναι λέγεται.

† ταῖς

S.

Λίθος ἴασπις. οὗτός ἐστι τῷ εἴδει σμαρα-

Digitized by Google

V.

Sapphirus gẽma purpuraſcit vt ſpecies Blattæ, id eſt, Purpuræ nigræ. Multa ſunt eius genera. Eſt enim Regius, aureis punctis varius. Nõ eſt verò hic in tãta admiratione, quãta ille q̃ prorſus purpuraſcit. Et hic dicitur eſſe cũ in India tum etiã in Aethiopia. Quocirca aiunt apud Indos templũ extructum Baccho extare, quod gradus ex Sapphiro trecentos ſexagintaquinq; habeat, q̃uis multi fidẽ nõ adhibeant. Eſt verò gemma admirabilis, pulcherrima, gratiſsima: propterea etiã in armillis & monilibus reponi cõſueuit, idq; potiſsimũ à regibus. Locũ etiam inter remedia habet. Attrita eñ & lacti ꝑmixta plagis q̃ fiũt ex puſtulis albis & tuberculis medet̃, ſi illis illinat̃. Scriptũ eſt & in lege, viſionem q̃ Moſi apparuit in monte, & legem datam, in gemma Sapphiro fuiſſe expreſſam.

VI.

Iaſpis gemma. hæc Smaragdũ for-

γδίζων. παρὰ δὲ τὰ χείλη τοῦ Θερμώδον-
†Ἀμαθοῦντος ποταμοῦ εὑρίσκεται, καὶ περὶ †Ἀμα-
τατὴν ἐν θοῶντας, οὐ τὴν ἐν Κύπρῳ, ἀλλ' ἔστι γένος
Κύπρῳ. πολὺ καλούμενον Ἀμαθούσιον. τὸ εἶδος δὲ
τιόνδε ἐστὶ τοῦ λίθου: κατὰ τὴν σμάραγδον
ἐστὶ χλωρίζουσα, ἀλλὰ ἀμβλυτέρα καὶ ἀμαυ-
ροτέρα. καὶ ἔνδοθεν χλωρὸν ἔχει τὸ σῶμα,
†ἔχουσα. ἐοικυῖα ἰῷ χαλκοῦ, †ἔχοντι φλέβας τετρα-
† καὶ ταύ- στίχους. † ὡς δὲ περὶ ἠκούσαμεν εἶναι φαν-
τὴν ἄκος τασίας ὡς οἱ μυθολόγοι λέγουσιν. ἄλλη δὲ
εἶναι φαντα ἐστὶ γλαυκοτέρα θαλάσσης, βαθυτέρα τῶν
σμάτων, ἄνθει καὶ τῇ βαφῇ. ἄλλη δὲ ἐν τοῖς σπηλαί-
οἱ μυθ. οις, ἐν τῷ ὄρει τῆς Ἴδης ἐν τῇ Φρυγίᾳ, †ὁ-
† πορφύ- μοιάζουσα τῇ χροιᾷ τοῦ αἵματος κόχλου, δι-
ρας τῆς χροιᾶς κυανωτέρα μᾶλλον, ὥσπερ οἴνῳ ὁμοιάζουσα, ἢ
τοῦ αἵμ. ἀμεθύστου †ξανθοτέρα. οὐ γάρ ἐστι μιᾶς χροι-
† βαθυτέ ᾶς, οὐ δὲ τῆς αὐτῆς δυνάμεως. ἀλλ' ἡ μὲν
ρα. ἔστι χαυνοτέρα, καὶ λευκοτέρα, οὔτε πάνυ
στίλβουσα, οὔτε πάλιν ἀειδέουσα. ἄλλη δὲ
κρυστάλλου ὕδατι ὁμοία. λέγεται δὲ ὑ-
† φαντασ πὸ τῶν μυθοποιῶν ἄκος εἶναι † φαντασιῶν.
μάτων. εὑρέθη δὲ παρὰ Ἴβηρσι, καὶ ποιμέσιν Ὑρκα-
νῶν τοῖς κατὰ τὴν κασπίαν χώραν. ἄλλη δὲ ἴα-
σπις, οὐ πάνυ λάμπουσα χλωρά, ἥτις ἔχει

γραμ-

ma (colore) refert. Inuenitur ad ripas Thermodontis fluuij, & circa Amathuntẽ oppidũ Cypri. Huius verò lapidis Amathuſij dicti multa ſunt genera. Qđ ad colorẽ, viret vt Smaragdus: ſed eſt obtuſior & hebetior. intus corpus habet viride, ſimilis æruginì, habetq́ venas quatuor ordinũ. Hæc noxia phãtaſmata expellit, vt quidã fabulant. Eſt & alia magis glauca q̃ mare, ſaturatior flore & tinctura. Alia reperit in ſpelũcis montis Idæ in Phrygia, pellucidior purpura q̄ cochleæ marinæ ſanguine tingit, & vini nigricantis colori ſimilior, amethyſto ſaturatior. Nec enim vnius & eiuſdẽ coloris ac facultatis eſt Iaſpis: Sed hæc q̄dẽ mollior eſt & albior, quę neq́ valde nitet, neq́ rurſus ſplẽdore deſtituit: alia verò ſimilis aquæ glaciei. Tradũt fabulatores hac ipſa pelli phãtaſmata. Inuenit aũt apud Iberos & Paſtores Hyrcanos q̄ terrã Caſpiã accolũt. Eſt & alius Iaſpis, nõ valde ſplendẽs, viridis.

γραμμὰς μέλας. καὶ ἄλλος ἴασπις ὁ παλαιὸς καλούμενος, ὅμοιος ἢ χιόνι, ἢ ἀφρῷ θαλάσσης: τοῦτον φασὶν οἱ μυθοποιοὶ τὰς θῆρας τὰς ἐν ἀγρῷ φοβεῖσθαι, καὶ τὰ φάσματα.

Ζ.

†fortè λυγκούειον.

λίθος † λιγύειον. τούτου δὲ τὴν εὕρεσιν οὐδαμῶς ἔγνωμεν. οὔτε παρὰ φυσιολόγοις, οὔτε παρά τισιν ἀρχαίοις τοῖς περὶ τούτων μεμνημένοις. εὕρομεν δὲ λαγκούειον οὕτω καλούμενον λίθον, ὃν τινὲς τῇ τραχυνῇ διαλέκτῳ λαγούειον καλοῦσι. Καὶ τάχα τοῦτον οἶμαι τὸ λιγύειον. ἐπειδὴ αἱ θεῖαι γραφαὶ τὰ ὀνόματα ἑτέρως μετεποιήσαντο: ὡς τὸν σμάραγδον πράσινον. καὶ ὅτι ὡς ἐν τῇ τῶν λίθων τούτων ὀνομασίᾳ, οὐκ ἐμνήσθησαν καὶ ὑακίνθου, καὶ τινὸς προόπτου καὶ ἐντίμου αὐτὸς λίθου: ὥστε εἰς νοῦν ἡμᾶς λαβεῖν, μήποτε τὸ λιγύειον τοῦτο καλεῖ ἡ θεία γραφή. ὑάκινθος οὖν τὰς μὲν ἰδέας ἔχει διαφόρους. ὅσῳ γὰρ εὑρίσκεται ὁ λίθος † βαθὺς τῇ χροιᾷ, τοσοῦτον ἀναγκαιότερός ἐστι τῶν ἄλλων. ἔοικε δὲ ὑάκινθος τῇ ὀρέᾳ, † ἢ ὑποπορφυρίζων ποσῶς. διὸ καὶ ἡ θεία γραφὴ δὲ

† Βαθύτερος

† ἢ ὑποπορφυρίζει

ὑάκινθος

Eſt & alius itẽ † antiquus vocatus ſimi πάλαιος
lis niui ſeu ſpumæ marinæ. hunc tradunt fabulatores tum venenatas beſtias, tum etiam ſpectra metuere.

VII.

Ligyrius vel Lyncurius gẽma. De huius inuẽtione vel apud naturæ indagatores, vel apud alios veteres, qui harũ rerũ meminerũt, nihil cognouimus. Inuenimus tñ Lancuriũ gemmã vocatã, quã vulgari lingua Laguriũ appellant. Et fortè puto hunc eſſe Lyguriũ, quandoquidẽ diuinæ literæ nomina tranſpoſuerũt: exẽpli gratia, Smaragdũ, Praſinũ appellãtes. Et inter nomina gemmarũ Hyacinthi, qui & ꝑcipuꝰ & precioſus eſt lapis notusq́; omnib. nõ meminerũt: vt in mentẽ nobis venerit, num fortè ligyriũ hanc gemmã appellet ſancta ſcriptura. Hyacinthꝰ igit̃ diuerſas habet formas. Quo enim reperit̃ colore ꝓfundior, eò cæteris ꝓ ſtãtior eſt. Similis eſt colori lanę q̃ ſup purpuraſcit aliquatenus. Quapꝓpter

ὑακίνθου καὶ πορφύρας τὰ ἱερατικὰ ἐνδύματα κεκοσμῆσθαι φησί. Καὶ ὁ μὲν πρῶτος λίθος, καλεῖται θαλασσίτης: ὁ δὲ δεύτερος, ῥοδινός. ὁ τρίτος, νάλεβος. ὁ τέταρτος λέγεται χαυνιαῖος. ὁ δὲ πέμπτος, † περιλεύκιος. εὑρίσκονται δὲ οὗτοι ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ Βαρβαρίᾳ τῆς Σκυθίας. οὗτοι δὲ οἱ λίθοι μετὰ τοῦ εἶναι πολύτιμοι, ἔχουσι καὶ ἐνέργειαν τοιαύτην: βαλλόμενοι εἰς ἄνθρακας πυρός, αὐτοὶ μὲν οὐ βλάπτονται, τοὺς δὲ ἄνθρακας σβεννύουσιμ. οὐ μόνομ δὲ τοῦτο, ἀλλὰ καὶ εἰ λαβώμ τις τὸμ λίθομ ἐνειλίσῃ ὀθόνῃ, καὶ ἐπιθῇ ἐπ' ἄνθρακας πυρός, οὐδ' αὐτὴ ἡ καλύπτουσα ὀθόνη φλογίζεται, ἀλλὰ μένει ἀσινής. λέγεται δὲ ὁ λίθος ταῖς τικτούσαις γυναιξὶμ εἰς εὐτεκνίαν χρησιμεύειμ. ἔστι δὲ καὶ φασμάτωμ ἀπελαστικός.

† περίλευκος in ſequēti cap.

H.

Λίθος ἀχάτης. οὗτος ὑπελήφθη εἶναι περιλεύκιος καλούμενος, ὃς ὑπὸ τὸμ ὑάκινθομ εὑρίσκεται. θαυμαστὸς δὲ ὅτι, τῷ εἴδει ὑποκυανίζωμ: ἔξωθεν περιφέρειαν λευκὴν ἔχωμ, μαρμάρου τρόπομ ἢ † ἐλεφαντίνου.

† ἐλέφαντος.

Καὶ

veſtes ſacerdotales hyacintho & pur
pura ornatas fuiſſe tradit diuina ſcri-
ptura. Et primus quidē lapis, vocatur
†Marinus: ſecundus †Roſeus: tertius, †θαλασ-
Natiuus: quartus, Channiæus: quin- σίτης.
tus, Perileucus. Inueniūtur hæ gēmæ † ῥοδινός.
in interiori Barbaria Scythiæ: & p̄ter
quod ſunt valde p̄cioſæ, mirā quoq;
efficaciā habēt. Nam in ignis carbo-
nes cōiectæ, ipſæ quidē tantū abeſt vt
abſumantur, vt ipſos carbones extin-
guāt: nec id tm̄, ſed ſi quis hāc gemmā
panniculo inuolutā in carbones igni
tos cōiecerit, pāniculus quoq; illęſus
conſeruat. Dicit etiā hæc gēma cōdu
cere mulieribus parituris, vt faciliùs
pariant. præterea fugat ſpectra.

VIII.

Gemma Achates. Hanc gemmam
ſuſpicati ſunt quidā eſſe eam quæ dici
tur Perileucos, quæ in Hyacinthi mē-
tiōe dicta eſt à nobis. Mirabilis eſt gē-
ma coloris ſubcœrulei, extrinſecus
circūferentiā habens albā inſtar mar-

Digitized by Google

Καὶ οὗτος δὲ περὶ τὴν Σκυθίαν εὑρίσκεται. ἔστι δὲ ἐκ τούτων τῶν λίθων ἀχάτης χρῶμα ἔχων λέοντος: τριβόμενος δὲ μεθ' ὕδατος, καὶ χριόμενος ἐπὶ δήγματος θηρίου, ἀποτρέπει ἰὸν σκορπίου, καὶ ἐχιδνῶν, καὶ τῶν τοιούτων.

Θ.

Λίθος ἀμέθυστος, οὗτος κατὰ τὴν αὐτοῦ περιφέρειαν φλογίζων ἐστὶ βαθέως. ἡ δὲ αὐτὴ ἐστὶ λευκοτέρα ἐκ τοῦ μέσου, οἰνωπὸν ἀποπέμπουσα εἶδος. ἡ δὲ μορφὴ αὐτοῦ διάφορος. τάχα δὲ καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς ὄρεσι γίνεται τῆς Λιβύης. ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐστιν ὑακίνθῳ καθαρῷ παραπλήσιος: ὁ δὲ, † ἀμφικόχλῳ. γίνεται ἐν ταῖς ὄχθαις τῆς θαλάσσης τῆς αὐτῆς Λιβύης.

† θαλάσσης, vel θαλασσίῳ κόχλῳ: vel potiùs αἱμάλῃ κόχλῳ, vt ſuprà in ſexto lapide.

Ι.

Λίθος χρυσόλιθος. τοῦτον τινὲς χρυσόφυλλον κεκλήκασι. χρυσίζων μέν ἐστιν: εὑρίσκεται δὲ ἐν τῷ φρέατι διπέτρῳ, παρὰ τὸ τεῖχος τῆς Ἀχαιμενίτιδος Βαβυλῶνος. τὴν γὰρ Βαβυλῶνα καὶ τὸ φρέαρ ἐκεῖνο Ἀχαιμενίτιδα καλοῦσιν, ὅτι φασὶν ὁ πατὴρ Κύρου τοῦ βασιλέως, † Ἀχιμθμεὺς ἐκαλεῖτο. ἔστι δὲ καὶ χρυσόπα-

† Ἀχαιμένης.

σος.

moris vel eboris. Inuenitur circa Scythiã. Eſt etiã inter Achatis ſpecies, q̃ leonis colorẽ habet. Si terat̃ cũ aqua, & illinatur morſui venenato, auertit venenum ſcorpij, viperarum, & huiuſmodi venenatarum beſtiarum.

IX.

Amethyſtus gemma. Hæc circũferentiã habet ꝓfundo ceu colore flammæ ardentẽ. ipſa verò circũferẽtia in medio albior eſt, & à vino Græcis dictũ colorẽ vibrat. Forma eius eſt varia, fortè aũt & ipſa in montib⁹ Libyæ naſcit̃. Quædã ex eis puro hyacintho eſt ſimilis, altera verò purpuræ: naſciturq́ ĩ litore & ꝑruptis locis maris eiuſdẽ Libyæ.

X.

Gẽma Chryſolithus. Hunc aliqui †Chryſophyllũ vocarũt. Aurũ q̃dẽ colore ſuo refert. Inuenitur aũt in puteo duplicis petræ ad mœnia Achæmenitidis Babylonis. Babylonẽ eñ & puteũ illũ, Achæmenitida cognominãt, ꝗ dicãt regis Cyri patrẽ Achæmenẽ

† *Chryſo phyllũ a. authore nõ habẽ ſed Chry ſoberyll.*

ςὸς. [*id est, aureis punctis conſperſus, malim χρυσόπρασος, quæ gemma colore porri ſuccũ refert, auri interuenientibus guttis, vnde ſimiliter ab auro. vt Chryſolithus nomen accepit: non Chryſolitho tamen, ſed Beryllo, de qua mox agetur, cognata.*] οὗτος στομαχικοῖς καὶ κοιλιακοῖς τριβόμενος, καὶ πινόμενος, ἰαματικὸς ὑπάρχει.

I A.

Λίθος βηρύλλιον, γλαυκίζων μέν ἐστι, θαλασσοβαφὴς, ἔχων εἶδος καὶ τῆς ὑδαρεστέρας ὑακίνθου. γίνεται δὲ περὶ τὸ στόμα τοῦ ὄρους τοῦ καλουμένου Ταύρου. εἰ δέ τις θελήσει κατ' αὐτὴν κρυ τὸν ἡλίου ἀκτῖνα † ἀνακαλέσαι, φαίνεται ὡς ὕελος κέγχρους ἔχων ἔνδοθεν διαυγεῖς. ἄλλη δέ τις βήρυλλος, ταῖς κόραις τῶν ὀφθαλμῶν τοῦ δράκοντός ἐστι παραπλησία. ἔστι δὲ καὶ ἄλλη πάλιν ὁμοία κηρῷ. ἐφάνη δὲ αὕτη περὶ τὴν ἔξοδον τοῦ Εὐφράτου ποταμοῦ.

† ἀνακλάσαι

I B.

Λίθος τὸ ὀνύχιον. οὗτος ὁ λίθος ξανθὴν πάνυ ἔχει τὴν χροιάν. τορπεῦσι δὲ τῷ λίθῳ τούτῳ φασὶ τὰς νύμφας τῶν βασιλέων, ἢ καὶ πλουσίων ἀνδρῶν, αἵτινες καὶ εἰς † ἐκπτώματα ἴδια ἀνα-

† ἐκπώ-

vocatum fuiſſe. Inuenitur & Chryſopaſtus, quæ ſtomachicis & cœliacis pota vim medendi habet.

eamq; Babylonicã: quod huic loco conuenit.

XI.

Beryllus gemma glauca eſt, colore maris, aut hyacinthi dilutioris. Naſcitur circa finem montis Tauri. Si quis velit hanc è regione Solis contemplari, videbitur non ſecus ac vitrum intrinſecus grana milij habere pellucida. Eſt & alia Beryllus pupillis oculorum ſerpentum ſimilis. item alia ceræ ſimilis, quæ circa Euphratis exitum reperitur. [*Berylli ſi ſphæricæ fiant, & radijs Solis opponantur, ignem emittunt, vt ſpecula concaua. Anonymus. Sic & Cryſtalli.*]

XII.

Onyx vel Onychium, gemma. Eſt hæc valde flauo colore. plurimum delectari hac gemma aiunt regum & diuitum hominum ſponſas, quæ hanc gemmam in poculorum vſum con-

ματα, ἀνατρέψασαι ἔχουσι τὸν λίθον τοῦτον. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοι ὀνυχῖται ὁμωνύμως καλούμενοι, οἳ τινὸς κηρῷ τῷ μελιχρόῳ εἰσὶ παραπλήσιοι. τινὲς δέ φασιν αὐτοὺς ἐξ ὕδατος * ἀπαί-κων πεπῆχθαι. Ὀνυχίτας δὲ αὐτοὺς λέγουσι φυσιολογικῶς, ἐπεὶ ὁ ὄνυξ τῶν ἀστείων ἀνδρῶν μαρμάρῳ ἐστὶ † συνεδιαζόμενος, συνζόμενος, τῇ τοῦ αἵματος ἰδέᾳ. ἄλλοι δέ που εἰς τὸν λίθον τὸν μαρμάρινον παρὰ τοῖς δοκιμῆς, ψαι-ζόμενος. διωνύμως ὀνυχίτην καλοῦσι † διὰ τὸ καθαρὸν τῆς λευκότητος.

ex onyche enim pocula facta legimus.

† συνδιαζόμενος, vel ὁμοιαζόμενος.

† διὰ τὸ ἀκριβὲς τῆς λειότητος.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ἈΔΑΜΑΝΤΟΣ ΛΙΘΟΥ, ὃν καὶ αὐτὸν ἐφόρει ὁ ἀρχιερεὺς τρὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰσερχόμενος εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων.

Ὁ λίθος ὁ ἀδάμας ἐμφερὴς ἐστι κατὰ τὴν χροιὰν τῷ ἀέρι. τοῦτον δὲ ἐφόρει ὁ ἀρχιερεὺς ὅτε εἰσήρχετο εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. τρὶς δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰσήρχετο: τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα, τῆς πεντηκοστῆς, καὶ τῆς σκηνοπηγίας. ἦν δὲ κείμενος ἐπὶ τοῦ στήθους τοῦ ἀρχιερέως

Digitized by Google

uertunt. Sunt & alij onychitæ æquiuoce dicti, qui ceræ, mellis colorē habentis, ſunt ſimiles. Aiunt autē aliqui eos ex aqua* coire ac veluti congelari. Onychitas appellant à natiuo eorū colore: quia elegantium virorum vnguis ſit marmori ſimilis, non ſine colore ſanguinis tamen. Alij verò ſanè & ipſum marmor ab exploratione vnguis onychitā vocāt, falſo nomine ꝓpter †puritatē albedinis. [*Alabaſtrites quidē lapis à Dioſc. etiā Onyx vocatur.*]

† *exquiſitū & politiſſimū læuorem.*

DE ADAMANTE GEMMA, *quam etiam geſtabat ſummus Pontifex, dum ter in anno ingrederetur Sancta ſanctorum.*

ADamas colore ſimilis eſt aëri. Hunc geſtabat ſummus Pōtifex in ſancta ſanctorum ingrediens. Ter verò in anno ingrediebat̄, in Paſchate, Pentecoſte, & Tabernaculorū feſto. Ponebatur aūt ſuꝑ pectus ſummi

Digitized by Google

ρέως ὅτε ἐνεδιδύσκετο τὸν ποδήρη, καὶ ἐπάνω τοῦ ποδήρους ἐπενεδύετο τὴν ἐπωμίδα. κατέβαινε δὲ ἡ ἐπωμὶς ὀλίγον κατωτέρον τοῦ στήθους. ἦν γὰρ σπιθαμῆς καὶ ἡμισείας τὸ μῆκος. ἐκ δεξιῶν δὲ καὶ ἐξ εὐωνύ-

† ὤμων μων ἐπάνωθεν τῶν † μαζῶν, ἐν ᾗ τὰ δύο ἀσπιδίσκοι ἦσαν συνεῤῥαμμένοι, ἀπηώρηντο δύο σμάραγδοι. εἰς μέσον δὲ τούτων ἦν ἡ

† ἤτοι ὁ δήλωσις, † ὃς ἦν ὁ δηλωθεὶς ἀδάμας, τὴν

δηλ. χροιὰν ἀειθέζων. ἐπάνω δὲ τῶν ὤμων οἱ δηλωθέντες δώδεκα λίθοι. τρεῖς δὲ ὡς εἴρηται τὸ ἐνιαυτοῦ ἐδήλουν τῷ λαῷ διὰ τοῦ πετάλου. καὶ εἰ ἐν ἁμαρτίᾳ εὑρέθησαν, καὶ μὴ ἐν ταῖς ἐντολαῖς, ἃς ἐδεδώκει ὁ θεὸς, ἐτρέπετο φασὶν ἡ χροιὰ τοῦ λίθου, καὶ ἐγένετο μέλας. καὶ ἐκ τούτου ἐγίνωσκον ὅτι θάνατον ἐξαπέστειλε κύριος. ἡνίκα δὲ ἐν μαχαίραις αὐτοὺς ἔπεμπεν, ἐγένετο αἱμάτινος: ὡς ἐν τῷ Ἱερεμίᾳ φησίν: Ἐξαπόστειλον τὸν λαόν αὐτοῦ, καὶ ἐξελθέτωσαν, ὅσοι εἰς θάνατον, εἰς θάνατον: ὅσοι εἰς μάχαιραν, εἰς μάχαιραν: καὶ ὅσοι εἰς λιμὸν, εἰς λιμόν: καὶ ὅσοι εἰς αἰχμαλωσίαν, εἰς αἰχμαλωσίαν. Εἰ δὲ ἐγίνετο ὡσεὶ χιὼν λαμπρὸς, ἐγίνωσκεν ὁ λαὸς ὅτι οὐδαμοῦ ἁμαρτία: καὶ

Digitized by Google

ſacerdotis, vbi is talarē veſtē, & ſup ta-
larē† humerale induiſſet. Deſcēdebat
verò humerale paulò infra pect⁹. erat
eñ eius longitudo *dodrātis cū dimi-
dio. A dextris & à ſiniſtris **ſupra ma-
millas, vbi duo parua ceu ſcuta cōſu-
ta erāt, pēdebāt duo Smaragdi. In me-
dio aūt horū erat †*Declaratio, q erat
iā dictus Adamas, colore aërē referēs.
Sup humeros verò 12. iā indicatæ gē-
mæ. Ter verò, vt dictū eſt, p annū oſtē-
debat (ſic ornat⁹ pōtifex) populo cū **
lamina aurea ††. Qđ ſi in peccato dep-
hēderent, ſi in pceptis q dederat De⁹, †*
nō ambulaſſent, mutabat, vt ferūt, co-
lor lapidis, & fiebat niger. hinc agno-
ſcebāt qđ Dñs mortē miſſurus eſſet.
Cū verò eos gladio pdere vellet, effi-
ciebat ſanguinei coloris. vt p Hiere.
inqt: Emitte populū ipſius, & egrediā- “
tur: qcūq; ad mortē, ad mortē: qcūq; “
ad gladiū, ad gladiū: qcunq; ad famē, “
ad famē: qcūq; ad captiuitatē, ad ca- “
ptiuitatē. Quod ſi vt nix ſplēderet, a- “

† *Epomidem: D. Hieronymus.* *ſuperhumerale vertit.*

* *σπιθαμῆς, palmi, D. Ieronymus.*

** *in humeris.*

†* *δήλωσις.*

†† *galero addita.*

τία· καὶ τότε ἑόρταζον· ὡς λέγει ὁ προφή-
της· Ἑόρταζε Ἰούδα τὰς ἑορτάς σου, ἀπό-
δος τὰς εὐχάς σου· περιεῖλε κύριος τὰ ἀ-
δικήματά σου. λελύτρωκέ σε ἐκ χειρὸς ἐχ-
θρῶν σου. Βασιλεύσει κύριος ἐν μέσῳ σου.
οὐκ ὄψει κακὰ οὐκέτι. διὸ καὶ ἐπὶ Ζαχαρίου
τοῦ πατρὸς Ἰωάννου ἐν τῇ ἐφημερίᾳ αὐτοῦ,
ἐν τῷ πάσχα, λαμπρὸς ἐγένετο ὁ λίθος. τό-
τε γὰρ ἀρχὴν ἔλαβε τοῦ ἱερατεύειν τὸν ἐνι-
αυτόν. καὶ τῷ ἐπιόντι ἔτει ἕτερος ἀνελάμβανε τὸν
ποδήρη· ὅτε καὶ βραδύνοντος τοῦ Ζαχαρίου
εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἐν ἀγωνίᾳ ἦν ὁ λαὸς,
μήποτε ἔσται ὁ λίθος αὐτοῖς ἐλεγμὸς ἁμαρ-
τίας. Καὶ ἐξελθόντος αὐτοῦ, καὶ γνόντων
ὅτι μεγάλης δόξης ὀπτασίαν ἑώρακεν, ἐχά-
ρησαν σφόδρα. Ἰωάννης γὰρ ἦν μέλλων γεν-
νᾶσθαι, ὁ ἄγγελος τοῦ Χριστοῦ. διὸ καὶ δεδο-
† πέταλον. ξασμένον τὸ † πέπλον ἐφάνη.

Ἐπειδὴ δὲ κατὰ τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ
Ἰσραὴλ οἱ δώδεκα λίθοι οὗτοι προσετάχθη-
† ἐγκατακλεισθῆναι. σαν † ἐγκαταλεχθῆναι, ὡς ἐπὶ ἕνα λίθον
πρὸς μίαν φυλὴν ἡρμοσμένον, ἐλευσόμεθα
κατὰ τὴν προτέραν διαίρεσιν, ἐπὶ τὴν ἀκο-
λουθίαν τῶν γεγεννημένων υἱῶν τοῦ Ἰακώβ.

ὅτω

Digitized by Google

gnoſcebãt ſe nõ peccaſſe, & tũc feſtũ celebrabãt. Quẽadmodũ ꝓpheta ait: Celebra feſta tua Iuda: redde vota tua: Abſtulit Dñs tuas iniq̃tates. Redemit te è manibus hoſtiũ tuorũ. Regnabit Dñs in medio tui. Nõ videbis vlterius mala. Idcirco etiã tẽpore Zacharię patris Ioãnis, dũ ad eũ vices ſpectarẽt, in Paſchate, ſplẽdidus fuit lapis. Tũ eñi cœpit hoc anno fungi ſacerdotio. Sequẽte aũt alius tunicã talarẽ ſumpſit: qñ etiã tardante Zacharia in Sanctis ſanctorũ, anxius erat populus, ne forte gẽma eos redargueret. Cæterũ ipſo egreſſo agnoſcentes, ꝙ magnæ glorię viſionẽ vidiſſet, valde exhilarati ſunt. Naſciturus enim erat Ioannes pręnũcius Chriſti. quapropter etiam lamina aurea glorificata apparuit.

Qm̃ verò iſti 12. lapides iuſsi ſunt inſeri in Rationale, ſecũdũ 12. trib⁹ Iſraeliticas, vt vnuſq̃ſq; lapis vni tribui reſponderet, veniã iuxta diuiſionẽ præcedentem ad filiorum Iacobo nato-

Digitized by Google

οὕτω γὰρ ἐστιν ἁρμόδιον συντάξειν αὐτούς.

Παῖδες Λείας δ. Ῥουβὴν, σάρδιον: Συμεὼν, τοπάζιον: Λευὶ, σμάραγδος: Ἰούδας, ἄνθραξ.

Παῖδες Βαλλᾶς β. Ἡ Βαλλὰ παιδίσκη ἦν τῆς Ῥαχήλ. καὶ ἐπεὶ οὐκ ἔτικτε, δίδωσι τῷ Ἰακὼβ αὐτὴν γυναῖκα πρὸς τὸ ποιῆσαι παῖδας. εἰσὶ δὲ οὗτοι: Δὰν, σάπφειρος: Νεφθαλείμ, ἴασπις.

Παῖδες Ζελφᾶς β. Ἡ Ζελφὰ παιδίσκη ἦν τῆς Λείας, καὶ δίδωσι τῷ Ἰακὼβ γυναῖκα πρὸς τὸ ποιῆσαι παῖδας. εἰσὶ δὲ οὗτοι: Γὰδ, λιγύριον: Ἀσὴρ, ἀχάτης.

Παῖδες Λείας β. Ἰσάχαρ, ἀμέθυστος: Ζαβουλὼν, χρυσόλιθος.

Παῖδες Ῥαχὴλ β. Ἰωσὴφ, βηρύλλιον: Βενιαμὶν, ὀνύχιον.

Οὗτοί εἰσιν οἱ ἡρμοσμένοι δώδεκα λίθοι καθ' ἑκάστην φυλὴν τοῦ Ἰσραήλ.

ΤΕΛΟΣ.

rū ſeriē ita em̄ cōuenit [redacted] Iaco bi & lapides) idoneo ordine coniungi.

Filij Leæ quatuor. Ruben, Sardius: Symeon, Topazius: Leui, Smaragdus: Iudas, Carbunculus.

Filij Bilhæ, duo. Bilha ancilla erat Rachelis. Rachel verò cū nō pareret, dedit eam Iacobo in vxorem, vt filios ex ea ſuſciperet: nati aūt ſunt ex ea: Dan, Sapphirus: Nephthali, Iaſpis.

Filij Zilpæ, duo. Zilpa ancilla erat Leæ, & dedit eam Lea Iacobo in vxorem, vt ex ea filios procrearet. ſunt verò iſti: Gad, Ligyrius: Aſer, Achates.

Filij Leæ, duo: Iſſaſchar, Amethyſtus: Zabulon, Chryſolithus.

Filij Rachelis, duo: Ioſeph, Beryllus: Beniamin, Onychium.

Hæ ſunt 12. gemmę, vnicuiq; tribui Iſraëlis reſpondentes.

FINIS.

Digitized by Google

COROLLARIVM

[redacted]

in Epiphanij de XII. gemmis libellum.

Rationale Aaronis, Pectorale iudicij, λό-γιον τῆς κρίσεως, Hoſen Hebraicè: diſtinctū coloribus quinque: aureo, hyacinthino, purpureo, coccino, byſſino.

Sardonyx in humero.

Altera in altero.

1. Sardius. Ruben L.	2. Topazius. Symeon L.	3. Smaragdus. Leui L.
4. Carbunculus. Iudas L.	5. Sapphirus. Dan B.	6. Iaſpis. Nephthali B.
	VRIM. THVM-MIM.	
7. Lyncurius. Gad Z.	8. Achates. Aſer Z.	9. Amethyſtus. Iſſachar L.
10. Chryſolithus. Zabulon L.	11. Beryllus. Ioſeph R.	12. Onyx. Beniamin R.

In hac

Digitized by Google

IN hac tabella propoſui gẽmas XII. numero, totidem Iſraëlis tribubus accommodatas, iuxta Epiphanium: hoc ordine, vt prima gemma filio primogenito, hoc eſt, maximo natu tribuatur, vltima vltimo & minimo natu: ſecunda ſecundo, & reliquæ reliquis, ſecundum ætatis ordinem: ſicut etiam in duabus humerorum maioribus gemmis, quas Sardonyches interpretantur, dextræ quidem ſena maiorum natu filiorum Iſraëlis inſculpta erant nomina, ſiniſtræ verò totidẽ minorum. Addidimus autem ſingulis literam maiuſculam, quæ matris cuiuſq; nomen indicat: L. Leæ. Z. ancillæ eius. R. Rachelis. B. Balæ, ancillæ eius.

Colores, ſi cui addere libeat, rotũdam aut quadratam figuram in quoque ſpacio deſignet: & colores addãtur, vt hîc ſubiecimus. 1. In primi loci figura, color Sardij, id eſt, Carneolæ dictæ gemmæ, quæ apud aurifa-

bros & locupletiores facilè inuenietur, vt & ſequentiũ pleræq;. Non poſſunt autem verbis ſatis rectè deſcribi colores multi, qui ex rebus ipſis inſpectis meliùs pingentur. In ſecundo & tertio loco Topazius & Smaragdus vulgò non ſunt. Similiter in 5. 6. 8. & 12. Sapphirus, Iaſpis, Achates, & Onyx, omnibus ferè iiſdem nominibus per diuerſas linguas ſeruatis noſcuntur. Et cum pleræq; plures habeant ſpecies, deligi poſſunt, quarum elegantior in ſuo genere color eſt, aut qui in eodẽ frequentior habetur. Pro Onyche, Onychel Germanis dictus, vel Chalcedonius vulgò (Katzedonier) albicans pingatur. In quarto loco pro Carbunculo, Rubinus. In ſeptimo pro Lyncurio, Succinũ aurei coloris. In nono Amethyſtus orientalis apud Germanos cognominatus. In decimo pro Chryſolitho, Hyacinthus vulgò dictus. nomina enim ſunt permutata. In vndecimo Beryllus

Digitized by Google

ryllus eſt, cui figura cylindri, & color cæruleus dilutus conuenient. Decebit etiam ſingulas linea latiuſcula aurei coloris ambiri. auro enim in Rationali incluſæ erant. Poſtremò cū diſtincta ſint ſpacia quinq; tranſuerſa, coloribus totidē, vt in Sacris præcipiuntur, exornari poterunt: Spaciū primum ſiue ſupremum, purpureo, ſiue rubro cui aliquid nigri admixtum ſit. Secundum, hyacinthino ſiue ianthino, qualis in viola Martia eſt, aut paulò ſaturatior ad cæruleum vergēs. Tertium, aureo. Quartum, puniceo ſiue cocci, id eſt, ſcarlati vulgò dicti colore. Quintum, byſsino. eſt autem byſsi color ſplendidus, auroq; ſimilis, ſed dilutior. Deniq; gēmæ ij. in vtroque humero, cum Onyches ſint, eodem cum duodecima gemma calore pingentur. At ſi quis Sardonyches interpretari malit, nigredo ſit in imo, candor in medio, rubor in ſummo, iuxta D. Auguſtinum in Pſalmum 86.

Digitized by Google

GEMMARVM IN RAtionali omniũ, nomina in diuerſis linguis, ſecundũ diuerſos interpretes.

Hebraica nomina ex Biblijs ſumpſimus. Græca, ex trãslatione LXX. interpretũ. Latina, ex diui Hieronymi interpretatione: qui LXX. interpretes ſequitur: ſicut & Philo & Ioſephus ferè in Græcis.

I.

SArdius. Σάρδιον. Hebræis אדם, à rubore ſic dictus, vt videtur: vnde & Iudæi noſtri ſeculi vulgò Rubinũ interpretãtur: Chaldaicus interpres Bibliorum Samkan, vt Paulus Fagius annotauit: cuius Commentaria in Exodum nos conſuluimus. Eſt autem adhibenda fides Lxx. interpretibus Gręcis, circa nomenclaturas rerum saltẽ, potiùs quàm Iudæis: qui poſtquam à Deo reprobati ſunt, vt cæcitate erga filium

filium eius,ita ſumma ignorantia ſuæ etiam linguæ vocabulorum, laborãt.

Ioſephus hoc loco Sardonychem interpretatur: vndecimam verò gemmam, quæ Schoham Hebraicè dicitur, onychem: cum eodẽ nomine maximas in humeris pontificis gemmas, Sardonyches interpretetur. tanta eſt inconſtantia. Mihi hoc in loco Sardium verti placet. Schoham verò vndecimo loco Onychem interpretari, in humeris verò Sardonychem, nõ eſt abſurdum: cum duæ hæ gemmæ vnius generis ſpecies ſint: Sardonyx autem Onyche precioſior. quare Sardonyches [*Smaragdi, ſecundum LXX.*] duæ magnæ, tanquam nobiliſsimæ, aut luc idiſsimæ certè gemmæ, ſupra cæteras ſeorſim in humeris ponebantur. Ex cæteris enim vt aliquæ etiam maioris precij fortè ſint, non æquè tamen ſplendent, aut ad eam certè magnitudinem non accedunt.

Digitized by Google

I. I.

Topazius. τοπάζιον. Hebr. Pitdah. פטדה. Chaldæus vertit Iarkan. Iarok quidem Hebræis virorem ſignificat: & gemmam viridem eſſe dicunt: vnde quidam (Iudæi) Smaragdum interpretantur. R. Ionas ait hunc lapidem Arabicè vocari Smerad. Sed potiùs fuerit Topazius, nomine etiam non diſsimili, ſi primam ſyllabã adijcias. Epiphanius quidem Topaziũ ſupra Carbunculũ rubere ſcribit: ego ſplendere potiùs quàm rubere dixerim. Mirificè enim fulget: exitq́; eius fulgor in colorem auro ſimilem: & cum interdiu non facilè poſsit videri, quod radij Solis ei ſimiles circũcirca reſplendeant: noctu conſpicitur ab his qui eam colligunt. Sed neq; virore caret: & cum ſuccum porri fermè referat, ſicut ab hoc ipſo dicta praſitis gemma Theophraſto, Praſius alijs: ab hac tamen differt, quòd nõ tranſluceat modò, ſed etiam mirificè fulgeat. Duo e-

ius

ius genera faciunt, praſoidem, atque chryſopteron, ſimilem chryſopraſo. Videtur autem eadem & Chryſolampis Plinij: quæ pallidi coloris die eſt, noctu ignei: qua ratione forſan Epiphanium aliquis defenderit, quaſi ad nocturnum eius colorem reſpexerit.

Pas, פז, Hebræis aurum bonum & purum ſonat: etſi quidam gemmas interpretãtur Pſalmis 19. & 21. pro quo Cantici Salomonis quinto Mupas, מופז, ſcribitur, vt citat Munſterus in Hebraicolatino Lexico: at Biblia ab ipſo edita, eo in loco ſimpliciter pas, non mupas habent. inuenio & Vpas, אופז, in Lexico trilingui Munſteri, neſcio quàm rectè: à quolibet autẽ horum Topazij nomen deduci potuit, quod aurum optimum ſuo colore ac ſplendore æmulatur. Author eſt Plinius circa Thebaidis Alabaſtrum naſci Topazium: vnde ſubit, corruptũ eſſe Epiphanij hunc locum de Topazio, ὑποδέξαιντο τὸν ἀλάβαστρόν πᾶσιν, &c.

III.

Smaragdus. Hebr. Bareket, ברקת. σμάραγδος Lxx. cũ ſupra Schoham verterint Smaragdum, quam nos potiùs Onychem aut Sardonychem eſſe diximus. Symmachus Ceraunium reddidit. Chaldæus transfert Barkan. Barak quidem fulgur & fulgorem ſignificat: qua origine inductus Fagius, cum Iudæis recentioribus carbunculum interpretatur. De Ceraunio vel Ceraunia gemma (nam & lapis eſt eiuſdem nominis) quæ ſpecies eſt aſteriæ, plura dicam in libro De figuris lapidum cap. 4.

IIII.

Carbunculus. ἄνθραξ. Hebraicè Nopek, vel Nophech, נפך. Rabi Dauid Kimhi in libro Radicũ dicit eſſe gemmam nigri coloris, vt Fagius citat: vt alius quidam, colore fuſco & rutilante. Sunt qui rubinum vulgò dictũ eſſe putent, Munſterus: hunc ſolùm locũ & Ezechielis 27. citans. Diuus Hiero-

Digitized by Google

ronymus Comment. in Eſaiam lib. 3. cap.6. Calculus iſte (inquit) qui à ſolis Lxx. anthrax, id eſt, Carbunculus eſt interpretatus, poteſt non carbonem ſignificare vel prunam, vt pleriq; exiſtimant: ſed Anthraca, id eſt Carbunculum lapidem, qui ob coloris flammei ſimilitudinē igneus appellatur. Sic ille: ſed Hebraicè legitur rizpah, רצפה. Idem ad Damaſum in Epiſtola cuius initium, Septuaginta: Calculo, inquit, Sephora filium circuncidit, [*at hîc Hebraicè legitur zor, non nophok, & ſilicem ſignificat.*] & Ieſus populum purgat à vitijs, & in Apocalypſi Dominus pollicetur vincentibus, vt accipiant calculum, & ſcribāt ſuper eum nomen nouum. Videntur autem mihi & Lxx. in eo quòd anthraca trāſtulerunt, idem ſenſiſſe quod cæteri. anthrax quippe quem nos Carbunculũ interpretamur, genus eſt lapidis fulgidi atq; nitentis, quem etiam in XII. lapidibus inuenimus.

Digitized by Google

V.

Sapphirus. σάπφειρος. Hebr. Sappir, ספיר. Eſſe quidem hanc Sápphirũ vel ipſum Hebraicum nomen loquitur: vt non ſint audiendi Iudęi, qui gẽmæ huic colorem rubrum aut candidũ tribuunt: aliqui tamen aërei, id eſt, ſubcœrulei coloris eſſe rectè ſcribunt. Sunt qui cryſtallum vertant. R. Dauid Kimhi in radicibus tradit lapidem eſſe qui ſuper incude non rumpatur, ſed incus potiùs: albi & puri coloris: quæ duo Adamanti, non Sapphiro conueniunt.

V I.

Iaſpis. ἴασπις. Hebraicè Iahalom, יהלם. Munſterus & Fagius Adamantẽ reddũt. De hoc Abenezra ſic ſcribit: Magnus ſapiens Hiſpanus dicit eum eſſe lapidem, qui alio nomine almas [*corruptum pro adamas*] vocetur: & frangat omnes lapides, atq; etiam bedellium [*vniones aliqui interpretantur*] perforet: à verbo halam, quod eſt percu-

tere,

tere,contundere, vt iod in principio litera adiectitia ſit. In medio Rationalis Deus ponere iuſsit Vrim & Thummim, Lxx. vertunt δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, id eſt, doctrinam & veritatẽ, vt quidam interpretantur. Epiphanius Adamantem, ſicut & Suidas in vocabulo Ἐφώδ. Non rectè tamẽ hũc in medio Sardonychum (Smaragdos ipſi interpretantur) collocant. Sardonyches enim in humeris locabantur, Vrim & Thummim in medio Rationalis ſupra ipſum cor. Porrò de Vrim & Thummim ſententias authorum multas variasq́; recitant, Fagius in Commentarijs in Exodum cap. 28. & Munſterus in Annotationib⁹ ſuis.

Ego iahalom Hebræis Adamantem eſſe cenſeo: nam ſchamir Hebraica dictio, quam Ezechielis 3. & Zachariæ 7. adamantem reddunt plerique omnes, nõ hunc, ſed lapidem ſmirin Græcis dictum, ab Hebræis nimirum facto nomine, ſignificare mihi videtur.

(d)

Idem nomen Germani ferè ſeruant, ein Smirgel. Cæterùm iaſpidis aliud nomen Hebraicũ infrà numero XII. proferemus.

VII.

Lyncurius. λυγκούειον, Lxx. etſi codex noſter perperam habet ἀργύριον. Hebraicè Leſchem, לשם. Epiphanius, & ſecutus eum Hieronymus, eandem Hyacintho gemmam eſſe ſuſpicãtur. Iudæi Turcicam vulgò dictam eſſe putant. Ego Lyncurium à Succino non differre video: & id quoque pro gemma habitum olim, preſertim quod aureo colore pellucet ac ſplendet, minimè dubito. Et fortè Leſchem vel Leſem vox, ad Gleſſum accedit: quo nomine veteres Germanos Succinũ appellaſſe Plinius refert. hodie quidem exoleuit.

VIII.

Achates. Αχάτης. Hebraicè Schebo, שבו. R. Dauid Kimhi tradit hanc gẽmam ad hyacinthinum colorem decllina-

clinare. Chaldæ⁹ vertit Torkia, טורקיא, Turcicam vulgò dictam nimirum intelligens.

IX.

Amethyſtus. Αμέθυςος. Hebraicè Achlamah, vel Ahalamah, אחלמה. Videtur autem Grammaticis Iudæorũ deriuari hoc nomen à chalom, id eſt, ſomnio: quòd qui geſtat, ſemper ſomnia videat. Chaldaicè vocāt, En egla, עין אינלא, id eſt, oculus vituli, à ſimilitudine.

X.

Chryſolithus. Χρυσόλιθος. Hebraicè Tarſchiſch, תרשיש. Hanc R. Dauid Kimhi coloris cærulei facit. Videtur autem à mari, vnde prouenit (inquit Fagius) nomen ſuum accepiſſe. Quare & Paraphraſtes Chaldæus trāsfert, כרום ימא, Karus iama, ſi rectè lego. Manus eius quaſi ſphærulæ aureæ, habētes incluſum Tarſchiſch (Tharſis, Munſterus,) Cantici 5. Sunt ex eruditis Rabinis, qui Hyacinthum interpre

Digitized by Google

tentur, Munſtero teſte: dicentes habere formam Tekelet, תכלת: quod nomẽ pro colore hyacinthino ſeu cæruleo lanæ aut ſerici, ſemper accipi video in Sacris, nuſquam autem pro gemma. Tharſis quidẽ alijs in locis alij interpretantur mare, portum vel nauale, inſulam, Aphricam. Mihi hoc in loco Hyacinthum vertere placuerit: quoniam aliud nullum huius gemmæ Hebraicum nomen inuenimus: & habet hæc quoq; maris ſubcœruleum colorem: ea præſertim Hyacinthi ſpecies, quam Veneti aut violacei coloris eſſe legimus, & imitari ſapphirum. Etſi ex nominis ſimilitudine Tharſis, Turcicam vvlgò vocatam eſſe aliquis cõiecerit: quæ itidẽ cœrulei coloris eſt. ſed prior opinio magis arridet.

XI.

Onyx, vel Onychinus vt D. Hieronymi interpretatio habet: præſtat autem onychem, vel onychium voce diminutiua dicere. Septuaginta hoc in

loco

Beryllium, Βηρύλλιον: ſequente autem, & vltimo Onychium, ὀνύχιον, poſuerunt, ſicuti & Ioſephus. Hebraicè legitur Schoham, שהם: Erant autem Schoham duo magni, etiam in humeris Epomidis, Lxx. Smaragdos verterunt, Ioſephus Sardonyches, cū hoc in loco onychem vertat. lege ſuprà quæ in Gemmæ primæ explicatione ſcripſimus. Iudæus quidam Bibliorum paraphraſtes, ferè vbiq; vertit בורלא, Burla, quæ vox ad Beryllum accedere videtur, inquit Fagius. Phiſon fluuius circuit totam terram Hauilah: in qua eſt aurum bonum, & Bdolah, [*vel Bedolah: quod alij aliter interpretantur,*] & Schoham, Geneſeos 2. Auguſtinus Steuchus in recognitione in Vetus Teſtamētum: Variatur, inquit, in hoc lapide Schoham: quem Aquila, Symmachus & Theodotion, Onychinū ſunt interpretati, quos ſequitur Pagninus in ſuo Theſauro. Septuaginta lapidem Praſinum. Schoham, inquit

Digitized by Google

Agon Hebræus, lapis eſt precioſus, candidus & permixtus, (quod Onychi conuenire videtur,) vt citat Auen Ezra, ſe quidem ignorare profeſſus. Vide plura ſuperiùs de Hebraico hoc vocabulo in prima gemma.

XII.

Beryllus, vel Beryllium, Lxx. & Ioſepho interpretibus. Vide proximè retro, numero XI. Hebraicum nomē eſt Iaſchpheh, ישפה, quod ad Iaſpidē Græcis & Latinis vſitatū vocabulum ita accedit, vt minimè dubitandū videatur, quin hæc verè ſit Iaſpis: non quæ ſexto loco Iahalom Hebraicè dicitur, & iaſpis à quibuſdam vertitur, cum ſit Adamas.

Hæc de duodecim Gemmis Rationalis ſiue potiùs Oraculi pontificij.

Porrò Ezechielis cap. 28. in theſauris (vel in diademate) principis Tyri, ex duodecim iam dictis, nominantur nouem, in Hebraico textu: à Lxx. verò & D. Hieronymo ijdem omnes, v-

nà

Digitized by Google

nà cum auro & argento. Et fortè ἀργύριον in textu ſcriptum fuit: λιγύριον verò in margine ad emendationē adſcriptum, irrepſit poſtea in textum. in Hebraico enim auri tantùm mentio fit, argenti nulla. & Exodi etiam cap. 28. ἀργύριον pro λιγύριον malè legi, iam monui.

Poſtremò Apocalypſeos cap. 21. de Hieruſalem ciuitate cœleſti ſic legimus: Et lumen eius ſimile lapidi pre-"
cioſiſsimo, tanquā lapidi iaſpidi cry-"
ſtalliſanti. Et habebat murum magnū"
& altum, cum portis duodecim, &c."
Eratq́ ſtructura muri eius ex iaſpide:"
& ciuitas aurum purum, ſimilis vitro"
puro. Et fundamenta muri omni la-"
pide precioſo ornata. Fundamen-"
tum primum, Iaſpis. Secundū, Sap-"
phirus. Tertium, † Chalcedonius." † Calchedonius.
Quartum, Smaragdus. Quintum,"
Sardonyx. Sextum, Sardius. Se-"
ptimum, Chryſolithus. Octauum,"
Beryllus. Nonum, Topazius. De-"

„ cimum, Chryſopraſus. Vndecimū, „ Hyacinthus. Duodecimum Ame- „ thyſtus.

Ex hiſce, octo nominantur etiam inter duodecim gemmas Rationalis Aaronis: at Chalcedonius, Sardonyx, Chryſopraſus & Hyacinthus, hîc nominati, in Rationali non inueniūtur: proq́; ijs ponūtur Carbunculus, Lyncurius, Achates & Onychium. Poteſt autem pro Lyncurio intelligi Hyacinthus, vti Epiphanius etiam & Hieronymus coniiciunt. Pro Carchedonio [*ſic enim legerim καρχηδόνιος, non χαλκιδῶν, vel Chalcedonius, vt noſtri Codices habent,*] Carbunculi ſpecies, Granatus vulgò dictus: pro Sardonyche, Onyx vel Onychium, cum ſint congeneres, & Sardonyx è Sardio & Onyche mixtus. Atq; ita reliquū erit vt pro Schebo Hebraicum nomen in Rationali, quod Achaten interpretantur, nos Chryſopraſum reddamus, gemmam multò precioſiorem, & Aaronis ornatu

natu digniorem. Et ſic ijdem duodecim vtrinq; lapides fuerint.

Statueram in principio huius Corollarij, locos Sacræ ſcripturæ de pótificali Aaronis ornatu (circa Ephod ſiue epomidē prǽſertim, & Eſſen [Hoſchen, quod & pectorale iudicij, λόγιον τῆς κρίσεως interpretantur] ſiue Rationale in medio epomidis anteriore parte ſupra ipſam cordis ſedem, duodecim gemmis diſtinctum) recitare ad verbum: vt habentur Exodi capitibus 28. & 39. & Leuitici cap. 8. Deinde Ezechielis 28. locum, in quo eædē ferè gemmæ nominantur: & ex nouo Teſtamēto Apocalypſεωs cap. 21. Sed cum hos locos quiſq; in ſuis Biblijs legere poſsit, breuitatis cauſa omiſi.

Deinceps verò vt anguſtum quod ſupereſt huius quaternionis ſpacium vel in Typographi gratiā expleatur, veterum quorundam loca argumento præſenti apprimè conuenientia, adſcribam.

Digitized by Google

Ephodem Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum libro tertio capite octauo, Græcanicæ epomidi ſimilem facit. In huius medio (circa pectus medium) lacuna quædam relinquebatur, cui inſerebatur fruſtũ ijſdem coloribus, quibus ephodes, variegatũ. Id vocabatur eſſen, ac ſi dicas Rationale: & lacunam adamuſsim explebat. In vtroque autem humero ſinguli ſardonyches, fibularum vice epomidem annectebant.

Ceterùm de bello Iudaico libro ſexto capite ſexto: Epomis, inquit, thoraci ſimilis videbatur: duabus aureis aſpidum [*ſcutorum*] ſpecie vinciebatur: quibus incluſi erant optimi maximiq; ſardonyches. Rurſus Antiquitatum libro tertio capite nono: Sardonyches, inquit, quos pontifex in humeris geſtabat, mirè ſplendebant: is qui dextrum humerum occupabat, quoties litatum eſſet, tanto fulgore emiſſo, vt procul etiam intuen-

Digitized by Google

tuentibus conſpiceretur, idq́; præter naturam ſuam & conſuetudinem: [*quaſi & aliâs fulgere ſoliti, ſed non adeò.*] Per duodecim verò gemmas, quas in in pectore pontifex inſutas eſſêni geſtat, in bello victoriam prænunciare, Deus ſolebat. nam priùs quàm exercitus ſe moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innoteſceret, adeſſe Deū, opémque & auxilium ſuum inuocantibus eſſe allaturum. quapropter Greci, quotquot à religione noſtra non abhorrēt, cum hoc miraculum pro compertiſsimo habeāt, ita vt negari non poſsit, eſsêna vocant λόγιον, hoc eſt, oraculum. Sed deſijt tam eſſen quàm ſardonyx fulgorem emittere, annis ducentis antequam hæc commentaremur, irato Deo propter legum ſuarum præuaricationem. Hæc ille. Plura autem de Ephod leges apud Suidam in vocabulo ἐφώδ.

DE XII. GEMMIS
EX COMMENTARIORUM
*diui Hieronymi libro 15. in Eſa-
iam cap. 54.*

DE natura duodecim lapidũ atq; gemmarum non eſt huius temporis dicere, cum & Græcorum plurimi ſcripſerint, & Latinorum: è quibus duos tantùm nominabo, virum ſanctæ & venerabilis memoriæ epiſcopum Epiphanium: qui inſigne nobis ingenij & eruditionis ſuę reliquit volumen, quod inſcripſit περὶ λίθων. Et Plinium Secundum, &c. Cæterũ ex duodecim lapidum in Rationali Aaronis poſitorum numero in quatuor ordines diuiſo, ſecundus habet carbunculum, ſapphirum & iaſpidé: qui tres itidem hoc in capite Eſaiæ 54. ſimul nominãtur. Quare de tribus his tantùm dicemus in præſentia.

Carbunculus igitur videt̃ mihi ignitus ſermo doctrinæ, qui fugato errore tenebrarum, illuminat corda creden-

Digitized by Google

dentiũ, † &c. Porrò Sapphirus qui ponitur in fundamentis, cœli habet ſimilitudinem, & ſupra nos aëris. Ezechielis quoq; ſcriptura commemorat: quòd locus in quo thronus Dei ſit, ſapphiri habeat ſimilitudinem, & gloria Domini in hoc colore conſiſtat, qui portat imaginem ſupercœleſtis. Sed propugnacula vrbis Dominicæ, hoc eſt, murorum mœnia, iaſpide roborantur: qui poſſunt omnem altitudinem eleuantem ſe contra ſcientiam Dei deſtruere atq; conuincere, & mendacium ſubijcere veritati. Qui ergo in diſputando fortiſsimus eſt, & ſanctarum ſcripturarum teſtimonijs roboratus, iſte propugnaculum Eccleſiæ eſt. Iaſpidum multa ſunt genera: [*videtur hæc ex Epiphanio tranſtuliſſe, etſi parum bene, & in quibuſdam varians:*] Alius eſt enim Smaragdi habens ſimilitudinem: qui reperitur in fontibus Thermodoontis fluminis, & vocatur N. quo omnia phantaſmata fugari au

tumant. Alius viridior mari, & tinctus quaſi floribus. hunc in Phrygiæ monte Ida, & in profundiſsimis ſpecubus eius naſci referunt. Alium verò iuxta Iberos Hyrcanosq́ꝫ, & mare Caſpium reperiri, & præcipuè iuxta locũ Neuſin. Eſt & alius Iaſpis niui & ſpumæ marinorum fluctuum ſimilis, & clementer quaſi mixto cruore ſubrutilans. Hoc diximus vt vniuerſas gratias ſpirituales in Eccleſiæ propugnaculis cognoſcamus: quas qui habuerit, vanos timores fugat, & poteſt cũ ſponſa dicere: Fratruelis meus candidus & rubicundus. Portæ autem iſtius ciuitatis de lapide ſunt cryſtallo: qui ſcalpitur varijs modis: quo lapide nihil purius eſt. Deniqꝫ vehementiſsimis alpium frigoribus, & inacceſſis Soli ſpeluncis, concreſcere aquæ dicuntur in cryſtallum, & tactu quidem lapidem, viſu aquam eſſe, &c.

Quod ad colores, quibus vt vela templi, ita & Pontificis Epomis & Ratio-

tionale diſtinguebantur, (aureũ, byſſinum, coccinum ſeu puniceum, purpureum, & hyacinthinum vel ianthinum,) de ijs hîc quicquam adferre, anguſtia temporis & loci excludimur. Cui vacat & libet, legat Ioſephum Antiquitatum 3. 8. & Philonem de vita Moſis libro tertio: & Originem Homilia nona in Exodum.

FINIS.

Digitized by Google

DE GEMMIS ALIQVOT, IIS PRÆSERTIM QVARVM

Diuus Ioannes Apoſtolus in ſua Apocalypſi meminit: De alijs quoque, quarum vſus hoc æui apud omnes percrebruit, Libri duo: Theologis non minus vtiles quàm Philoſophis, & omnino felicioribus ingenijs periucundi, e non vulgaribus vtriuſque philoſophiæ adytis deprompti: authore Franciſco Rueo, Doctore medico Inſulano.

Editio ſecunda. nam prima mutila, & inſcio authore edita fuerat.

TIGVRI M.D.LXV.

Digitized by Google

AVTHORES IN HIS *libris citati.*

Aëtius
Albertus Magnus
Antonius Lodoicus
Apuleius
Ariſtoteles
Arnoldus à Villa noua
Auerrois
D. Auguſtinus
Aulus Gellius
Carolus Bouillus
C. Plinius
Dioſcorides
Galenus
Georgius Pictorius Villingenſis
Halyabbas
Hermolaus
Hieronymus Hungeſtus
Iamblichus
Ioannes Manardus
Marbodeus poeta Gallus
Marſilius Ficinus
Nicolaus Florentinus
Numenius
Paulus Aegineta
Petrus Aponenſis
Petrus Crinitus
Plato
Plotinus
Raſes
Solinus
Theodoretus Cyrenſis epiſcopus
Theophraſtus
Thomas Aquinas
Vincentius in Speculo naturalis hiſtoriæ.

Digitized by Google

LIBRI PRIMI CAPITA.

1. *Lapidũ & Gemrum generationis cauſſæ.*

2. *Quid ſint, & vnde vim ſortiãtur, Gemmarum proprietates occultæ.*

3. *De ratione et cauſis viriũ in Gemmis.*

LIBRI SECVNDI PARS prima, De Gemmis XIII. in D. Ioan. Apocalypſi memoratis.

Cap. 1. *De Iaſpidis differẽtijs & virib.*

2. *De Sapphiro.*

3. *De Carchedonio.*

4. *De Smaragdo.*

5. *De Sardonyche.*

6. *De Sardio.*

7. *De Chryſolitho.*

8. *De Beryllo.*

9. *De Topazio.*

10. *De Chryſopraſo.*

11. *De Amethyſto.*

12. *De Hyacintho.*

13. *De Margaritis.*

PARS II. DE CAETERIS Aliquot Gemmis & lapidibus.

Cap. 14. *De Carbunculis.*

15. *De Adamante.*

16. *De Achate.*

17. *De Alectorio.*

18. *De Torcoide.*

Digitized by Google

19. *De Corallio.*
20. *De Corneolo.*
21. *De Cyaneo.*
22. *De Chelidonio.*
23. *De Aetite.*
24. *De Magnete.*
25. *De Hæmatite.*
26. *De Succino.*
27. *De fictitiarum à veris Gemmis differentia.*

His ſubijciuntur:

Excerpta quædam ex Authoris Epiſtola apologetica, qua de figuris, quæ inſcalpuntur Gemmis, agitur.

PASCHASII Balduini Canonici Phalempinenſis ad Fr. Rueum Epiſtola erudita: qua ſuper his duobus Ruei libris iudiciũ cõtinetur primùm: deinde de Hebraicis Gemmarum nominibus, deq; earum admiratione, vſu, abuſu & viribus tractatur.

DE

Digitized by Google

DE GEMMARVM ORTV, LIBER PRIMVS.

De lapidum & Gemmarum generationis cauſis diuerſis. Caput I.

VNumquenq; lapidem ex altero maximè duorũ elementorum, terra ſcilicet vel aqua, conflari apud omnes rerum naturalium peritos, tam in confeſſo eſt atque naturali rationi peruium, vt nullus, ni vel leberide cæcior, addubitarit. Porrò qui lapides non perſpicui ſunt, ex terrea craſsio req; quadam ſubſtãtia, humido tenaci perfuſa, generationis materiam mutuati ſunt. Qui verò pellucidi viſuntur, ex aqua præſertim conſiſtunt, cui ſubtilis quædam terrea nec obſcura materies immixta eſt, vt & in cryſtal-

Non perſpicuorũ lapillorũ cauſſæ.

Pellucidarum Gemmarũ cauſæ.

lo ac beryllo glaciei ſpeciem planè referentibus videre eſt. Quanquã & hęc intelligi velim, nõ quòd duo reliqua rerum principia, ignem dico ac aërẽ, ab illorum mixtura ſeparem. Apud principes nanque philoſophos complures conuenit, Omne mixtum ex quatuor elementis conſtare. Verumenimuerò ita quæ diximus accipienda ſunt vt alterum illorum, terram nimirum vel aquã, in quouis lapide pręcellere intelligas, etiamſi aliter Plotinus ſentire videri poſsit, de quo alibi fuſiùs egimus.

Lapillorũ cauſſa efficiens duplex.

Quòd autem ad effectricem vocatam cauſſam attinet, duplicem eam vtriuſque philoſophiæ principes numerarunt: altera nanque ſuprema, altera verò inferior. Princeps cauſſa eſt

Deus.

Deus ipſe Optimus Maximus, rerum omnium creator & ſeruator, in quo, cum quo, & per quem ſunt omnia, & ſine quo (diuo Ioanne Apoſtolo teſte) nihil factum eſt. Quem & Ariſto-

teles

teles Ens entium, ſupremámque vocabat intelligentiam, aſſerens omne opus naturæ, opus eſſe intelligentiæ. Illum itaque Deum, vt omnium rerum creatorem, ita ſingulorum primariam & ſimpliciter neceſſariã cauſam, vt etiam lapillorum gemmarúmque, Chriſtiani omnes norunt. Quandoquidem ſapientis eſt oraculum: Qui viuit in æternum, creauit o- "
mnia ſimul: quod equidem bifariam interpretatum inuenio: Quibuſdam quod dicitur ſimul, non ad creationis inſtans referentibus, verùm ad inſtãs propoſiti diuini, vt ſcilicet ſit ſenſus, quòd Dominus Deus decreuit ab æterno omnia creare.

Simul creata omnia quomodo

Ita enim librum Diuo Auguſtino relatum, qui de mirabilibus ſacræ ſcripturæ inſcribitur, habere reperio. Simul itaque Deus vniuerſos lapides ſinguláſque Gemmas creauit, dum videlicet vnica ſoláque ſua voluntate multiformem quarumuis

Digitized by Google

ſpecierum ac indiuiduorum diuerſitatem fieri voluit: in qua voluntate vnica ſimplicisſimaq́ ſingula ſimul fecit, quę ab eorum ortus principio per tempus diſpenſare non deſiſtit. Quãuis & hîc accedere poſsit germanior forſan intellectus, cui philoſophi cóplures & non obſcuri, ipſa quoq; ratio ſubſcribunt: ſcilicet quòd Deus omnia ſimul creauit, dum omnium formarum ac rerum futurarum rudimentum, principium ac ſeminarium quoddam materiæ primæ, ante generum, ſpecierum atq; indiuiduorũ diſcretionem, infudit. Illa ſiquidem materies, diuiſionis adhuc & productionis expers, moles erat quædam informis, omnium tamen formarum ſeminio ab ipſo creatore perfuſa: vnde † tã-dem, quando, & ijs medijs quibus ſupremus opifex ab æterno præſcit & vult, perfecta rerum productio & fœtura extimularetur. Ideoq́; & hi admittunt omnia quidẽ ſimul eſſe creata,

† tandẽ aliquando

ta, non autem ſimul eſſe facta. Confirmat & id ſententiæ diuus ille Auguſtinus ſuper Geneſim, adſerens, ꝙ quæ à natura generantur, ſecundum rationes ſeminales in materia conſiſtẽtes, producuntur: quod & multo copioſius diſſeruit tertio de Trinitate cap. 9. vt ſcilicet inaudias materiam in ſe habere, & quaſi fouere cunctarũ formarum rationes ſeminales ſibi à primæua conſtitutione ingenitas inſitáſve: ex quibus tandem, agentis actionem, pro modo, expertis, educantur extimulenturq́ formæ naturales, elementorum commixtionem eſſentialiter conſequentes, vt & hinc quæ in potentia materiæ tantummodo inerant verè, & (vt dicunt) in actum ab agentis actione producantur. Verùm de his alibi fuſius. Nũc verò hæc de principe illa cauſſa & Gemmarũ plaſmatore ſufficiant. Quæ tametſi cunctis ſat eſſe queant: quia tamen pulchrum, decorum atq; vtile eſt homi-

Cauſæ inferiores ſecundæ, vel mediæ.

ni haud vſquequaque indocto, noſſe quibus ſecundis medijsq́ cauſſis, vnde cuncta de quibus diſceptatur, originem capeſſunt, non pigebit hoc loci aliarum quoque inferiorum cauſſarum commeminiſſe. hoc nanq; pacto fiet vt abſolutior de his noſtra ſit traditio. Quanquam enim Deus omnium ſit cauſſa immediata, quædam tamen ſolus, & citra alicuius coagentis admiſsionem, efficit: ideóque (vt aiunt Theologi) eorum cauſſa eſt tota. Nonnunquam, ſua liberaliſsima bonitate, cooperantes alias ſecũ adſciſcit affouétque cauſſas, & hoc propter connexionem vniuerſi: ita tamẽ vt nulla alteri aduerſetur. Proinde (vt „ inquit Bonauentura libro ſecundo, „ quæſtione ſecunda, circa finem) quia „ diuina voluntas nõ cognoſcitur, nec „ ipſa ab actione excludit operatio„ nem cauſſæ creatæ: nec etiam ab ea„ rum cognitione humanam capacita„ tem arcet. Ideóque bonum & peruti-

le eſt,

le eſt, ſeſe exercere in cognitione cau- "
ſarum creatarum. Ante hunc item "
multis ſeculis Pindarus aſſeruit, quòd quicquid intra ſe terra occultat, & vltra cœlum poſitum eſt, homo contemplatur. Nec id infructuoſum putes: quoniam, diuo Paulo autore, inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta cóſpiciunt, ſempiterna quoq; eius virtus & diuinitas. Verũ vnde digreſsi ſumus, pedẽ referre libet. Pretermiſsis itaq; nũc ſuperioribus cauſsis, in ſequentium duorum capitum gratiam, non vulgarium philoſophorum placita narraturi dicimus, quòd à primario illo omnium principio, inferior humilíorque Gemmarum cauſſa dici poteſt, facultas cœleſtis orbis moti, ab ipſo Deo transfuſa, pro ipſius orbis diuerſarum partium varia poſitione, quam aſtrorum periti aſpectum appellant. Porrò quid ſit cœli orbium, planetarum, ſyderúm ve aſpectus,

Cœlũ gemmarũ cauſæ efficiẽtis quandã habet ratiònem.

Digitized by Google

ſitus ſiue configuratio, non eſt huius inſtituti: quamobrem Mathematices peritis relinquo. Hoc vnum præfatus quòd pro variorum aſpectuum ratione & materiei multiiuga præparatione diuerſas in ſubiecta hæc corpora cœlum creditur transfundere virtutes. Qua de re philoſophi illi propinquiores ſenſibilesq́; cauſſas ſcrutati, cœlo ipſi extenſo vim illam mineralē lapidificam tribuendam cenſuerunt, mediatè vel immediatè, vt dicūt, hoc eſt intercurrente alia cauſſa vel non. Mediatè quidem, quòd tametſi corpora cœlica loca nō rarò mutent, apparet tamen ſedes eas lapidificas facultatē illam ſemel ac efficaciſsimo cœli conatu conceptam, tam contumaciter retinere, vt lapides per multum æuum gignendo, iam dictæ potentiæ fidem propalàm teſtentur.

Hinc fieri arbitror quiddam mirabile & ſilentio minimè premendum. Relatum mihi iampridem eſt à domi-

Digitized by Google

ña quadam ſide digna, quòd Domina Heuerenſis è Luxemburgorum illuſtri genere oriũda, duos habeat ſeruetq́ hæreditarios Adamantes, qui alios crebrò, tanto naturæ miraculo, producant, vt eos quicũq ſtatis temporibus intueantur, συγγενῆ, id eſt cógenerem ſibi prolem eniti, palàm iudicent. cuius cauſſam, ſiquidem in naturæ tam raro opere nobis philoſophari licebit, putauerim eſſe, quòd vis illa cœleſtis parentibus tenaciter inſinuata (quam adamantificam quis nominauerit) aërem circumfuſum in aquam primum, congruamq́ ſubſtantiam, demùm in Adamantem gemmã durauerit transformaueritq́. Quod ne iuſtò plus admiretur quiſpiam, autor eſt Theophraſtus eſſe lapides qui pariant: nimirum quòd virtus illa cœleſtis tenaci materiæ, vti præſtruximus, ſemel transfuſa, ſubiectæ contumaciùs cohæret ſubſtantiæ: quæ videlicet quò vehementiorẽ cœli actio

Adamãtes ſibi ſimiles parere.

nem experta eſt, eò pertinacius hanc retinere intelligitur.

Inſtrumentalis Gemmarũ cauſa.

Vicina aũt & cõiuncta ſeu inſtrumentalis lapidum cauſſa duplex annumerat. Vel enim calidũ quoddam eſt, (ſi ex elementis corpora ſubſtantialiter fieri ſtatuamus:) aut caliditas, (ſi ſolas in mixtis qualitates aſſeruari ſentiamus) in materia terrea perſiſtẽs, & humidũ tenax per terreæ molis tenuiſsimas quaſq; partes diducens, digerensq; hac ratione ſingulorum elementorũ, terrę præſertim & aquę portiones tam aptè & ad amuſsim cõfundens atq; cõglutinans, ſed & ab omni excrementoſa fæce deſpumãs, vt pro lapidis Gemmæve forma producenda materiã ipſam rectè præparet. Aut demum ea cauſa frigidũ quoddã eſt, ſiue frigiditas, in aquea ſubſtantia terreſtris & ſiccę materiæ actionem perpeſſa conſiſtens, ſua conſtrictione (frigidi nanq; eſt cõſtringere) omnem ſuperabundantẽ humorem adeò exprimens,

mẽs, vt etiã impendiò induret, adeóq; tantum eius relinquat, quantũ ad decentem partium connexionem ſit neceſſarium, vt & hinc inuitandę formę materia diſponatur excolaturq́;. Qua de re non diffitentur philoſophi illi, quòd quamuis lapilli hi à frigido coaluerint, à calido tamen, citra alterius humoris appulſum, liquari contumaciter recuſant: quod videlicet tanta in illis humidi ſicciq́; naturalis commixtio, germanitas & neceſsitudo, vt ſuo omni ex parte contrario affici renuant: necnon, niſi familiaris qualitatis illicio affecti, ad externę qualitatis actionem conniueant. Quanquã non deeſſe compertũ habeamus qui duo tantùm elementa recipiant: ac frigidum vt à natura, ita ab omni actione ſecludant, qui debile calidum Gemmarum cauſſam conſtituunt: de quibus aliàs.

Digitized by Google

Quid ſint, & vnde vim ſortiantur, Gemmarum proprietates occultæ. Cap. II.

AVtor eſt Galenus nono ſimplicium pharmacorũ libro, quòd Gemmæ vires habeant partim ſecundum ſubſtantiæ totius proprietatem, partim ſecundum qualitates effectrices, hoc eſt manifeſtas: quas cum potentijs hic emanantibus ea medicinę pars, quam Græci *φαρμακοδυναμικὴν*, Latini medicatiuam appellãt, in primis contemplatur. cuius conſideratioñẽ præſens inſtitutum non amplectitur. Porrò ſubſtantiæ totius proprietatẽ philoſophi vocant occultam, quòd ſubſtantia virium, quibus ſtupenda illa munia abſoluuntur, humanæ rationis fugiat captum: vt ne ſummis quidem viris illarum aliquã penitius aſſequi contigerit aliter quàm multo vſu. Nimirum quòd omnis proprietatis vera ex methodo cognitio colligenda

Cur virtus occulta dicatur.

genda ſit, ab eius cauſsis proximis euidentibusq́ quæ bifariam diſcriminantur: vel enim ex mixtionis modo, vel ab ipſius formæ ſpecificæ ratione. Porrò commixtionis modus miſcibilium, mixtura & cóglutinatione perficitur, quæ exactè perueſtigari humana diligentia nequeat, vel eo maximè nomine quòd infinita ſit illorum cómiſcendorum proportio. Eius verò quæ ſpeciem adfert formæ rationem, vel ideo imperſcrutabilem intelligere eſt, quòd ipſam prodire autumát, partim quidem (vti præſtruximus) ex potentia materiæ, formarũ rudimentis ſeu ſeminijs à primæua conſtitutione perfuſæ, partim autem (vt magnę philoſophorum illuſtrium turbę placet) ab ideis in mente diuina cóſiſtentibus (quas diuus Auguſtinus primordiales vocat) id eſt, ab ipſo Deo, hinc ab anima mundi (ſi Platonicis conſentimus) & alijs inferioris ordinis cælicis corporibus, in elementa

Duæ proprietatis cauſſæ.

Vide illuſtriũ quorundã philoſophorũ ſententiam de formarũ origine & in materiam infuſione.

Digitized by Google

primum influentibus: deinde & per ea media ad formam iampridem inſeminatam & ceu inchoatam (tanquã ſcilicet mentis alicuius & voluntatis diuinæ miniſtris) diſponentibus: Cuius præparationis abſolutam conſiderationem, humana etiam quantũuis diligens aut ſublimis ſagacitas nõ aſſequatur. Cum itaq; reconditarum illarum facultatum cauſſæ humano ſenſu nequeant prehendi, nemini dubiũ eſſe ſuſpicor, quin omnibus peruiũ, quòd nulla illarum proprietatum rationabili, hoc eſt, per rationem humanam deducto inuentoq; experimento, ſed caſuali duntaxat euentu comperta exploratáq; dici poſsit: vel omnino aliquo reuelationis modo, vti per ſomnia nonnunquã legimus contigiſſe. Quo modo ſcitũ eſt ſylueſtris roſæ radicem aduerſus canis rabidi morſum, aquæ pauoré omniſq; potus metũ & graue faſtidium adferentem, præſtare. Matre ſcilicet, cuius filius

lius in Lacetania Hiſpaniæ finitima belligerans, morſus periclitabat, per ſomnum (viſa in fruteto illius radice ſibi ſuauiter applaudente) præmonita: quam & deinde qua potuit diligẽtia filio miſit, ex lacte potandam, filiũ obſecrãs vt religioni parens matri obſecundaret biberetq́. Quo vnico ſimpliciq́ remedio, miles ille præter omnem expectationem ſeruatus, occaſionem præbuit cognoſcendæ eius radicis occultæ contra illum affectum facultatis. Eſt igitur mixti latens occultáve proprietas, facultas quædam †propter ea, vnde ipſum eſſentialiter conſiſtit, inſita: perq́ priuatas operationes, multo vſu periculóve ſolo, vel aliqua reuelatione, citra rationem cognita. Quòd demũ mixtionis ac cõglutinationis meminimus, illud obiter lucidioris doctrinæ gratia his quoque cõnectere libet (forſitan em̃ tantę diuerſitatis occaſionẽ ſciſciteris ac libẽter audias) quòd tam diſcrepãtis

Quid mixti recõdita proprietas.

† per

mixturæ & coaptationis cauſſam philoſophi ſunt arbitrati eſſe, vim quandam cœleſtem ſubiectæ materiæ partes, varias licet, pro ſua virtute permiſcentem: adeoq́, vel vario huius permixtionis tenore, eam materiam ad nouam formam decenter apparentē, in quam tandem ad amuſsim diſpoſitam & excultam mirificæ illæ tranſfunduntur virtutes, formas conſequētes ſpecificas. Porrò hac dicendi conſequutione eò tandē deuenimus, vnde earum quæ in Gemmis ſunt proprietatum facultatumq́ reconditarū cauſſæ, quas antè præſtruximus, nobis ſeſe vltro ac præter expectationē diligentiùs perſcrutandæ, ac in conſpectum reuocandæ, inſinuent. Celebris eſt itaq́ philoſophorum ſententia, quòd omnis cauſſarum turba ab vna eademq́ principe pendet, ducitur atq́ conſeruatur: ad quam & propter quam, ceu ad communem omnium finem cauſſæ omnes ſua munia

Omnium cauſſarum vnica princeps.

tan-

Digitized by Google

tanquam communi quodam & inſito conſenſu dirigunt: Deinde & omnia fieri deſuper à ſummo bono, hoc eſt, Deo ipſo: eademq́ꝫ eſſe & optima & ordinatiſsima. Proinde non irẽt inficias, Gemmas & earũ virtutes à Domino Deo eſſe, eumq́ꝫ etiam ſolùm cunctorum cauſſam dici poſſe verã, alias autem cauſſas impropriè & ceu per analogiam nominari non diffiterentur. Veruntamen quanquam philoſophis illis cognitum id & optimè perſpectum eſſet, nihilo tamẽ magis conquieuit mira infatigabilisq́ꝫ illorum auiditas diſcendi, & in ſuis operibus creatorem admirandi contemplandiq́ꝫ deſiderium. Quinimò inſito quodam cœleſti ardore vigoreq́ꝫ ad propinquiores rerum cauſſas, ceu videlicet primæ illi ac veræ vtcunq́ꝫ inſtrumentarias, animorum ſuorum penè diuinam atq́ꝫ perſpicaciſsimam ſublimitatem intenderunt. Hinc itaque, cum bono, mentem, hoc eſt, pri-

mam ſapiétiam, quam & boni verbũ illorum quidam nominant: & cum mente, intellectũ, totũ vtrũq; mundũ (intelligibilem dico & † vitæ) ſtatuere ſunt opinati. Quũ verò bonũ ipſum, mentem & intellectum vnũ quid eſſe, ac vnica ſimpliciſsimaq; ſubſtãtia cõſiſtere adſtruunt, vnicum eſſe rerum omnium & ſingularum principiũ profitentur, ſemper omnib⁹ adſtans, cuncta fouens, viuificans, excitans, complens & roborans. De quo ſacer ille Orpheus ita cecinit:

† ſenſibilẽ

Cuncta fouẽs, atq; ipſe ferẽs ſuper omnia ſeſe.

Hinc & diuinus ipſe Plato diuino Sole colluſtratus ita in Sophiſta ait;
» Animalia cuncta mortalia plantaſq;
» & quæcunq; terra ex ſeminibus radi-
» cibúſve naſcuntur, & quæcunq; ina-
» nimata in terra conſiſtunt, ſiue lique-
» fieri poſsint ſiue non, nunquid ab a-
» lio quodam opifice fabricata quàm à
» Deo facta eſſe, cum prius nó fuiſſent,
» dicimus? An multorũ doctrinã ſermo

neſq;

neſq; ſectabimur dicentium iſta, na- "
tura ipſa, gigni à cauſſa quadam for- "
tuita ſine mente hæc agente: vel cum "
ratione potius ſcientiaq; diuina, quæ "
ab ipſo Deo ſit orta? Nos enimuero "
Chriſtiana fide ac veritate edocti, primum hoc rerũ omnium principium, ſingulari ſubſtantia, & tribus perſonis, conformi, ſimpliciſsimaq; voluntate, vnitate, maieſtate, æqualitate, ac omnipotentia cõprehendimus & veneramur, Patremq; vocamus, quẽ illi bonum ſimpliciter: Filium & verbum patris, nos: mentẽ, primamq; ſapientiam, illi. Spiritũ quoq; ſanctũ nos appellamus, quem illorũ diuiniores boni intellectũ & amorem nuncupant, vel animam cuncta viuificantẽ & animantẽ alij. De quo Plotinus libro de intellectu ca. 2. ita infit: Quiſnã eſt potiſsimũ qui tradit, animo ſapientiam? hic ꝑfectò neceſſario eſt intellectus: "
Intellectus (inquam) qui non aliâs q- "
dem intellectus ſit, aliâs verò expers "

Vide egregiã de Deo Plotini ſententiam.

Digitized by Google

„ intelligentiæ:ſed verus potiùs intelle
„ ctus, qui hanc ob cauſſam ſeipſo ſit
„ pulcher. Sed nũquid in hoc velut pri-
„ mo, nobis eſt quieſcendum, an poti-
„ ùs ſuper mentem quoque progredi-
„ endum? nempe mens ipſa nobis in al-
„ tum progredientibus prior occurrit
„ quàm principium omnium primum,
„ quaſi in ipſius boni veſtibulo conſti-
„ tuta, omnia in ſeipſo nunciãs & ſigni-
„ ficans, velut quædam ipſius boni fi-
gura. Deinde & eiuſdem libri cap.
„ 3. Eadem quoq; (inquit) transferẽs ad
„ vniuerſum, in eo ſimiliter perueniet
„ ad intellectum, cognoſcens eum effe-
„ ctorem reuera totiusq; artificem. ha-
ctenus Plotinus. Porrò in intellectu mundum quendam intelligibilem haberi voluerunt, hoc eſt omnium rerũ, idearum plenitudinem, ſed & in mente omnium iuxta & ſingularum creandarum, gignendarum ac producendarum, id eſt, futurarum rerum ideas, æterna, ſimplici congeneaq; ſubſtantia,

Digitized by Google

tia,ſolis relatiuis rationibus abinuicẽ diſpeſcitas, perſiſtere intellexerũt.Eaſdemq́; ideas principes eſſe rerũ omnium cauſſas arbitrati ſunt, ab eisq́; ceu quoſdam actus,pendere & eſſe animas omnes intellectuales, intelligẽtias,corpora cœleſtia, & quicquid in inferiori hoc mundo eſt vſpiam.Proinde proximam creati mundi cauſſam,item & cunctarum proprietatũ, mẽti & intellectui, hoc eſt verbo Dei & ſpiritui ſancto detulerunt: quanquam ne ipſum quidem bonum ab hac creatione ſepararint, vt ex locis iamiam citatis & alijs non raris philoſophorum autoritatibus patere liquidò poteſt:quemadmodum ſacras etiam literas legere eſt Deo patri per verbum & in ſpiritu ſancto,tanquam vni principio mundi creationem tribuere. Qui feciſti (inquit Sapientia) omnia verbo tuo: & Pſaltes, Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Verum

enimuero omnibus exploratũ velim, Ideas illas in mente diuina nihil eſſe ab ipſa Dei ſubſtantia & præſcientia, id eſt omnium præcognitione & voluntate æterna, diſcretum. Quem, inquam, Deum certum eſt non tantum ſingulorũ generũ, verumetiam ſpecierum ac indiuiduorũ omniũ exactiſsimam proprijſsimamq́; & conſtituere & ab æterno præſcire ſubſtantiã, compoſitioné, formam ac vires tum proprias tum communes, & ſi quid præterea illis inſit. Vt & hinc accipias diuinas illas Ideas cuiuſuis ſpeciei ac indiuidui principes eſſe cauſſas: nõ modò quod ſint, verumetiam cuiuſq; earum poteſtatis tam communis quàm propriæ. Cui & id mihi pulchrè arridere videtur quod pleriſq; philoſophis placere inuenio: Nempe q virtutibus certis, id eſt, certam ſtabilemq́; rationem habentibus, non fortuitis, ſed efficacibus, potentibus, indeficientibus, nihil fruſtra inuanũq; ex ſeſe mo-

Ideæ quid ſint.

Diuinæ Ideæ, id eſt, Deus ipſe, omniũ rerum cauſſa princeps.

molientibus, moueantur vires in rerũ natura conſiſtentes, ſed de his in alio noſtro opere fuſiùs ac ſynceriùs dijs fauentibus diſſeremus. Porrò à mente ipſa & intellectu illorũ plurimi volunt effuſam creatám ve animam vnã intellectualem, vniuerſo orbi cómunem, quam idcirco mundi animá vocant. Eandemq́; ſub mente illa mundi regina rectricé ve, toti mundo prę eſſe, atq; per eum totum diffundi: vt ſcilicet tanquam primæ illi cauſſæ miniſtrãs, cuncta per eam & ſub eius imperio moueret, cogeret, foueret, moderaret, efficeret, primariæ illius cauſæ, Dei videlicet ipſius, præcepto parens obſecundansq́;. Quapropter & in animam illam mentem impreſsiſſe ſenſerunt rerum omnium primarias principéſque rationes ſeminales, tantum ab Ideis diuinis nobilitate diſsitas, quantum ignobiliori ſubiecto ad obſequium infuſæ hærent. Quas forſitan intellexerit quiſpiam rationem

De anima mũdi ſecũdum philoſophos pleroſq;.

eſſe omnium producendarum rerũ, ac mediorum, quibus Deus ipſe eas producere ac proferre voluerit conſtitueritq́ue, cum facultate quâ media illa promouere ipſa poſsit anima: ſi tamen ſimilis quædam anima pio alioqui Chriſtiano admitti debeat. Verùm philoſophorum quorundã placita narramus, non approbamus. Illá præterea animam ſentiunt per omnia in omnibus diffundi: & omnia menti obedientem, eiq́ue miniſtrantem promouere ac vegetare, vt & hinc nó ab re dici poſsit inſtrumentum primum eorum quæ Deus ordinato communiq́ue euentu, hoc eſt, ſecundum naturam efficit: qua de re hanc animam à mente & intellectu primam vitã nuncuparunt. Cui quoq́ue mentem, ſubſtãtiam ac rationem: intellectum verò vt eſſet intellectualis, impartiuiſſe in literis fecerunt. Eam deniq́ue per omnia flatum ſpirare vitalem ſpiritualemq́ue prodiderunt, dum ſuo ſcilicet

Spiritus mundi philoſophis quid.

ſpi-

ſpiritu per omnia penetrans omnia videt, tangit ſentitq́;: & id quidẽ modo quodam ſuo, noſtris ſenſibus longè impari, incognito & multis nominibus diſcriminato. quo deniq; vnico flatu ſpirituq́;, actu lucido, vi calido & omnis generationis fomite: ceu ſcilicet interioris vitæ quadam propagine, atq; veriùs tanquam diuinæ virtutis vehiculo, ſemper vbiq; pullulare animam illam vniuerſalem mundi exiſtimarunt: quam & forſitan intellexerũt ſub Deo ipſo, principium eſſe intrinſecum, quo formarũ in materia rationes ſeminales ad ſui ſcaturiginem promotionemq́; moueãtur ac emergant. Sed hæc miſſa fiant. Diſcaueo nanq;, longiùs me fortaſsis †palatum, vela ventis præmaturè con cedere. Iam itaq; quæ diximus paucis perſtringentes addamus, Deum Opt. Max. †prudentiſſ. omnipotentẽ, ſummum deniq; bonum, † elementi pluri mum ac liberaliſsima ſua bonitate, re

† euagatũ

Cuncta & à Deo & a Deũ ex or dine cõſtituta ſunt.

† ſapiẽtiſſimum,

† clemẽt. plurima,

bus cunctis pro ſola ſua volũtate, harmoniam, concentum ordinemq́ & à ſe & ad ſeſe præſtituiſſe: quem ſtabilẽ ac incócuſſum eatenus eſſe vult, quatenus aliter non diſponere decreuit. Harmonico præterea illo conſenſu, ſibi omnium creatori miniſtrare voluit: primum quidem (quòd ad hunc materialem inferioremq́ mundũ ſpectat) ſecundum philoſophos illos, ipſam mundi animam ac eius ſpiritũ: deinde cœlum ipſum extenſum orbibus, figuris, aſtris maximis, planetis, ſtellis & luminibus conſiſtens. Illam itaq; animam, hoc quoq; cœlũ, principij cauſſæq́ ſub cœlo formatarum generatarumq́ rerum & transfuſarũ proprietatũ rationẽ quandam inijſſe, ideo philoſophi illi putarũt, quòd ad mundi diſpenſationẽ, tametſi non ex neceſsitate, vberrima tamẽ Dei bonitate, quadantenus admittuntur. Quod & Auicennas ipſe in ſuis Metaphyſicis ſenſiſſe videtur: Quæcunque

que (inquit) hîc fiunt, oportet præexiſtere in motibus & conceptionibus ſtellarum & orbium. Ab ijs enim ipſa etiam elementa, nonnunquam & artes quædam, ſimiliter & res artificioſæ accidentalis ſaltem vel externæ cauſſæ quandam ſibi denominationé vendicant. Placet itaq; philoſophis illis formam & ex ea vim occultã omnis mixti eſſe, primum quidem ab Ideis illis diuinis, id eſt, à Deo ipſo omnium creatore & plaſmatore, miniſtrantibus ei anima mundi (ſi Platonicis conſentimus adſerimúsve) deinde & ipſis orbibus cœlicisq; corporibus, planetis, ſyderibus, figuris, luminibus, & ſi quid præterea cœlo extenſo ſimilis rationis inſit: poſt hæc & elemẽtorum temperaturis cœlicis influxibus affectis, cauſſis inquam præparantibus, & materiam ad nouã formam coaptantibus. Habent itaq; (iuxta philoſophorum illorum ſenſum) virtutes illæ reconditæ ſuã originé ab

Proprietatum occultarum cauſæ vnde ſint.

expreſsis ſpecificis determinatíſque formis, à cœlo tamen materiali per vires præparatorias, in archetypo per Ideas ac formas exemplares, quæ omnes cauſſæ ad cuiuſuis rei generationem abſolutam (quòd ad communẽ ordinatamq́ue Dei conſtitutionẽ pertinet) conuenire illis videntur. Vnde tandem id eſſe verum commonſtretur, quod iamiam dicebamus, quòd Deus ſcilicet rebus omnibus pro libera ſua voluntate, altiſsima ac præſtabiliſsima bonitate, harmoniã, concentum & ordinẽ à ſe & ad ſeſe quendam inſtituit, indeq́ue rerum omnium cum prima cauſſa, Deo ipſo, ſympathia, connexio, correſpondentia conſenſúsve, Diuinum de ſingulis decretum naturâ ſequens, non ineptè ſtatuatur: hoc eſt, vt omnes vires creaturis rebusq́ue artificioſis inſitas, à Deo ipſo (qui omnium eſt actus primus, & actionis omnis principium creaturis impermiſcibile) miniſtrantibus eis iã

dictis

dictis cauſsis, quæ ideo ſecundæ vocantur, pẽdere ac eſſe intelligas. Qui tamen pro libera & omnipotenti ſua voluntate (omiſsis quandoq; ijs quorum meminimus medijs ac miniſtris) immediatè ex ſeipſo ea facit q̃ vult, quibus quoq; miraculis nomen eſt. Cæterùm ex his luce meridiana clariùs patere mihi perſuaſi, diuerſos in rebus effectus pendere non ſolùm à materiæ varia alteratione ſeu præparatione, ſed à diuerſo cœli afflatu, maximè autem à diſcriminatis formis: diſcrimine, inquam, nõ ſolùm ſpeciem conſequente, ſed & cuiuis indiuiduo proprio: Tametſi materiæ apparatũ rebus gignendis ac perficiendis non obſcuri eſſe momẽti certum ſit. Qua ratione videre eſt indiuidua eiuſdem etiam ſpeciei, alia alijs etiam eſſe clariora, vel viribus ignobiliora, pro videlicet ſymmetria, puritate vel confuſione eorum ſubſtantiæ. Nemini nanque rerum naturalium gnaro dubiũ

Effectuum varietas eſt partim ex materiæ præparatione, partim à cœlo.

eſſe ſuſpicor, cœlicos influxus impediri poſſe vel omnino minui, propter ineptitudinem materierũ in quas ſuas exercerent potentias. Cui & illud ſubſcribit Virgilianum:

Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo,
Seminibus quantum non noxia corpora tardant.

Cui etiam pulchrè & id Platonicum adſtipulatur, ſecundum merita materiæ infunduntur vires cœleſtes. Proinde ex cunctis his diuinioribus meditatis, multis nominibus claret Democriti illius extollenda multum ſententia, qua dijs, id eſt diuinis virtutibus omnia eſſe plena, conſtanter aſſeuerabat. Is ſiquidem cœleſtium vires cum inferioris huius mundi generum, ſpecierum ac indiuiduorum naturis ac proprietatibus conferẽs: ſed & eorum cum ſuperioribus, maximè verò cum bono ipſo, connexionem perpendens, à ſummo ipſo bono ſingula & eſſe, & propriorum munio-

Democriti egregia ſententia.

rum

rum exercendorum poteſtatem adipiſci doctus, in ijs ipſis Dei vires adeóque Deum ipſum clarere cernebat. Quas virtutes nõnulli diuinas illices vel idcircò appellarunt, quòd contẽplantium animos ad Deum alliciant tam inſignem opificem, vel quòd potentiæ illæ diuinæ omnem in omnibus promoueant functionem, quod & Ouid. perſenſiſſe videtur hoc carmine:

Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacræ ſemina mẽtis habet.

Porrò, neſcio quo tandem ſuggerente Mercurio, à propoſito ſcopo dilapſus quodammodo forſitan videbor: præſtat itaq; eò recurrere vnde diſceſsi. Inchoatam tamen iamdudum hanc diſputationẽ in medium cómuneq; theatrum adductam, prius libet abſoluere. Quædã enim digitulo tantum tetigimus quę dilucidiori enodatione egere fortaſsis videbunt, quam ſic accipias velim. Vulgata multũ eſt

Ariſtotelis ſentẽtia, quòd neceſſe ſit mundum hunc contiguum eſſe ſuperioribus lationibus, hoc eſt cœlo extenſo, vt inde vis omnis illius gubernetur, vt & hinc plurimis creditũ con ſpiciam quòd cœlum omniũ gignendorum ſit cauſſa effectiua. Quapropter vt pro philoſophorum celeberrimorum tantum non diuinis meditatis rem hanc omnem explicemus, operæprecium facturus videbor, ſi his quoq; adijciam duplex philoſophis ſublimioribus eſſe cœlum, primariũ videlicet & princeps, cœlum cœlorum, quod & ſpirituale à quibuſdam nuncupatur: idemq; illis eſſe intelligitur, atq; anima illa mundi, quæ aſcita ſibi quadam ſimplici plurimum, ſed congenea conſentaneáve ſubſtãtia, ſpiritus euadit per omnia diffuſibilis, omnium poſt Deum ipſum & ab eo functionum primarium miniſterium. Neq; deſunt qui ſynceriùs exiſtimãt cœlum illud eſſe in mente diuina ceu

Cœlũ duplex.

omnium

omnium rerum prototypum, quanquam & intelligentias quaſdam eſſe creatas cœlo extenſo mouendo atque dirigendo non inficientur. Quod & diuus ille Auguſtinus ſentire videtur ſuper Geneſim dicens, quòd Deus ſic mundum ordinauit, vt ſpiritum omni creaturæ præficeret. Cui etiam ſubſcribere videtur Bonauentura lib. 2. diſt. 14. quæſt. 2. Art. 3. his verbis: Sicut " congruũ eſt angelos deputari ad mi- " niſterium hominum, ſic etiam con- " gruum eſt ipſos deputari ad motum " & regimen cœlorum, cum in hoc mi " niſtrent homini viatori & diuinæ ſub " ſeruiant maieſtati. Et hæc poſitio eſt " magiſtrorum tam in theologia quàm " in philoſophia; quia concors pietati " & fidei & rationi plurimum eſſe vide " tur. Hæc ille. Alterum cœlum velut prioris vmbram quandam & inſtrumentum ſtatuunt, & in eo ſphæras ſitu diſponi pro earum excellentia, naturis & viribus ſenſerunt. Quas om-

Cœlum alterum.

Digitized by Google

nes & viciſsim ſingulas ad primã cõmunemq́ mundi illam animam, veriùs autem ad ſpiritualem illam intelligentiam: & hinc ad Deum ipſum, ineffabili quodam ac obſequentiſsimo conſenſu cóſpirare ſunt arbitrati. Itẽ ſigna, planetas, ſydera, & quicquid præterea in cœlo hoc extenſo conſtitutum eſt, vti ſuperioribus ſeruire, ita inferioribus & ſubmiſsis potẽtias ſuas transfundere, vt & hinc ſub terra quædam quaſi cœlica gigni cernere ſit: dum videlicet corpora illa cœleſtia proprijs lumine, radijs ac viribus, id eſt afflatibus, materiam formarum auidiſsimam diſpumant contemperantq́, & in ea ſeminariam introducẽdæ formæ rationẽ ad ſui propagationem extimulant, atq́ ad formæ ſuſceptionem plaſmatori ritè præparant. Sicuti nanq́ hæc, illa, virtute præcellunt, nobilitate ac ſitu: ita & in inferiora vires ſuas, ipſa trãsfundere ſuperiora præſtabilioraq́, vniuerſi ordo poſcere

ſcere videtur, & benignitas creatoris voluiſſe perſpicitur. Nimirum vt qua ratione eſt mouens aliquod non mobile, ſimiliter & alterans ſit quoddam non alterabile, iiſdem dico qualitatibus. Neq; enim quòd varios afflāt influxus, eſt (vt pleriq; putarunt) ꝙ qualitatis diuerſæ participes ſint, ſed ꝙ illa viribus à creatore donata ſint multijugis. Quum nanq; inſtituta ſint incorruptibilia illa cœleſtia vt vegetēt, regant, & ſub creatore tueantur adſerantq́; infima hæc, multimodæ tranſmutationi obnoxia, æquū fuit vt multiformes eis impartirentur virtutes, quibus ſcilicet iuuent extimulentq́; ſubiectæ naturæ vim: non profectò vt ſibi ſimile quicquā producant, ſed vt Deo pareāt atq; ſubminiſtrēt. Quod reuera præſtare cœlica corpora philoſophari putarunt cùm vi luminis, tum virtutibus proprijs ſpeciē totam cōſequentibus, p radios lumēq; in inferiora hęc demiſsis. Dū ſcilicet cœli

corum corporum radij ad terrã (quæ ceu punctum ac centrum ad cœli ambitum & capacitatẽ exiſtimatur) trãſmiſsi, aſſumpta etiamnũ forſitan quadam tenuiori & ſibi conſentanea elementorũ, per quæ penetrant, ſubſtantiâ, arctantur: proindeq́ denſiores effecti & potentiores, materiam ritè & ad portionem æquant coaptantq́, & præinfuſas in eam ſeminales rationes ad actum inuitant, donec ad formam tandem materia illa ad amuſsim, hoc eſt pro diuinæ ideæ ratione, diſponatur, vt & hinc non paucis ſenſualibus philoſophis (vti pręſcripſimus) viſũ ſit atq́ receptum, cœlum illud extenſum cunctorum quæ hoc in inferiori mundo generantur cauſſam eſſe effectricem: quod tam rationi profectò alienum eſt, quàm ſi inſtrumentum, non autem artificis intelligentiam, operis alicuius formã artificialem efficere putarent. Quamobrem vt cælica illa corpora miniſtratoriæ, vel ſi ma-

uis

uis inſtrumẽtariæ, cauſſæ ſpeciẽ quã-dam à Deo inijſſe eorum quæ ſtata naturæ conſuetudine producuntur, primoribus illis & ferè diuinis philoſophis iudicentur, nunquam tamen veræ, hoc eſt creatricis aut plaſmatricis cauſſę rationem illis conceſſerint.

Cæterùm pro Christiana noſtra veraq; philoſophia hoc loci non pigebit ſubnectere verba diui illius Augustini, ſummi profectò & diuini philoſophi & doctoris nomen meriti, quibus Deum formarum omnium ſpecificarum & proprietatum ſingularum autorem eſſe & cauſam veram principemq; propalàm teſtatur: Inuiſibiliũ (inquit) ſeminum creator, ipſe creator eſt omnium rerum, quoniam quę cunque naſcendo ad oculos noſtros exeunt, ex occultis ſeminibus accipiunt progrediendi primordia: & incrementa debitæ magnitudinis, diſtinctionemq; formarum ab originalibus tanquam regulis ſumunt. Et mox

„ ſubdit: Itaq; apoſtolus Paulus diſcer-
„ nens interiùs Deum creantē atq; for-
„ mantem, ab operibus creaturæ quæ
„ admouētur extrinſecus, & de agricul
„ tura ſimilitudinem aſſumens, ait: Ego
„ plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus in-
„ crementum dedit. Hactenus Augu-
ſtinus. Atqui pro huius capitis ſuprema manu ſubnectendū duximus, quòd proprietatis effectus bifariam diſcriminatur: aut nanq; vtilis eſt, aut nocuus. Vtilis cenſetur quo homini quippiam inuitatur adfertúr ve emolumenti, vt (verbi gratia) eius functiones aut vires conſeruet, vegetet, roboret, reparet, abſoluat, & ab internecione vindicet: Vel etiam ad meliorē faciliorem q; vitam quicquam adferat vtilitatis. Nocuus autem huic ex diametro contrarius iudicatur. Deinde vtilis inutilíſve dicitur proprietas vel toti corpori, vel priuatim cuidā parti. Toti ſiquidē corpori venenato, ſingulis itē ſigillatim eius particulis, the

Proprietatis vtilis effectus.

Inutilis proprietas.

riaca

riaca ex vſu eſt. ſpeciatim verò Hyacinthus, Granatus, Margaritæ, Aurũ, cor ſedesq́ꝫ virtutũ: Corallium autem & Achates ſtomachũ & ventrẽ ſolãtur, & à noxijs cauſsis aſſerunt. Simili modo Napelli vis deleteria toti iuxta ac ſingulis quibuſqꝫ partibus inimica cognoſcit. Cęterùm proprietatũ quę ab aduerſis defendũt, quædã hoc moliuntur noxiũ, ad ſe primũ quidẽ conuellendo, deinde immutãdo. Qua ratione Amethyſtus vmbilico admotus vini vaporẽ cũ primis allicit, & Scammoniũ bilem reuellit. Alia verò quod flagitioſum eſt deturbant, ac tandem propellũt, veluti iã dictæ theriacæ cũ alijs medicamentis aduerſus venena valentiſsimis cótingit, quod & Smaragdo, lapidi Cyaneo & alijs nónullis familiare eſſe perpetuo euentu cóſpicit. Alia deniqꝫ pręſentẽ eſſe vel imminuere cauſſam aduerſam certo indicio cómonſtrãt, vti Electro atqꝫ Adamãti corã toxico madere cótingit

Proprietatum variæ differẽtiæ.

Digitized by Google

& Torchois vel findi vel omnino ruinam aut maculam quandam efferre dicitur appetente periculo. Eorũ rurſus quæ viribus occultis nitunt̃, quædam ad actionem corporis extimulatione egent, quemadmodum pleraq; pharmaca in actum (vt phyſicis vulgatum ſermoné vſurpemus) reduci neceſſum eſt, priuſquã ad opus propriũ emergant. Alia verò citra omné à corpore immutationem propria munia exercent, quibus exercendis ſola debita applicatione opus eſt, quòd ſcilicet vires ſuas actu, vel habitu ſaltem ſolam accidentalem potentiam conſtituente nacta ſunt: ideoq́; ſola egét conuenienti ad obiectum admotione, vtq́; impediens nullum adſit. Qua de cauſſa Coralliũ etiamſi ſtomacho diutius adhæreat, nihil à corpore detrimenti admittit: pariter nec Sapphirus anthracem ſanando vires vel tantillo perdit, quanquàm & id ei quidã falsò adſcribant.

De

De ratione & cauſsis virium in Gemmis. Cap. III.

COgnationem certè non obſcuram ea quæ huic capiti inſerenda ſunt, cum ijs quæ nouiſsimè diſſeruimus habere vidẽtur. vtriuſq; enim capitis idem ferè obiectum, eadẽ penè ratio, idem propemodum argumẽtũ, vt & hîc quoq; bonam eorũ quæ præſtruximus partem adiectam intelligi velim: quam & adieciſſem profectò niſi prolixitatis nimiæ καὶ ταυτολογίας, id eſt, repetitionis accerſi metus fuiſſet. Inſtitutum itaq; adgreſsi dicimus præclaras multũ in Gemmis excellere virtutes. Ideoq; & in magna illas antiquitùs fuiſſe maieſtate tã conſpicuum eſt, vt eum nihilo conſultiùs facturum exiſtimem, qui illarum dignitatem multis encomijs commendare niteretur, quàm qui ſolis lumen leuiculo quopiam fulgore clarius efficere, aut luxuriantibus aliquot (lon

gè tamen imparibus) pictorum more coloribus illud aſſequi conetur. Sed enim tantarum virtutũ tamq; verè ſtupendorum muniorũ cauſſas perſequi non omnibus ex æquo facilè fuerit. Qua de re, paucis libet de illarũ potẽtiarũ ratione quædam recenſere, non floccipendenda. fuerũt enim qui Gẽmas viuere, & à ſua anima ſpeciales adeoq; ferè diuinas functiones exercere crediderunt, quorũ iudicium receptũ hactenus nó eſt. Aliter Alexander ille Græcus ſenſit. nanq; quod illarum proprietates elementis vnde cóſtituuntur referuntur acceptæ, nimirum quòd hæ in mixto alia ædant opera quàm extra ipſum, in quo qualitatem elementalem, id eſt, innatũ temperamentum, tanquam inſtrumentũ ad opus moueri ratus eſt. Cuius ſententia, etiam ſi pleriſq; placeat, multis tamen nó mediocribus philoſophis vel ideo abſurditatis expoſtulatur, quòd inſtrumentariæ tantùm cauſſæ recor-

Alexandri Greci opinio.

Temperamẽtũ, cauſa inſtrumentaria.

recordatus, effectricem, quæ princeps eſt, prætermiſiſſe videri poteſt, quam perueſtigare præſentis eſt negocij. Hermes autem ille Triſmegiſtus Cœlum Gemmis occultas proprietates trãsfundere perhibet: è quo gignendorum ſeu producendorum omnium facultates tam ſingulares q̃ vulgares in hæc inferiora tranſmitti non dubitauit aſſeuerare, duplici (vt inquit) modo. Aut videlicet nobiliter & ex amuſsi, quoties materia in quam cœlum vim ſuã exercet, eius orbis ac luminis quandã ſpeciẽ ſeu cognationẽ refert: ad quã ſcilicet quo propiùs acceſſerit gignẽdus lapillus, in hunc feliciùs ac abundantiùs propter materiæ ſymmetriam, connexionẽ, atq; conſenſum, cœlũ fuiſſe operatum intelligat. Sed & ideo multa admiratione dignas Gẽmis eſſe proprietates inditas aſſerit, quòd lumine & perſpicuitate cœlo quadantenus patentiores demonſtratæ, eius actionẽ

Princeps cauſa.

Hermetis de Gẽmarum virib. ſenſus.

Digitized by Google

perfectiùs admiſerunt conceperũtq́ꝫ. Vnde ſcilicet tandem hominis ſpiritus affecti ſpecificis pateant Gemmarum proprietatibus, qua ratione Topazium, Carbunculum, Adamãtem, occultis gratiarũ proprietatibus præditas eſſe confirmant viri non pauci nec incelebres, vt non deuoratis tantùm, ſed & etiam geſtatis ſuas ædere liceat cælicas potentias: primum quidem in hominis ſpiritus, demũ in humores & ſolidiores eius partes, quibus à peſte ac venenis defendat. Sed enim à cœlo hoc ipſum, quicquid recondita vi poſſunt, Gemmas accepiſſe, vel hoc argumento confirmant, ꝙ magnos parua mole mirificosq́ꝫ promant effectus. Nulli nanq́ꝫ elemento cóceſſum volunt paruo corpore plurimum ſubito præſtare, vti nec ignem puſillum magnam vnico impetu lignorum congeriem vrere, vel aquæ pauxillum terræ plurimum perfundere. Quæ verò cœlica vi nituntur, ex haud

A cœlo eſſe Gemmarum vires oſtendit.

haud multa materia (ceu ſcilicet vim eam in nó magnoperè reluctantia obiecta, facili opera, diffundant) admiratione etiamnum dignas ſuas functiones abſoluunt. Nimirum quòd contrarijs aduerſantibúsve cauſis non agunt, & à validiſsima cœleſti potentia in actionē extimulantur. Quo modo (vt phyſiologis quibuſdam non vulgaribus placet) Coralliū, Carchedonius, Chryſolythusq; Gemmæ, ab Ioue præſertim ac Venere id ſunt indeptæ virtutis quo ab atræ bilis melancholiæ ve ſymptomatis vel ferentem adſerere valeant. Deinde & Mercurio Achaten ſacrā perhibent, ideóque & facundiam inuitare, & homini contra venena amuletum eſſe teſtantur. Aduerſus quæ etiam è Creta collectam dictamnum à Phœbo (qui Pythonem transfixiſſe fingitur) id eſt, à Sole omnis vitæ & propaginis fomite, mutuatam eſſe profitentur facultatem. Sed & herba Pentaphyllon cœ-

lica vi palàm prædita creditur nó venenatis modò auxiliari potens, ſed vnico folio diariam febrem, ſi bis in diés ſingulos ſumatur: ternis, tertio quoque recurrentem: quatuor autem folijs quartanam febrem pellere atque conficere poſſe laudata. Nec iniuria profectò, quum nempe febres hæ varijs pugnent tum naturis tum intemperantijs, haud facile fuerit (ſi me nó omnia fallāt) explicare quam ob cauſam naturalem, vnico ſimpliciſsimóque hoc remedio, Pentaphyllo ſcilicet, tam diſsimilis rationis affectus abigi queant, ſi non virtutem hanc cœlum ipſum illi impendiſſe cauſſeris. Quid præterea Phœbo ſacrę Pæonię, à comitiali morbo vel portantē vindicare poſſe, præter cœlum, conceſſerit naturalis ſenſualíſque philoſophus? Neq; enim pauca reperias medicamenta quæ ſimilis caliditatis, ſiccitatis ac modicæ adſtrictionis cóformes promant qualitates, quarum ratione

tione tametſi germanas ædant operationes manifeſtas, aduerſus tamen illum affectum tam præſtabilia eſſe minimè experiaris. Sed hæc quorſum? nempe vt mirũ non ſit, quòd philoſophi illi arbitrati ſint, cœlum Gemmis occultas profundere potentias: quũ preſertim ſimiles poteſtates in obſcurioris ſubſtantiæ herbas palã ſit illud inſinuare creditum. Quid præterea? Nónne à veteribus obſeruatũ eſt quarundam arborum, Oleæ inquã, Populi albæ, & Salicis folia ſolſtitiali tẽpore conuerti: fieri etiã vt ipſo brumali die frondes quædã reuireſcant? Vt & hęc Marcus Varro ſtupenda diſcrimina nominarit, quibus videlicet anni tempus diſcernatur, & ex foliorum verſura ſolſtitium, ex recens autem erumpente quarundam herbarum vigore brumalis dies internoſcat. Quæ ne iuſtè quis miretur, non pigebit & hîc quoque contexere quæ M. Cicero ex Stoicorum placitis refert: Pro-

batum eſt, inquit, à Stoicis in ipſa bruma muſculorum iecuſcula augeri, pulegium aridum florere brumali die, item inflatas rumpi veſiculas, & ſemina malorum quæ in ijs medijs incluſa ſunt, in contrarias partes ſe vertere: Oſtreis & conchylijs cõtingere vt cũ Luna pariter creſcant & decreſcant.

Cõcluſio. Vnde manifeſtum eſſe puto (vti etiã præſtruximus) quod & philoſophis diligenter probatum receptumq́; inuenio, quòd rebus ſupernis vis quædam inſita eſt vehemẽs, quæ maxima ex parte cum inferioribus conuenit: indeq́; ſympathia quædam & ceu cõſenſus emergit, quo animantium motus taciti q́; concentus cœlicis corporibus (in rebus quæ ſtata natura fiũt) concordare videntur: Quo nomine hæc quoq; inferiora cœlicis ſuis numinibus adſcripta reperio, Apollini nanq; Aries, Leo, Gallus, Crocodillus, Cantharus, à Chæremone Porphyrioq́; tribuuntur. Ex arboribus verò

Palma,

Palma, Lotus, Laurus Soli feruntur acceptæ. Nimirum quòd coram intuearis† Loti folia prius quàm ſol emergat contrahi, & eo exorto ſenſim explicari. Mitto quæ de Heliotropio, & alijs non raris herbis, vt literis proditũ eſt, ita re ipſa quiuis non negligens explorator proprio obtutu cernere poteſt.

Lotus hæc herba Nili eſt, non arbor.

Porrò de lapidibus multa nec tamẽ diſsimilia à Philoſophis Aegyptijs ac Magis perhibentur, qui quoſdam lapillos ſyderum imagines planè repræſentare adſtruunt, quos & ideò ab ijs virtutes in ſeſe cócepiſſe crediderũt, & experimento comprobaſſe teſtati ſunt. Quid nanq; philoſopho naturali mirum exiſtimare ſimilitudinẽ Gémarumq; cum cœlo cognationẽ maiorem, efficere vt eius viribus obnoxius pateant atq; hinc valentiores emergant, quum maximè ſimilitudo & extimulata tandem germanitas materiei aptam præparationem, & cœlo obnoxium conſenſum non obſcu

rè ſubindicet. A cunctis ſiquidē phyſiologis receptum eſt quòd agentiū actus fiunt in patiente diſpoſito (libet enim eorum vulgatam multū ſententiam ad verbū referre) quodq́; ſingulæ ſimilitudines ſeſe natiuo quodā affectu appetunt. † Verùm ne hęc quidem abſurda iudicauerit, qui monimentorum magicorum aſtrologicorumq́; nō inuitus meminerit. hi quippe in rebus ſimilitudinem non mediocre ad effectus naturales habere robur certa veluti hypotheſi ſtatuere. Sed vt magica omittamus, quibus vel ſolo nomine multi terrentur, aſtrologicum aliquod adferemus exemplū. Inter omnes aſtrorum peritiores conuenit (quibus etiam medicorum non vulgarium bona pars facto periculo ſubſcribit) Leonis imaginē aduerſus calculum amuletū eſſe: ſi tamen ſtato tempore, hoc eſt, Sole Leonis primū gradum occupante in auro ſculpta, à collo portetur. Cuius rationē nemo, credi-

† Hæc in prima editione obliterāda Cēſor quidā iudicauit. Vide ſub finē operis.

crediderim, aliam facilè attulerit ſalutem naturalem, quàm conſenſum appetitumq́ꝫ quendam rerum cœleſtiũ cum congenea figuratione, in conuenienti materia ab iſta ſaltem harmonia inuitatũ procuratumq́ꝫ. Propter quem virtus illa cœli, quę conſtituto illius configurationis tempore pollebat, à iam dicta parilitate, & materiæ, id eſt auri, ad menſuram præparatione, in aurum iam dicta imagine figuratũ allicitur, transfunditur, commeat: quæ proximũ, geſtãtis ſcilicet, corpus ſua vi afficit, qua à calculo ipſum tueat. †Veruntamẽ nolim cenſoré noſtrũ imitatus intelligas, philoſophos illos, vel etiã me ſentire virtutem hãc eſſe imagini, ſed auro tali effigie figurato & efformato transfuſam, vt ſcilicet ſubaudias illos exiſtimare ꝙ præparatio, qua per ſculpturã dictæ imagini fabricandæ neceſſariã, aurũ cœlicis radijs & influxibus cócipiendis abundè diſponitur, efficit vt materia

†Hactenus quæ obliterata fuere.

hæc patentior reddatur cœlicis afflatibus admittendis, & (vt ait M. Vitruuius libr. 1. de Architect. cap. 6.) de latentibus cœli rationibus, artificioſis rerum inuentionibus, diuinitatis exprimere veritatem rerum peritus vir poſſe credatur. De quibus fuſiùs ſuprà diſſeruimus. Sed enim ne philoſophorum illorum placita abſurdiora putes, quàm vt humanam apparentemq́ ſaltem aliquam non habeant rationem: Maximè autẽ quo feliciora, ſublimioraq́ ingenia oblectemus (non verò quòd ita eſſe ſtatuamus) annotanda in primis & hîc nobis videtur Platonis illius celeberrimi, & multorum non mediocrium philoſophorum celebrata vulgataq́ ſententia, quòd ſcilicet mundus eſt animal vnum, vna quadam anima intellectuali (ea eſt de qua paulo antè diſceptauimus) ſub mente principe omniũ creatrice vita donatum, quæ (menti obſecundans) cõgeneo ſuo ſpiritu per omnia

Mũdũ eſſe animal vnum ſenſit Plato.

nia diffuſo vniuerſum orbem alit, fo-
uet, moderatur. Cui & id Maronis e-
gregij illius non minùs philoſophi ꝗ̃
poetæ ſubſcribit: ---- *Omnia*

Spiritus intus alit, totamq́ue infuſa per
artus,
Mens agitat molem.

Quibus non obſcurè oſtendit natu-
ram hanc tranſmutationi obnoxiam
à natura ſtabili ordinatriceq́ꝫ regi: ſin
gula etiã artus & particulas eſſe quaſ-
dam mundani illius ac magni anima-
lis, eademq́ꝫ ſaltem communi vita vi-
uere, adde & communi quodam ſpi-
ritu in ꝓpria munia extimulari. Ideó-
que & illorum eſt conſilium, vnam in
omnibus vitam ſub mente eſſe ac vi
gere, quæ cuncta eius vi & imperio ꝑ-
agat. Ita tamen vt ad ſuas functiones
obeundas tum cœlicis, tum nonnun
quam etiam rudioribus inſtrumen-
tis vtatur. Quapropter & in hac com
muni omnium vita ſentiunt ſingulas
formas cùm inuicem, tum per animã

Vna in omnibus vita, omnia inuicẽ cõſpirare, & compaſsione quadã communicare.

illam vniuerſalem ad omnium vltimũ finem, hoc eſt ſupremum ipſum bonum, tandem conſpirare, vt & quæcunque fiant mundi opera, ſigillatim mundi partes ſint vel ad eas ſpectent, vt & ad totum. Quod & ipſe Pythagoras ſuis numeris demonſtrare contendebat, dum vnitatem omnem numerum conſtituere, dualem primum, atq; ex vnitate & binario ternarium (id eſt Trinitatem quandam) cõprehendi, deinde & in ſimplicem vnitatẽ alium omnem numerum reſolui, multa ingenij dexteritate diſſerebat. Verùm vnde digreſſus eſt noſter tandem redeat ſermo. Senſerunt item & philoſophi illi, quòd citra ſubſtantialẽ proximamq; cauſſam non poſsit in hoc inferiori mundo naturaliter produci ſubſtantia, nec ſine viuente cauſſa viuens quippiam generari: deinde & duce quodam communi diuerſa quæq; conciliari. Proinde & per ſubſtantialem illum mundanæ animæ vbiq; præſentem

Pythagoræ de Trinitate & vnitate per numeros cõpendioſa ſententia.

Digitized by Google

ſentem ſpiritum, omnia conſenſum, cuius nunc cõmeminimus, participa re volunt. Adde, quod & inter philoſophos conuenit, quòd lumen intelligentiæ eſt actus: intelligẽtias quoque & ſuperiora lumine & ſpiritu nó modò cõmuni, ſed & ꝓprio agere. Quid igitur illis arduũ fuit opinari ſpiritũ illum vniuerſalẽ, cœli vim materiæ ad eã ritè paratæ admouere, vnde rationis eius ſeminalis virtus ad opus pridẽ à creatore inſeminatũ exſuſcitet. Præſtat tamen Chimericam illam animam, Chriſtianis incognitã, philoſophis in hanc perſuaſionẽ ductis relinquere: & attendere ijs quæ ratio diuinis oraculis ſubnixa ſuadet, & quotidiana naturæ conſuetudo commonſtrat. Naturam autẽ ſic operari videmus vt cœli lumen non deſit, & rationum ſeminalium in elementis, id eſt, in ipſa materia, latentium per id excitetur fœcunditas. Quemadmodum quippe prudẽs agricola terram

ſementemq́; ſic ſua arte ac diligentia præparat quò ſpeciem rei cuius in ſemine rudimentum aliquod à natura deliteſcere ſcit, cœlum omnibus numeris feliciùs abſoluat: Ita & ſolertiſſimam prouidiſsimamq́; naturam, vel hominem artificioſum aurum lapillúm ve ſic aptare poſſe putāt, vt quæ in ijs per creationem cœpta eſt virtus, vel inſita, per naturam, vel artem eius quamproximè æmulam, ad perfectionem tandem extimuletur. Proindeq́; nulli iam mirum ſit, quòd philoſophi illi ſenſerūt, cœlum & artem ſeſe inuicem non rarò iuuare: †Quòd enim pro cœlicis concipiendis viribus, & materijs decenter adparandis, cœleſtium motiones & ſitus obſeruare docuerint, vel ideo ſaltem, quòd hæc ad materiam pertineāt, aliter vel aliter aptandā. Nempe quòd elementa pro illorum motu, poſitione, propinquitate aut diſtantia qualitates euariant, quas non pauci rerum naturalium

† Quodq́; pro, &c.

raliũ proximas effectricés ve cauſſas exiſtimant, vel ſaltem in hoc ſuperioribus miniſtrare quòd pro eorum mixtura & temperamento formam quandam ædant quæ ad ſpecificam quàmplurimum diſponat: Vt & id ſit euidens, quod ſuperiore capite prætexuimus, Deum ordinem quendã conſtituiſſe omnium rerum & à ſe & ad ſe. Quem Deum credi non abre poteſt, ſupra ea quæ ab vniuerſali rerum naturalium confluxu quæq; ſpecies & quoduis indiuiduum recepit, proprietatem quandam humano captui, non ratione, ſed ſolo experimento prouiam, ad hominis vſum, liberaliſsima ſua pietate infudiſſe atq; impartiuiſſe. Vt & vtilitatem inde homo capeſſeret, & tanti tamq; reconditi operis admiratione illectus, ad Dei & Domini ſui omnium creatoris contemplationem amoremq; raperetur conuolaretq;. Hic nãq; ordo vniuerſi, & hęc rerum proprietatumq; admiranda va

Cur proprietates occultæ rebus à Deo inditæ ſunt.

Digitized by Google

rietas, dum ab intellectu diligentiùs auidiúsque introſpicitur, illuminatis tandem mentis oculis, principiū ſuum, quod eſt bonum ipſum, id eſt Deum, refert, incomprehenſam ſublimitatem, ac maieſtatem ſimplicisſimā, ſapientisſimam, potentisſimam, benignisſimámque virtutem atque bonitatem eſſe. Sed inſtitutum tandem abſoluamus. forſitan enim longius palati diſceſsimus. Itaque tametſi Triſmegiſtus ille non abſurdè videri poſſit ſenſiſſe, quòd cœlum lapillis vires abditas impertiatur, proximæ tamen earum cauſſæ non meminit, quam inter philoſophos conuenit in materia conſiſtere, & inde ſuas promere functiones. Qua ratione patet, cœlum ipſum materiale ac extenſum non eſſe principem proximámque, vel ſi mauis, coniunctam cauſſam earum quæ in Gemmis latent potentiarū. Quámobrem quum ſuperiùs oſtenderimus, reconditarum virium cauſſas à nulla

fieri

fieri cóplexionali qualitate: ſed nec ab aliquo elemento aut forma elementorum temperiem primariè atque eſſentialiter conſequente, voluit Albertus ille Magnus cum numeroſa non mediocris literaturæ ac iudicij virorum turba, quòd ſpecies ſeu ſubſtantialis Gemmarum forma ſit delitefcentium, quæ ex ijs experimur, facultatum cauſſa effectrix atque immediata. Quanquam nec illi fortè negarint ſubſtantiali illi formæ vim aliquam adijci cœleſtem, quæ vel ſeipſa, nonnunquam autem Gemmarum adiuta temperaturis elementalibus, præcipuæ illi cauſæ ſuffragetur. His autem non de nihilo ſubtexendum videtur, quòd quæ Gemmæ natura puriſsimæ naſcuntur, & ab omni ſorde defecatæ, nullam artis præparationem ambiunt, niſi vt ritè corpori admoueantur & nihil obſtet. Quæ verò terra aut cruſta obductæ, precioſum intrò condunt the-

Alberti Magni de proprietatũ eſſentiali cauſa ſenſus.

ſaurum & gratam pulchritudinem, mangonum officio, abiecta cruſta, & virtutibus & illecebris diffundendis idoneæ redduntur. Neque etiam tibi perſuaſum velim Gemmas æqualiter ſuis functionibus corpora quæuis etiam humana afficere. Quandoquidem pro corporum cum cœlicis orbibus & afflatibus, vnde vim lapilli mutuati ſunt non modicam, maiori vel minori conſenſu, aut eorum corporum conueniente vel aduerſante tẽperamento & innata proprietate, efficaciùs aut ſegniùs Gemmas operari contingit.

Nõ in quęuis corpora Gẽmas æqualiter operari.

PRIMI LIBRI FINIS.

Digitized by Google

DE GEMMIS XIII. QVARVM DIVVS *Iohannes in Apocalypſi meminit.*

Liber Secundus.

ARGVMENTVM.

IActis inſtituti noſtri fundamentis, ab ipſo ſecundi huius libri limine prætexendum videtur, quòd diuus ille Ioannes Apoſtolus Ἀποκαλύψεως, id eſt, Reuelationis libri capite penultimo, dum ciuitatis ſanctæ Hieruſalem de cœlo deſcendẽtis, ac Dei claritate illuſtris ſtructuram deſcriberet, tredecim Gemmarum nõ ſine magno ſacramento (quod ne in aliena meſſe metamus, in præſentiarum prætermittimus) commeminit. Quas nõ pigebit, ex ordine eo loci ſeruato, hîc quoq; recẽſere. Neq; enim video qua meliori ratione, Dominus omnium Deus nobis commonſtrauerit, diui-

nas quaſdam Gemmis ineſſe naturas & ꝓprietates, quàm ijs ipſis cœli muros, hoc eſt, eius virtutes, vel (ſi mauis) Chriſti Ieſu cum duodecim eius Apoſtolis, Eccleſiæ videlicet capitis & columnarum amplitudinem, maieſtatem, cumulatam deniq; nobilitatem & inuincibilem virtutē per Gemmas deſignādo. Sunt itaq; omnes eæ: Iaſpis, Sapphirus, Carchedonius, Smaragdus, Sardonyx, Sardius, Chryſolithus, Beryllus, Topazius, Chryſopraſus, Hyacinthus, Amethyſtus: nouiſsimas verò fecit Margaritas. De ſingulis autem his hoc libro primùm ex ordine diſſerere conſilij eſt.

De Iaſpidis ſpeciebus & viribus.
Caput I.

IAſpidis plura ab autoribus enumerantur faſtigia. Ea tamen quæ apud Indos nata Grammatias, alijs Polygrammos vocata eſt: quęq; virēs, Smaragdo

ragdo quadantenus ſimilis pellucet (vt & hinc ſola ſubſtantiæ craſsitie ab hoc deſciſcere ferè videri poſsit) ſupremam obtinuit maieſtaté. Ab hac verò diuerſa multum Cypria viſitur, colore glauco, ſubſtantia pingui, Gallis Iaſpis alba dicta. Perſica æri ſimilis, Aerizuſa nominata, cóſpicitur. Thermodontiaca autem Iaſpis, cærulearũ optima eſt. Cappadox ex purpureo cœruleum refert in materia opaca, ideoq; non fulget. Phrygia ruboris nõ nihil admiſit, Thracica Indicæ æmula, Chalcidica turbuléta ac variæ multum ſubſtantiæ, omnium minimè iucunda. Cunctarum vulgò præſtantiſsima eſt, quæ purpuræ quippiam complectitur. Secundum habet locũ quæ roſeum quiddam nacta eſt. Tertiam obtinet dignitatem, quæ Smaragdum: quartam, quæ Autumnale matutinum ſerenumq; cœlum imitatur. Eſt & quædam Iaſpachates ceu Iaſpidem & Achaten quoq; cóplexa, vires

Digitized by Google

vtrarumq; perſtringere credita. Sunt & aliæ (autore Vincentio) peregrinæ Iaſpidis ſpecies ex Thetel enumeratæ. Nam inuenitur (ait) in Iaſpide ſcutum habens in collo, & cuſpidem in manu, & ſub pedibus ſerpentem, qui habeat contrà omnes inimicos virtutem. Item & alius in quo ſit homo habens faſciculum herbæ in collo, cuius virtus ſit omnes diſcernendi morbos, ac ſanguinem reſtringẽdi: quem Galenum in digito geſtaſſe referunt. Deinde & cruce ſignatum viridem reperire eſt, ne quis ſubmergatur efficacem. Hactenus ille. Hic itaq; ferè indigitauimus optimam principemq; Iaſpidem, virentem illam & Indam quę (quòd præ cæteris amuletum eſſe credatur) Polygrammos nuncupata exiſtimatur, quæ tamen celeberrima aſſeritur, ſi ex viridi purpureum quiddã cõplexa, alba præcingatur linea. Vncijs vndecim magnam vidiſſe Plinius teſtatur, indeq; arte conſculptam Neronis

Thetel.

Iaſpis quæ optima.

ronis thoracatã effigiẽ. Porrò quòd ad vires attinet, omnes pro ſingulari aduerſus pernicioſiſsima quæq; venena amuleto toto Oriẽte deferri, idem Plinius in ſcriptis reliquit. Verumenimuerò eam quæ Grammatias dicitur, alba inſignem linea præferũt, quę ſi geminata candidam efferat crucẽ, à nonnullis firmiter prædicatur ferentem adeò contra aquæ iniurias adſerere, vt & hunc à ſubmerſione vindicare queat. Galenus medicinæ vſui illas eſſe confirmat, quòd ſuo adhæſu ſtomachum firment, quem ventriculi os eſſe idem autor dixit: illiusq; rei ſe periculum feciſſe profitetur, torque videlicet ex Iaſpide à collo ita ſuſpenſo vt ſtomacho è directo reſponderet. Affirmatq; ſibi coram exploratum eſſe ſculpturæ expertes nihilominus prodeſſe, quàm ſi dracone radiato figuratę fuiſſent: quales Nechepſus rex inſculpi inſtituit, vt idẽ Galenus refert. Adde quòd Iaſpis mulie-

Iaſpidis vires.

ribus menſes cohibet drachmæ pondere deuoratus, ſanguiné ſudoremq́ compeſcit, hydropē & febres arcet, oculorū aciem ſuo virore reficit, Venereorum petulantem appetentiam retundit: partum proprietate quadā occultiori moderari creditur. Sunt q ab aduerſis caſibus geſtantem liberare, phantaſma pellere, cōceptioni aduerſari, & oculos ab omni ſorde purgare Iaſpidem dicant.

De Sapphiro. Capur II.

Sapphiri differētiæ & nomina

IOui Phœboq́ antiquitùs ſacrā ſapphirum in duo partiūtur præcipua diſcrimina. Sunt nanque quæ Orientales ſeu Indæ, ſunt & quæ Podiæ, à loco ſcilicet ſuæ generationis, appellantur. Inuenio quoq́ illam & Syrtitem, ab inuentionis loco, vocari. Quanquam non eam putauerim eſſe, cuius Plinius meminit libro 37. hiſt. natural. cap. 10. his verbis: Syrtitæ (inquit) in littore Syrtium, iam quidem & in Lu-

Syrtites.

cania

cania inueniũtur, è melleo colore refulgentes, intus autem ſtellas continent languidas. Tametſi nanq; nomine & originis loco conuenire videantur, color tamen huius ſyrtitis, è melleo croco refulgens, manifeſtiùs reclamat quàm vt à quoquam ſuſpicari deceat hanc ſyrtitem eſſe ſapphirũ. Sapphiri nanq; cœleſti colore conſpicui ſunt. Porrò earum quę apud Medos reperiuntur, ſupremam ſibi maieſtatẽ vendicarunt, quæ ſereniſsimi vernięq; cœli colorem efferentes, cæruleę cõſpiciuntur, & ceu transfuſas nubeculas (immixta etiamnum leui quadam purpura) repræſentãt: vt videlicet ſulphuris primum accenſi colorem referant, aureis inſuper punctis colluceãt ſcintillentq;, ita tamẽ vt viſus aciẽ materiei craſsitie retundant, vt & admotarũ rerum imaginẽ ſpeculi inſtar minimè reddãt. ſunt itaq; hæ optimę ſapphiri. Multę tamẽ alię viſunt quę quo magis ab his vel ſubſtantia vel colo- Sapphiri deſcriptio.

re deſciuerint, eo viliores cenſebunt. Inter quas quæ tanquã ſubcandicantes quaſdam nubeculas oſtentãt, preferuntur, vt ab optimis primum ſibi locum occupauerint. Supremã olim Sapphirum autoritatem habuiſſe, vt & apud diuos gratiam, ipſa perhibet antiquitas. Tam quippe dijs, Phœbo maximè, gratam hanc Gemmam cauſantur, vt tum præcipuè ſua huic ſacra placuiſſe creditum ſit, cum inter hæc ſapphirum (tanquam videlicet cõcordiæ ſignaculum) etiam ſi non citra faſtum ſuperſtitionemq́, oſtentarent. Qua de cauſſa Pontificibus in primis, dein etiam regibus, ſummis denique viris, præ cæteris dignam, ob propemodum diuinas illius facultates, philoſophi iudicarunt. Venereos compeſcere affectus creditur, ideoq́ caſtis præcipuo vſui eſſe perhibetur; deinde animi in Deum propenſionẽ, deuotionem, pietatem, conſtantiam, pacis ambitionem, deorum munera, opimaq́

Sapphiri vires.

Superſtitioſe credita

maq́ꝫ(quod ad hanc vitam ſpectat)beneficia inuitare conciliareq́ꝫ fertur: vt vel hinc eccleſiaſticis præſulibus omnium maximè dignam rude etiam vulgus profiteatur. Addunt & contra iracundiam, inuidiam, fraudes & triſtitiam pollere. Adeò ſcilicet contra effrenes animi mores efficax eſt credita. Verùm hæc ad animam pertinent.

Corporis præterea incrementũ moliri, ſolidas principesq́ꝫ fouere & aſſeruare partes, cordis oculorumq́ꝫ vires reficere, horum excreſcentias & puſtulas inhibere; ruptas quoque membranas cogere Galenus & Dioſcorides autores ſunt. Addunt & aduerſus ſcorpionum ictus & inteſtinas exulcerationes bibi, venenis etiam peſtiferis reſiſtere, & cõtra veneficia omnia, adde etiam & incantamenta præſidio eſſe, febrientes cordis venis pulſantibus admota iuuare, ſudorem arcere, ſanguinem cõtinere: carbunculis abſceſsibusq́ꝫ calidis, peſtiferis præſer-

tim, mirum in modum aduerſari tradunt. Commentitium puto quod à pleriſq; dicitur Sapphirum Carbunculo extincto viribus deſtitui. Sunt & qui falsò iactent ſenſiſſe Dioſcoridem quòd Sapphirus araneam in pyxide repoſitam occidat, ſi diutius ſupra animãtem pendula admoueatur.

Mitto præterea quæ de hoc lapillo ſuperſtitioſorum Magorum pręſtigioſa vanitas nugatur.

De Carchedonio. Cap. III.

CArchedonium è Carbunculorũ eſſe generibus Plinius inter Latinos philoſophos locupletiſsimus teſtatur. Quanquam & hîc præmonitũ te velim ferè omnia tam Gręca quàm Latina Apocalypſis exemplaria Calcedonium habere: quũ tamen de hoc nomine vocato lapide nihil apud authores claſsicos inuenerim: de Carchedonio autem multa. Vt & hinc non ab re putem ſcriptorum incuria

vtraq; exẽplaria iam olim vitiata eſſe, quæ præſtruere viſum eſt ne ſacri textus veritatem ac dignitatem neglexiſſe videremur. Porrò Carchedonios putant imbre diuino generari. Luna plena maximè reperitur. In Naſamonijs montibus naſcitur, deinde & apud Thebas in Aegypto: verũ quàm prædicti obſcuriores ac magis fragiles, venoſi & morientis carbonis haud abſimiles. Neq; etiam deſunt viri non incelebres qui iuxta Baſileam Argentinamq́; claras multũ & inſignes Germaniæ ciuitates quoſdam Carchedonios reperiri adſtruant. Præterea autor eſt Symphorianus Campegius in Lotharingia quoq; Carchedonios oriri miræ magnitudinis, & ſi ferro percutiantur ſonoros, quos & vi præditos ſcribit aduerſus raucedinem: voceq́; clarificare. Ego verò abſolutiſsimo Carchedonio cũ Lotharingo collato, huncnon putauerim (tanti viri pace dictum ſit) eſſe verum Carche-

Carchedonij generatio.

Carchedonij deſcriptio.

doniũ. Quandoquidem optimus colore conſpicitur medio inter Beryllũ & Hyacinthum, accedente etiam leuicula quadam & ſubardente purpura, vt & proinde facilis ſit ſuſpicio coijſſe Beryllum cum Hyacintho. Ideóque Carbunculis pallidior & ſubobſcurior viſitur, quanquam & Sole vel igne acrior excitetur. Dicunt etiam Carchedonios vmbrã purpureos oſtendere, ſub dio verò flammeos videri, & ſoli expoſitos ſcintillare. Qui autem à Lotharingis paſsim circunferũtur rubri ſemper æqualiter conſpiciũtur, tantùm abeſt vt prædictos gratia & proprietatibus adſequantur. Quãobrem ſpurium potiùs Lotharingum Carchedonium eſſe iudicauerim, vel omnino ignobiliorem eius quandam ſpeciem. Præterea commune omnibus Carchedonijs inuenio, quòd ceram ſignandam ſuo contactu ita quidem liquefaciant, vt eius adhærentẽ partem conuellant. Carchedonij (vt in

in omni Gemmarum genere) Maſculi acriùs, fœminæ lãguidiùs fulgẽt. Scalpturæ contumaces eſſe Carchedonios inuenio. Cæterùm facultates eis tribuunt non obſcuras contra Cacodæmonas; & atræ bilis ſymptomata, hoc eſt triſtitiam timoremq́. Neque deſunt qui victoriã ei promittere audeant qui illum ſecum geſtauerit. Fertur & feſtucas calfactus trahere. Præcipuæ autẽ dignitatis ſunt mares qui ſtellas intus ardenteis oſtentant, vel cœleſti hoc ſchemate diuinas ferè eius vires atteſtante.

Mas & fœmina.

Carchedonij vires.

De Smaragdo. Cap. IIII.

VIridium Gemmarum iucundiſſima primáque habita Smaragdus. Nullus nãq; colos oculis æquè placuit, quòd horum acies virore maximè demulceatur, vt & eapropter viridaria viſus & animi recreandorum gratia petantur. Ideoq; fit vt nullis lumina noſtra lapillis quàm Smaragdis

Digitized by Google

plus oblectamenti conſequantur. Nihil quippe cum herbis de viriditate meliori ratione certauerit, quum etiã quarundam virorem non rarò Smaragdus ſuperet. Porrò optima apud Scythas in altiſsimis montibus ac in metallis aureis naſcitur, vnde non ſine magno diſcrimine ac negocio ſolet adipiſci: Gryphis alitibus ferociſſimis in ijs auro nidificantibus, & illas tutantibus ab Arimaſpis vnico in fronte media oculo inſignitis, viris armatis eò auri & Smaragdorum cupiditate nimia conſuetis accedere. Cæterùm quantũ reliquas virentes Gemmas Smaragdi ſuperant, Scythicæ cũ ſubſtantiæ puritate tum viriditatis illecebra reliquas ſui generis ſpecies antecellunt. Secundam verò ſibi dignitatem Bactrianæ vendicãt. Ab his autem Aegyptiæ. Quanquã & in Britannia maiore (quam nunc Angliam vocant) reperiri non ignobiles, autor eſt Albertus Magnus. Poſt generoſiſsimas

Smaragdi geneſis.

Arimaſpi.

mas itaq;, quæq;, pro ſui puritate & vi roris conſtāti pertinacia, ſuperior aut inferior æſtimanda fuerit. Porrò præclariſsima Smaragdus virenti iucunditate amœniſsima prata proximè repræſentat, ſolaq; præ omnibus alijs intuitum vbertim explet, & multo labore hebetatam oculorum aciem reficit: vt vel hinc apud ſcalptores maximam inierit gratiam. Quinetiam è lóginquo ſeſe efferunt Smaragdi quòd vicinum circumfuſúm ve aërem ſuo inficiant tinctu. Tametſi verò duodecim eius enumerantur omnia faſtigia, principis tamen & abſolutiſsimæ deſcriptionem hîc adnotaſſe ſat nobis fuerit. ea ſiquidem cognita, reliquas pro ſuis meritis metiri ac æſtimare haud difficile fuerit. Selectiſsima itaque Smaragdus ea eſt quæ viridiſsima, luciidiſsima ac puriſsima exiſtens, ſuo quidem virore oculos conſtanter explet, ſatiát ve: ita vicinum aërem proprio

Optime probatio.

tinctu inficiens, vt neq; ſoli neq; vmbris ſeu lucernis cedat: quin potiùs perpetuo contumaciq; virenti fulgore ſemper irradiat, ſui ſemper præbet conſpectum, ſubſtantia pertinaci ac duriſsima. Porrò Smaragdorum quæ planæ ac læues ſunt, ſpeculi ſpeciem referunt, & imagines rerum admotarum ſupinæ repræſentant. Ideoq; in ſcriptis eſt, Neronem gladiatorũ certamina Smaragdo conſpexiſſe. Vires huic adſcribunt præſtantiſsimas aduerſus venena omnia: vt & hinc octo granorum hordei pondere in polline deuorata, venenatos à morte vindicare potens iampridem explorata ſit. Affirmãt etiam ſerpentis oculos diffluere, ſi optimam Smaragdum diutius intueãtur. Comitiali præterea morbo vel à collo pendulam vel annulo geſtatam, ceu amuletum generoſum prodeſſe, Hemitritæumq; ſanare, confirmant. Iam verò apud omnes conuenit lapidem hunc rerum Venerearum impa-

Smaragdi vires.

impatientem eſſe. Vt etiam Albertus ille Magnus adſeuerare non dubitârit, regi Hungariæ cum vxore rem habenti, Smaragdum quam annulo portabat, in tres diuulſum fuiſſe parteis. Proinde palàm eſſe creditum comperio, ad caſtitatem non mediocrē hūc lapillum habere proprietatem. Addunt deniq; & ipſum memoriam fouere, viſum recreare, opes augere. Mitto quæ de lapillo hoc ſuperſtitioſorū magorū nugaciſsima impoſtura mentitur. Porrò qui non vſqueadeò virent, vino & oleo abluti (autore Plinio) emendantur.

De Sardonyche. Cap. V.

SArdonychas olim Romanis in magno fuiſſe precio autor eſt Demoſtratus. Porrò numeroſa ſpecie viſuntur: quarum India parens eſt, celeberrimæ habentur. Poſt has Arabicis laudem detulerunt, circuli præclaro candore, nec tamen nimis gracili, ve-

Digitized by Google

rùm in vmbonibus nitido. Optimæ autem iudicantur quæ colore conſtant veluti carnibus humanis vngue interfuſo (qualē audio vulgus incarnatum vocare) vtroque nihilo ſecius colore vtcunq; pellucido atq; langui do, ceu ſcilicet quis rubricam viſum tranſmittere intelligat affuſo etiamnum colore vtcunq; glauco. Itaq; Indicæ præſtant. Colorum quoq; varietaté ſuam oſtentāt dignitatem, vt vix in alia Gemma depingenda naturę di uina ſagacitas magis reluceat. Ex his nanq; generoſiores, radice tanquam à baſi quadam nigricante (quam quis non iniuria, è nigro ad cœruleum deſciſcere crediderit) Onychas primū quadantenus repræſentant: hinc imitante Sardium ſubrubente zona præcinguntur; à qua deinde linea alba in gyri modum ambiuntur: Tandem verò lata atq; diuerſa intercapedine in ampliorem, nec minùs artificioſum ac candidum circulum meant. Poſtre

Optimæ delimatio.

ma

ma omnib. ijs zonis, veluti baſis quædam altera ſubſternitur: quæ vt Arabibus nigerrima eſt, ita Indis cerea vel cornea conſpicitur: quaſi videlicet in cādido pingui vnguis humanus trāſfundi, accedente etiam ſubobſcura quadā nubecula, exiſtimetur. Ideoq́; nemini mirum eſſe debeat, ſi quis Sardonychas ex Sardij, Sardę & Onychis coitu fieri ſuſpicetur, quum Sardonychas palàm ſit trium illarum Gemmarū referre colores ac ſubſtantias. Pręferuntur quibus candidæ vel purpureæ zonæ ſeſe ex ordine, citra alterius rei intermixtionem, recipiunt, & albicantes circuli, immixta leui purpura, cœleſtis arcus anhelationem quandā referunt. Melleæ verò & feculentæ reijciuntur, cum ijs etiam quibus circulus aliquis ſeſe quidem diffundit, non autem recipit. Aduerſus venerea pollere, & animi faſtum, † Onycharum item nocuos effectus arcere creditur.

Probatio. Potentiæ. †Onychū.

De Sardio. Caput VI.

SArdium à Plinio Sardã vocari inuenio. tametſi non deſint viri non incelebres qui ab hac Sardium multũ diſcriminari iudicẽt, quòd videlicet hic ruber, illa verò alba viſitur. Forſitan vocum vicinitas Plinio impoſuit. fuit autem Sardius apud antiquos nõ infimi nominis: nũc autem nullus aut minimus eius vſus. Porrò colore conſpicitur rubro, verùm ſubobſcuro, vt ſi quis imaginetur terram rubricam pellucere quidem, ſed ſubobſcura offundi nubecula. Adeoq́ is ſui generis optimus cẽſetur, & quò latius ab hac perfectione reliqui abibunt, hoc minus nobiles iudicabuntur. Timorem pellere, audaciam præſtare, à veneficijs maleficijsq́ geſtantem adſerere, ſanguinem è naribus fluentem compeſcere, animo lætitiã, ingenio quoque acumẽ inuitare, perhibetur. † Onycharum prætereà retundere iniurias creditur: vt vel hinc Sardonychas inno-

Sardij delineatio.

Probatio.

Virtutes.

† Onychũ.

innocuas eſſe confirment, quòd Sardium complectuntur. Sardij item mares acriùs fulgent, ideóq; præſtantiores habentur, quod & alijs ferè Gemmis commune eſt.

De Chryſolitho. Cap. VII.

CHryſolithos multiplici diſcrimine partiũtur, quarum ignobiliores Arabicæ dicuntur, quòd vario colore ac turbulento cõſpectu ſunt. Reperio etiam & Chryſolithos in Germania naſci, in iugis ſcilicet Myſinacis & locis conterminis, ſplendore tamen ad candidum languido, quàm aliȩ magis fragiles. Selectiſsimarum India nutrix, quæ quadantenus cœruleæ ſunt, marinæ aquæ virorẽ ita præ ſe ferentes, vt aurũ in collatione quadam veluti argenti facie cogant albicare. Porrò partibus reſpirationis, adeóq; aſthmaticis Chryſolithum cõferre tradunt. Aduerſus puſillanimitatem, & contra melancholicos metus

Chryſolithi ſpecies & geneſis.

Optimæ deſcriptio.

Facultates.

ſtultitiamq́ pro amuleto defert. Dæmonas prauos pellere, ſapientiam, animi quoq; conſtantiam promouere creditur. Nocturnis item pauoribus, & moleſtis interſomnijs aduerſari crebrò ſum expertus. Addit & Thetel Iudæus philoſophus Chryſolithos reperiri inſignitas fœmina, vna manu auẽ, altera verò piſcem continente: mercatoribus vtiles quòd ſtultitiam pellãt, inuitent autem ſolertiam, qua illi ſuis negocijs bene abſoluendis maximè egent. Quanquam & id ſuam abundè redoleat vanitatem.

De Beryllo. Cap. VIII.

Beryllorum India parens eſt, ita vt rarò alibi oriantur. Eſt autẽ Beryllus vna ex virentibus lucidisq́ Gemmis. Probatiſsimæ ſunt quæ limpidi maris virorem proximè referunt. Ab his Chryſoberylli paulò lãguidiores, fulgore in aurum vergente, laudãtur. Sculpuntur ſingulæ forma ſexangula, quò

Berylli probatio.

la, quò

la, quò color alioqui hebes & langui dus angulorum excitetur repercuſſu: vix nanque aliter politæ fulgent. Porro quamuis decem eius faciant genera, ſat tamen nobis eſſe putamus principem indicaſſe, vel hoc præſertim nomine quòd hac cognita, facilè cuiuis fuerit reliquas ſpecies ad iam indigetatæ Berylli faciem metiri. Oculis hu mentibus, ructibus, ſuſpirijs, iocineris quoque malis, illius ex aqua dilutũ (infuſionem noſtri Seplaſiarij vocãt) non mediocriter auxiliatur. Inuenio & hanc Gemmam aduerſus hoſtium iniurias, & contra ſegnitiem pollere, ingenio prodeſſe & coniugatos inuicem conciliare. Vires.

De Topazio. Cap. IX.

QVæ de Topazij inuentione varia adferuntur, tanquam à noſtro inſtituto aliena (quod & in ſingulis ferè capitibus obſeruare adnitimur) omittimus. Porrò Topazium Gemmarum ampliſsimam tradit Pli-

nius, vt etiam Arſinoæ Philadelphi vxori ſtatuam præbuerit quatuor cubitorum in delubro aureo ſacrã. Duplex eius differentia eſt, priorem Praſoiden, id eſt porraceam, alteram autem Chryſopteron: rectius autẽ Chryſopterin (hoc eſt ad filicis herbæ virorem inclinantem) nuncupant. Neque enim è voce Græca πτερὸν Latinis alam ſignificante aut pennam, verùm à voce πτερὶς filicem herbam indicante, Chryſopterin deriuari putauerim: eſt nanque filicis viror quàm porri dilutior. Vt ſit Chryſopteros, vel ſi mauis Chryſopteris Topazius aureo colore, transfuſa inſuper blanda quadam viriditate ad glaucũ accedente. Qualem Topazium mihi æſtate ſuperiore cõmonſtratam fuiſſe reminiſcor, ſubſtantia quidem non mediocriter tenui, multum autem pellucida, colore tamẽ ex flauo in pallidum languido, immixto etiamnum aqueo quodam virore, adeoque filicis foliorum viriditatem

Duplex Topazij genus.

tatem

tatem repræſentante. Solæ autem hæ præcellentium Gemmarũ limam admittunt vſuq́; atteruntur. Topazij laus non vulgaris profectò: quandoquidem vires ei aduerſus ſanguinis eruptiones tribuuntur; ideoq́; vulneri admota ſanguinem è veſtigio compeſcere: iracundiam præterea ac venerea cohibere creditur. Nec deſunt q facto periculo audeant affirmare, q manus Topaziũ habens, ab aqua bulliente citra iacturam eripi poſsit: vt quæ aquæ feruorem vſqueadeò temperet vt ab ea omnẽ bullam mox pellat & calorem nocuum. Mirum verò quòd vires pro Lunæ augmento aut decremento euariet: vt & hinc lunaticos iuuare perhibeatur. Sunt qui hũc lapillum ſtultitiam pellere, delirium auertere, & à momentanea morte ferentem vendicare, & phrenitidi obnoxijs amuletum eſſe prodant. Facultates

De Chryſopraſo. Cap. X.

CHryſopraſum & Chryſopraſium Plinius ſcribere videtur. nam libro 37. cap. 8. Topazij genera diſcriminatim narraturus in hunc modum ſcribit: Duo eius genera faciunt Praſoidē atq; Chryſopteron ſimilē Chryſopraſio. Nec ita multo pòſt ſubdit: Vilioris turbæ eſt Praſius, cuius alterum genus ſanguineis punctis obhorret. Tertium virgulis tribus diſtinctū, eſt candidum. Præfertur his Chryſopraſius porri ſuccum & ipſa referente, ſed hæc paululum declinans à Topazio in aurum. Eiuſdē verò libri capite 5. Beryllorum diſcrimina deſcripturus: Vicinum (inſit) genus huic eſt pallidius, & à quibuſdam proprij generis exiſtimatur, vocaturq; Chryſopraſus. Item & eius libri cap. II. Colos (inquit) appellauit Chryſolithum aureus, Chryſopraſum herbaceus. Puto tamē vel ſcriptorum vel typographorum oſcitātia Chryſopraſio, ꝓ Chryſopra-

Digitized by Google

ſopraſo, & praſius pro praſus ſubſtitutũ eſſe, vel hac ratione quòd vtranque aſſerit porri ſuccum referre, cui Chryſopraſi & praſi voces longè melius reſpondent: ſicuti & ibidem his pro is, & Chryſopterin pro Chryſopteron reponendum cenſeo, vt ſcilicet in hũc modum Pliniana lectio caſtigetur. Et duo eius genera faciunt Praſoidem atq; Chryſopterin ſimilẽ Chryſopraſo, & demum vilioris turbæ eſt praſus (niſi tamen praſius vocẽ adiectiuũ quoddam eſſe cenſeas) cuius alterum genus ſanguineis punctis obhorret. Tertium virgulis tribus diſtinctum eſt candidum. Præfertur his Chryſopraſus porri ſuccum & ipſa referente. Palàm enim eſt Plinium eò loci Chryſopraſum tribus Praſi generibus conferre, eundemq; præſtantiorem haberi velle. Sed hæc miſſa.

Emẽdatur Pliniana lectio li. 37 cap. 8.

Chryſopraſus itaq; lapis porri viriditate ad aurum inclinante conſpicitur: ideoq; herbaceum colorẽ imi-

Deſcript

tat. Optimus itaq; eſt qui aureis guttis conſpergitur. Mirum quòd lumini tam importunum ſcribũt quidam, vt genuinum decorem per ſolas tenebras oſtentet. Vires ei tribuunt contra ſacram auri ſitim: Cordis vires reficere, & oculorum imbecillitatem finire creditur.

Virtutes.

De Amethyſto. Cap. XI.

PRæcipua inter violaceas Gemmas Amethyſto laus & autoritas: eius autem plura enumerantur faſtigia. Porrò Indicæ ſupremam ſibi vendicarunt maieſtatem: Poſt has verò Arabicæ, Armeniacæ, Aegyptiæ & q̃ in Galatia reperiuntur. Infimæ omniũ quæ in Thaſo aut Cypro gignuntur. Singulæ tamẽ violas vtcunq; referũt, fulgent quoq;, ſcalpturæ vt ſi quæ aliæ faciles. Abſolutiſsimam purpurã Indicæ repræſentant: inter quas eæ q̃dem præcellunt quæ veluti ex carbũculo irradiãtis in murice roſei cuiuſdam nitoris iucũdam anhelationem effun-

Delineatio

Probatio.

Digitized by Google

dunt. Quarum, quæ blando quodam aſpectu tanquam ignitam eiaculátur ſcintillam generoſiſsimæ atq; efficaciſsimæ putantur. Neq; etiam hîc adnotare pigebit quòd accedunt quidẽ Amethyſti omnes ad vini puborẽ, verùm eo non adepto in violaceum finiuntur, vt purpuræ videlicet fulgor vſqueadeò igneus non ſit: ſed in vini colorem euariet. Quanquam inueniã & Amethyſtos quoſdam ad Hyacinthos deficere, alios verò ad vinũ magis: nullæ tamen vinoſi coloris expertes omnino laudantur. Quæ verò ad cryſtallum ceu ſubalbida quadam ac leui purpura deſciſcunt, cunctis ignobiliores habentur. Veneris gemmam, coloris luxus & illecebra vocari fecit. Ariſtoteles autor eſt amethyſtum vmbilico admotum vini vaporẽ primum ad ſe trahere, deinde eum diſcutere: proindeq; à crapula & ebrietate ferentem vindicare. homini præterea contra topica amuletum eſſe compe Potentiæ.

rio. Addunt & alij malas illum arcere cogitationes, & præcox fœlixq; ingeniũ efficere. Ad hæc vigilanté & principibus gratum reddere eum à quo portetur. Sunt qui grandinem auertere & omnia proſpera inuitare illũ tradant. Mitto hîc quæ de hoc lapillo ſuperſtitioſi impoſtores credulis nimiũ auribus inſuſurrant; tanquam videlicet Chriſtiano inſtituto indigna; qualia ferè ſunt etiam quædam ex ijs, quę partim paulo antè, partim etiam & in alijs huius libri capitibus, è certis tamen autoribus, retudimus, cuius te vel ideo monitum cupimus, ne qua egregio illi cenſori, aut alij ſimilis farraginis homini calumniandi anſa relicta videatur: quæ ea venia à nobis ꝓdi poſſe iudicauimus, qua ab alijs ꝓdita fuiſſe vidimus, quanquam ea omnino prætergreſsi ſimus quæ præſtigioſam illam Magiam plus redolere cernebantur, quàm Chriſtianam eruditionem deceret admittere.

De

Digitized by Google

De Hyacintho. Cap. XII.

HYacinthus à ſui nominis flore nomen habet: eius nanq; colorē quàm proximè repræſentat. Eſt itaq; Hyacinthus colore quidem fuluo, ab Amethyſto (Plinio teſte) differens q; quæ in hoc emicat viola, in illo dilutior cōſpicitur, vt quis ſcilicet ab Amethyſto ad aurum immixta etiam leui quadam ſed ſubobſcura purpura, deſciſcere dixerit Hyacinthum. Triplicem eius inuenio differentiam. eſt enim qui ad rubrum plus inclinat, ignią; purpuraſcit magis, cui nonnulli primam adiudicarūt autoritatem. Eſt & alius, è fuluo croceū repræſentans, quiq; igne obſcurior redditur. Tertium è fuluo ad cœruleum nō ingratam præ ſe fert anhelationem, inde ſapphirini nomē habet, cui alij ſupremam maieſtatem adiudicant, vel hoc nomine quòd Hyacinthi, Sapphiriq; naturas complecti, ex vtriuſq; tinctura videatur. Hic præ omnibus alijs aë-

Delineatio

Genera.

Digitized by Google

ra ſentire perhibetur, ſereno ſcilicet cœlo ceu gratulabundus, impenſiùs ſuperbiens, nubilo autem aut omnino obſcuro iniucundior, humiliorq́ adparens. Probantur qui nec obſcuriores nec clariores ſunt, quíque igni admoti vtcunq; purpuraſcunt. Mirũ quod temporũ conſtitutionibus q̃q; affici videantur, vt cœlo placido pelluceant: ingrato verò, tanquam eius iniurias ægrè ferẽtes, triſti aſpectu cõpareant, vt vel hinc cœleſtis illum eſſe naturæ, nõ ab re quis aſſeueret. Probatiſsimus quiſque frigidiſsimus ore ſentitur, & ſcalpturæ contumax vix tandem cedit. Porrò quod ad facultates ſpectat, pertinaci frigiditate corpora denſare atq; reficere, ſomnũ cõciliare, virtutes (cordis præſertim) tueri, à populatim ſæuiẽte peſte, cùm manifeſta ſua qualitate, tum recondita quadam proprietate, geſtantem adſerere, creditur. Ideoq́ pro amuleto collo ſuſpenditur è regione cordis, vt cutem

Probatio.

Proprietas

tem contingat. Nec deſunt qui Hyacinthum confirment diuitias augere, & animi alacritatem efficere; prætereà & à fulguribus portantem defendere.

De Margaritis. Cap. XIII.

OMnib⁹ certè notiores ſunt Margaritæ, quàm vt earum delineatione opus eſſe ſuſpicer. Porrò quòd ad earũ originem attinet, varia eſt autorum ſententia, cuius tamen diuerſitatem diſsimili earum geneſi acceptã tulerim, non autem illorum aut ignauiæ aut oſcitãtiæ. nec enim video cur cuiquam mirum videri debeat, ſi pro diuerſa cœli conſtitutione illarum generatio variet. Quid nanq; prohibet aliter naſci eas quæ ab Erythræo mari, quæ'ue à Taprobane & Toidis, vel etiam ab Arabię petuntur littoribus? ſecus autem quæ à Paria viciniſq; Auſtrinis vel etiam occiduis Septentrionalibusq; Oceanis ab edoctis vrina-

Geneſis Margaritarum.

rijs ſolertiſsima petuntur arte. Proinde Plinium rerũ naturalium peritiſsimum nullius inſcitiæ aut negligentię inſimulandum cenſeo, quòd de Margaritarum natalitijs aliter ſcripſerit quàm Auſtrinarum, Occiduarumq́; nuper inuentarum regionum luſtratores literis prodidere, quorum monimenta prætereo ne prolixior fiam. Sat nanq; nobis in præſentiarum fuerit apud omnes conuenire, Conchas pro ſua ætate ac magnitudine maiores, pro roris verò (appetente genitali tempore) concepti puritate vel obſcuritate generoſiores vel ignobiliores eniti. Qua ratione vberiorem has cum cœlica natura, quàm cum æquorea conſenſum & cognationem obtinuiſſe manifeſtum puto. Flaueſcere deinde has vel igne, vel omnino ſenecta, atq; etiam craſſeſcere, læuoremq́; ſenſim deponere omnibus in confeſſo eſt. Inuenio præterea & concham præuiſa manu apprehenſura, ſeſe continuò

tinuò comprimere, vtpote ſuas operi
turam diuitias, gnaram ſcilicet quòd
harũ cauſſa impetatur, inimicã quoq;
manum ſi fortè comprehenderit, am
putare: iuſtiſsima (vel Plinio autore)
tãtæ temeritatis, luxus & auaritiæ pœ
na. Eſt & præterea apud Vogeſum in
Lotharingia montem amnis Margari
tarum ferax: verùm non vſqueadeò
ſplendidæ ſunt. Mirum tamen quòd
quæ per geneſim gratia in eis deſyde-
ratur, per columbas reſarcitur: quæ
ſcilicet deuoratas puriores tandẽ eas
cum fecibus reddunt reſtituũtq́;. Prę
feruntur quæ candidiſsimæ, lucidiſsi
mæ, rotundiſsimæ, leuiſsimæ & mini
mi ponderis ſunt, maximè autẽ ſi na-
tura perforatæ ſint. Porrò præcipua
margaritis laus eſt, quòd ſiccitate in-
nata corporis redundãtias abſumũt:
vt vel hinc vires, ſpiritus, cor & princi
pes corporis partes recreent. Ideoq́;
contra cardiacos & melancholicos
affectus plurimùm celebrantur, ma-

gnoq́ꝫ vſu cõmendantur. Adde quòd à vulgaribus peſtiferiſq́ꝫ morbis defendunt, & diarrhœis magnoperè cõferunt, hac tamẽ ratione, vt vel in polline vel alio quouis modo inſumantur. Oculorum præterea abũdantem humorem finire, ideoq́ꝫ & viſui prodeſſe, oculis ſcilicet quàm tenuiſsimo earum puluere immiſſo, traduntur. Neqꝫ enim ſolo geſtatu quippiam illas poſſe reperio, quàm inexplebili humano luxui arridere.

De Carbunculis. *Cap.* XIIII.

POſteaquam de tredecim illis, quarum ſacra Apocalypſis meminit, Gemmis, ſermoni coronidem impoſuimus, pro noſtri abſolutione inſtituti, de alijs qui nunc paſsim in vſu ſunt lapillis operæprecium fuerit diſſerere, à precioſiſsimiſq́ꝫ Carbunculis ordiri. Carbunculos itaqꝫ (ab igniti carbonis colore ita vocatos) inter ardentes igneaſq́ꝫ Gemmas ſupremá ſibi

Carbunculorum deſcriptiones & genera.

ſibi vendicaſſe maieſtatem, apud omnes conuenit. Porrò in numeroſas diuaricantur ſpecies: ſunt nanque qui Garamantici, Indici, Aethiopici, Alabandici nominantur, ſinguli ſcilicet à ſuæ generationis loco. Perſuaſum autem habeo præſenti huic noſtro argumento abundè facturũ me ſatis, ſi Carbunculorum quatuor genera explicauero. Itaque veriſsimo generoſiſsimoque, imò & imperatoribus digniſsimo ꝓpriè vocato Carbunculo, Balagium, Rubinum, ac Granatũ Gemmas vulgatiſsimas annumerabimus: hæ ſiquidem inter ardentes ignem à certiſsimo Carbunculo propiùs repræſentant. Porrò ſelectiſsimorum carbunculorum multiplicem inuenio differentiam. Quidam enim colore vehementer igneo in modũ ardentis prunæ tranſlucent, ita tamẽ vt extremus earum igniculus in Amethyſti violã deſinere videatur: ſed & per tenebras lumen diffundunt non iniucundum:

ſunt & alij qui pinnato fulgore pellu-
cent. Alij alba præcincti venula, qui
coloris præſtantia atq; illecebra nul-
lis alijs cedant, quibus etiam familia-
re eſſe perhibent inter ignitas prunas
ceu mortuos languidosq; compare-
re: ſupereffuſa autem aqua, carboni-
bus extinctis, è veſtigio priori gratia
ceu rediuiuo colore gloriabũdos re-
ſplendere: tanto naturæ miraculo, vt
hinc Carbũculi genus hoc præcipuũ
nonnulli reputent. Hunc Carbuncu-
Apyrotus. lum Apyrotum nuncupari compe-
rio, quòd ignem non videatur ſenti-
re. Demum & hunc ſequitur qui ſan-
draſtos quibuſdam, alijs Garamanti-
tes vocatus eſt. Hic ex India vel Ara-
bia, qua meridiem ſpectat, petitus ſu-
periorum ſplendore atq; igneo colo-
re nobilis, aureas inſuper guttas con-
tinet veluti ſtellantes: intro quidem
ſemper, nunquam tamen in facie con
ſpectas, hoc etiam ordine diſſemina-
tas, vt Hyades cum guttarum nume-
ro

ro tum ſerie iudicari valeant. Ideoq́ & hoc Carbunculi genus viri quidã non incelebres cæteros albis (quod aiunt) equis præire confirmãt, quòd præ alijs longè vberiùs cœleſtes complectatur virtutes, ſyderumq́ concepiſſe ſimilitudinem videatur. Qua de re & Chaldæis ſacrum quibuſdam æſtimatum eſt. Gemmarum omniũ cariſsimæ ſunt Carbunculi, vt eadem ſit earum cum reliquis comparatio quę auri ad metalla quæuis analogia. Iucundiores tamen exiſtimantur quæ Amethyſtizontes dicuntur: quarum ſcilicet extremus igniculus in violam definit ac purpuræ quandã effert anhelationem. Porrò in omni carbunculorum genere, mares fœminis excitatiùs fulgẽt, fœminæ autem ceu pinguiores craſsiùs nitent. Quòd autem ad vires attinet, Carbunculi ſingulis quibus Gemmæ omnes aliæ præditæ ſunt virtutibus cõmendantur, vt vel hinc omnium nobiliſsimi ſiat habiti.

Carbunculi vires.

Soli ſiquidem eiaculato igne fulgorẽ verutilo ſolem imitari vel hoc ſchemate palàm conſpiciũtur. Vt & hinc præ cæteris Phœbo dicari creditum ſit, quem cunctis ſyderibus tanquam regem præeſſe adſtruunt philoſophi. Ideoq́; & ſolum hunc lapillum ſuam in reliquos poſſe figuram imprimere, quum tamen alius nullus in illum idẽ præſtando ſit, Ariſtoteles autor eſt.

Balagij delineatio. Cæterùm Carbunculis proximam ſibi gratiam dignitatẽq́; Balagius coloris iucunditate & illecebra fecit: Lapis quidem colore rubro & prælucido, ſed qui ſuperaffuſo ſublanguido quodam fulgore crameſinum vulgò dictum colorem quadantenus referat.

Rubini deſcriptio. Sequitur deinde Rubinus lapis ita vocatus, laudatus maximè ſi per tenebras in ſpeciem blandæ cuiuſdam ſcintillę micare videatur & ſimpliciſſima conſiſtat ſubſtantia. Illis deniq́;

Granati delineatio Granati ſuccedunt longè obſcuriore ac minus grato colore, tanquã videli-

delicet opaca quadam vmbra vel nù-becula Rubinum offundi iudices. Lapis certè non rarus, proinde & hoc æui in minimo precio habitus. Porrò harum Gemmarum vt quæque magis minúsve ad verum carbunculum accedit, ita commendatior aut ignobilior & clarioribus aut obſcurioribus proprietatibus donata cenſetur. Balagio itaq; ſimiles ac Carbunculo facultates, ſed imbecilliores tribuũt. Rubinum aduerſus peſtilentem aërẽ pro inſigni amuleto portãt & contra terrentia ſomnia. Granatum prætereà melancholiæ aduerſari & cor reficere credunt. Adulterantur autem omnes vitro rubore infecto: ſed & elanguidos folijs bracteiſq; quibuſdã rubicundiſsimis ſubſtratis excitatiores reddunt, vt non ſit facile à ſpurijs veras ſecernere. Scalpturæ † certiſsimæ contumaces ſunt. Adulteræ cote deprehenduntur, quòd fragiliore ac molliore ſint compareantq; materia.

Probatio.

Balagij vires.

Rubini v

Granati vis.

†veriſsi

ſed & centroſa ſcobe dinoſcunt, nō nunquam etiam puſtulis argenteis intus nitentibus.

De Adamante. Cap. XV.

MAximam in rebus humanis ſibi gloriam aſciuit Adamas, multo quidem æuo ſolis regibus & ijs paucis agnitus. Nunc autem tam creber vt omnibus penè in delicijs ſit & luxu. Eſt autē generoſiſsimus Adamas colore ferro candenti haud abſimilis. Fatiſcit hircino ſanguine, maximè ſi aliquot ante dies hircus petroſelino, ſilere montano & vino ſit educatus: plumbo item diſſolui reperio.

Adamātis deſcriptio & genera.

Porrò in ſex Adamantem partiuntur genera. Indicus non in auro naſcitur, ſed quadā cum Cryſtallo cognatione, candore placido tranſlucet. Huic proximus eſt Arabicus, minor tantùm, nec alibi quàm in ſynceriſsimo auro generatus. Incudibus & ferreis malleis vterq; deprehenditur; ita nanq;

Probatio.

nanq; ijs vterq; reſiſtit vt indomitus citra omnem iacturam, à ferro & incude ſeſe explicet. Quinimò puſilla tametſi mole, ignibus etiam vaſtiſsimis iniectus medius, pertinax atq; illæſus ita permanet, vt nullam prorſus ignis actionem admiſiſſe (etiam ſi multos dies ibi perſeueret) palàm oſtendat, vnde & indomitam antiquis vocari Gemmam inuenire eſt. Eſt & alius Adamas Cenchros nominatus, milio magnitudine reſpondens. Alius deinde Macedonicus cucumeris ſemen æquans. Hunc ſequitur Cyprius in ſulphureum deſciſcens, qui licet à prioribus fulgoris lãguore deficiat, præcipui tamen in medicina vſus eſt Plinio. Poſtremus verò Siderites ferreo fulget nitore. Hunc ab antiqua petitum minera paſsim dici audio, atq; ideo ab inerti vulgo reliquis præferri. Sic vulgus ignauum ſuo ducitur ſenſu, vt crebrò viliſsima quæq; pro optimis reponat. Hîc nanq; ſide-

Digitized by Google

rites ictibus cedit & malleis, adeò videlicet ab adamãtis natura palàm degenerans, vt vel hinc ſolam apud eos nominis gratiam vſurpaſſe credatur, qui rebus externis contenti ad omnẽ veritatem oſcitare conſueuere. Neq; pigebit etiam ſecundò recenſere, nõ ſine magno naturæ miraculo fieri, vt vis illa Adamantis indomita, qua ſcilicet ſuarum partium integram contra ferri ignisq; iniurias cõnexionem pertinaciter tuetur, ab hirci ſanguine calido quidem & recenti ita afficiat, vt tandem conniueat & atteri patiatur. Indeq; ſepoſito omni ſuperbo, quo antea gloriabatur, faſtu, malleis & incudibus cedat, vt ſeſe in minimas etiam partes frangi, mangonum vſui, permittat, qui ijs poſtea fragmentis nullam duriciem non ſuperant. Porrò maxima Adamantis quantitas auellanæ nucis magnitudinem & formam æquare perhibetur. Generoſiſsimus itaq; & ſelectiſsimus iudicabitur Ada-

Mira Adamantis ad hircini ſanguinis vim diſſenſio.

Probatio.

Adamas, qui iam narrata deſcriptaq́ꝫ inuicta natura prẹditus, cryſtallo paulo obſcurior, ferrum candens nitore refert, cœruleoq́ꝫ quodam interfuſo ſplendore, ita quidem refulget vt flāmeum ſolarémque quendam radium transmittere videatur: quaſi ſcilicet vario tranſlucentiq́ꝫ ſuo fulgore quādam cœleſtis arcus anhelationem repræſentet. Porrò vires Adamanti ferè diuinas tribuunt philoſophi, efficaciores tamen in auro, quanquā quibuſdam placere inueniā ferreā quandam tenuiſsimam bracteam ſubſterni debere. Contra venena & incantamenta amuletum eſſe præſentaneum teſtantur, qui Adamantem præſente toxico madere confirmant. Ideoq́ꝫ peſtiferis cauſis reſiſtere credit: negatq́ꝫ ferentem faſcinari poſſe, adeò ſcilicet cacodæmonibus inuiſus eſſe perhibetur. Inſaniam, metus quoq́ꝫ vanos, ac terrentia interſomnia arcere fert. Gēma recōciliationis prædicatur quòd

Proprietates.

hoſtilem demulceas furorem, & viri cum vxore neceſsitudinē foueat. Ab incubis & ſuccubis eum adſerunt qui adamantem portat. Vanum omnino & præſtigij quandam præ ſe ferēs imaginem eorum nugamētum puto, qui adamantem dicunt vxoris inſciæ ac dormientis capiti ſuppoſitum ſtatim prodere ſit pudica, nécne. Vel hac ratione quòd ipſa à mariti conſortio quaſi fugibunda ſtatim excidat, ſi quidem fideli toro iniuriam impudica fecerit: Adamante ſcilicet marito caſtoq; toro indignam mulierculā hoc ſchemate palàm oſtendente. Huic lapillo natura rerum omnium parens tale cum Magnete diſsidium ingenuit, vt illo præſente omnem vim tractricem à magnete direptam planè conſpicias. Quin magis tractum ab hoc ferrum feroci quadam vi ab admoto Adamante reuelli cernere eſt: Vt & hinc multis viſum eſſe ſuſpicer Adamantem alijs Gemmis iunctum ipſarum

Diſsidium

rum

rum ad ſe virtutem omnem trahere, quòd non crediderim. Cæterùm nũ reconditas illas vereq; admirandas ꝓprietates ad dæmonum impoſturas demandabimus, quòd earum cauſam naturalem nemo (vt puto) adferat exactam, vti cenſori noſtro ac ſimilibus viris parum circumſpectis, nihilq; ſuę ignorantiæ cócedere volentibus forſitan videtur? abſit non ab hoc tantũ vno, ſed & à quouis alio verè docto & piè Chriſtiano. Quinimò eapropter in Dei & Domini noſtri omniũ creatoris propenſiorem admirationẽ feramur, eiusq; magnificentiam ardentiori ſtudio ac neceſsitudine efferamus.

De Achate. Cap. XVI.

MAximam tempus autoritatem ademit Achatæ, non quòd viribus minùs quàm antiquitùs polleat, ſed quòd copioſior ſit: qua enim occaſione ſolet in rebus humanis elationem faſtumq; raritas adferre: eâdẽ

etiam multitudo, & crebrior familiaritas contemptum parere conſueuit. Plinius autor eſt Pyrrhum Epirotarũ regem Achaten habuiſſe, nouem Muſis cum Apolline citharam manu tenente inſignem: nulla arte, ſed ſola naturæ ſolertia ac virtute, ſponte maculis ita diſcurrentibus, vt Muſis quoq; ſingulis ſua redderentur inſignia.

Porrò tam eſt vulgaris Achates vt delineationem eius & genera ſcribere omnino ſuperuacaneũ arbitrer. Probatiſsimæ verò ſunt perſpicuæ, quæque leoninæ pelli ſimiles ſunt, vel etiã nigræ albis interſectæ lineis. Mercurio

Probatio. ſacram Achaten rudis nimiùm antiquitas credidit, eam præſertim quę apud Indos nata eſt, vbi vario colore, guttis etiam phœniceis conſperſa viſitur.

Virtutes. Cæterùm omnem Achatem venenis peſtiferis, araneorum atq; ſcorpionum ictibus, aduerſari, prudentiã ac facundiam præſtare, ab aduerſa fortuna tutari, viſum fouere, cor recreare,

re, ſitim ore cõtentam arcere adſtruunt. Nec deſunt qui tum maximè efficacem ſcribũt, cum ſetis leoninis inuoluta defertur, quod quàm à vanitate quoq; abſit, iudex eſto.

De Alectorio. Cap. XVII.

ALectorius lapis in ventriculo capi reperitur, obſcuri cryſtalli ſimilis & colore & ſubſtãtia, niſi quòd paulo craſsior adparet, non excedés fabæ magnitudinem. Probatur quæ intus velut ſtagnãtem ingeſti cibi micam, modicam nec vſqueadeò obſcuram oſtentat. Sunt quoq; qui audeãt affirmare caponem in quo Alectorius ſit abſolutus, bibere nunquam: ideóque ſtrenuis militibus ex vſu eſſe creditur. Proinde Milonem Crotonienſem eius Gemmæ in ore contentæ præſidio, nullo vnquam certamine ſuperatum prædicant. Porrò Alectorio vires tribuunt non incelebres contra pericula quæuis. Præterea Venerem

Geneſis & delineatio

Probatio.

Virtutes.

ciere, homini conſtãtiam, mulieribus virorum gratiam conciliare, ferenti quoq; facũdiam præſtare, potẽs creditur. Sed & ſitim ac cordis æſtum arcere ore incluſa experimento non raro conſtat.

De Torcoide. *Cap.* XVIII.

TOrcoiden tam in magno precio eſſe ferè apud omnes conſpicuũ eſt, vt multi ſuo tunc demum luxui aliqua ex parte ſatisfactum putent cum præclaram quandam nacti fuerint.

Genera & delineatio

Duo itaque ſunt eius faſtigia, à ſuæ ſcilicet propagationis loco nuncupata. Inferior ſiquidem Hiſpanica: Altera Indica ſeu Orientalis nuncupatur. Vtraq; tamen conſimili, craſſa & minimè perſpicua ſubſtantia. Porrò Hiſpanica colore vtcunq; virente, ſubobſcuro adeoq; ingrato conſpicitur: ideoq; reſpuitur ceu viliſsima. Indica autem ex herbaceo, cyaneo quodam lacteſcente nitore gratiam init nõ vulgarem.

Digitized by Google

garem. Colorem igitur præbet ceu in cœruleum ex viridi, lacteum quiddã perfuſum imagineris: Rarò citra rimã venulámue reperta. Probatiſsima tamen eſt quæ ſimpliciſsima, & perſimili ſubſtantia, puriſsimoq; & citra omnem labem colore ſuam commendat iucunditatem. Mirum quid de diuinis eius virtutibus cauſſantur. Noui mi reuera virum quendam inſulanũ, mihi quidẽ multa neceſsitudine deuinctum, qui dum viueret Torcoiden in delicijs habebat annuloq; aureo perpetuò geſtabat. Is cum fortè, ex ſæua ægritudine in fata concederet eundẽ quoq; retinuerat. Tumq; naturę quodam veluti miraculo contigit, vt Torcois illa, quę ſuperſtite etiamnum ſuo domino cum numeroſis ſui generis myriadibus de pulchritudine ac integra puritate certare potuiſſet, tanquã heri ſui necem lugens, longè tum obſc rior adpareret, adeoq; continuò rimam per medium porraceam effer- Probatio.

ret, vt & hinc tum maximam ſuæ maieſtatis partem depoſuiſſe videretur. Proinde de ea mihi aliquando cõparanda auiditatem abegi. Ego nanque cum ob periucũdas lapilli illecebras, tum ob ingentes vires quibus idem vir, facto periculo, Gemmã eam pollere conſtanter aſſeuerare ſolebat: eã ſi quando liceret, quauis etiam ratione comparare cõſtitueram. Sedenim meus me fefellerit error, nam dum in auctione venui expoſitam, eandem illam litura & vicijs conſperſam contemno, hanc alter ciuis vili coëmptã è veſtigio mihi oſtendit. At cum illam ego priſtina, ceu poſtliminio rediuiua ſynceritate & maieſtate (renouato domino) perſpicio, occœpi mecũ vehementer mirari, inopinatum naturæ ac admiratione dignißimum portentum, deinde & è re nata, meam damnare infelicitatem. Vel hoc euentu coràm edoctus diuina quadam lapillũ illum facultate donatum eſſe. Porrò

oſten-

oſtendendis prodigijs illuſtris pluri- Vires.
mum eſt Torcois, vt & vix credibili
virtute ferentem ab imminenti peri-
culo (tanquam videlicet innato con-
tra aduerſa quæq; quodam amuleto
medicaméto q́;) fortiter vindicare ce-
lebretur. Adde quòd cor & oculos
recreare, & hilaritaté proſperitatéq;
adſciſcere creditur.

De Corallio. Cap. XIX.

Corallium & Lithodendrum ap- Geneſis.
pellari inuenio, quòd arboreus
lapis adpareat. In mari mollius primũ
creſcit, inde verò duratur. Cumq́; ſub
aqua quidem vireat, ſtatim atq; hanc
ſuperârit, rubeſcit. Adſtruunt candi-
das illud intra aquam proferre bac-
cas, quæ extra eam in ſanguineas de-
generent: easq́; & forma & magnitu-
dine ad hęc & colore corna ſatiua re-
præſentare. Mirum quòd tactum lapi
deſcit ſi viuit, proinde reſtibus primũ
reuellunt, aut ferramento acri præci-
dunt: qua de re Curallium Theophra

Digitized by Google

ſtus, à radendo, Græcæ voci alludẽs, illud appellauit. Porrò arboreum eſſe Corallium vel ipſius rami palàm oſtẽderint. Diuerſam præterea à ferro igni to naturam Corallium exhibet: illud nanq; vt aqua, ita & hoc molliore aëre illico duratur. Commendatiſsimum eſt quod rubicundiſsimum, vel albiſsimum, æquabili vſquequaque concremẽto, forma fruticis, ac teren ti facilè cedens. Quod autem in lapidis exactam duriciem coijt, ſcrupuloſum, inane, lacunoſumq; eſt, damnatur. In magna antiquitùs, apud Indos præſertim, fuiſſe autoritate Coralliũ in literis comperio. Hi nanq; pro eo ſuos olim conſueuiſſe Vniones permutare tradũtur. Nunc autem quòd crebrius eſt, in magno adeò non eſt precio. Dæmonas infenſos arcere perhibetur. Vt & hinc ſuſpicandum ſit prudentem vetuſtatem, Corallio p diuerſas formas (non ſine licet faſtu quodam aut illecebra nunc vſurpetur)

Probatio.

Vires.

Digitized by Google

tur)effigiato, & ex ordine infilato, pre
ces Marianas docuiſſe numerare. Ma
gnus illius in medicina vſus perere-
buit. Quandoquidem refrigerat ſic-
catq́ꝫ mediocriter: Ideoq́ꝫ ſanguinis
reiectionibus & eruptionibus pro-
deſt. Album verò corallium à collo
ſuſpenſum vt ſtomachum vel pectus
contingat, è naribus conſuetum fluc
re ſanguinem non raro compeſcuiſ-
ſe vidimus. Cor præterea & ventricu
lum, vel ingeſtum, vel extra, vt adhæ-
reat admotum, roborat. Surculos e-
ius pro amuletis infantulorum collis
appendunt: fulminibus & marinis æ-
ſtibus tempeſtatibusq́ꝫ reſiſtere æſti-
matur. Proinde Ioui Phœboq́ꝫ ſacrũ
putatum eſt. Religioſum præterea ge-
ſtamen eſſe amoliendis periculis cõ-
perio, vt decore ac religione gaudeat.
Ad hæc & contra veſicæ tormina &
calculi mala, in puluerem vſtos ſurcu
los & ex aqua potos auxiliari fertur:
item & lienem abſumi, ſi id medica-

Digitized by Google

mentum ſæpius potetur: Oculis deinde prodeſſe, vlcerum caua explere, cicatrices tenuare, denique & ſurculos ex vino potos vel ex aqua (ſi febris vrgeat) ſomnum conciliare Plinius autor eſt. Nec deſunt qui affirmẽt illius pollinem eroſis dentibus infarctum, ægros dentes radicitùs eruere, demũ & gingiuas firmare. Commentitium omnino puto quòd Coralli puluere fruges euadant vberiores. Quanquã & Coralli puluerem inueniã amaras aquas dulces efficere.

De Corneolo. Cap. XX.

CORneolus Gemma eſt vulgaris minij colore, ſublãguido tamẽ, ceu videlicet in humanam carnẽ perſpicuitas perfuſa ſit. Rheno frequentiſsima eſt. Probatur quæ puriſsima iuxta ac nitidiſsima conſiſtit ſubſtantia, colore carneo translucido. Sanguinem propalàm cohibet, liuentes dentes ſuo polline emendat omnem

Delineatio — Probatio. — Vires.

ab

Digitized by Google

ab eis detergens ſordem. Iracundum animum placare creditur.

De Cyaneo Græcis, Cœruleo Latinis, vulgaribus autem Lazuli vocato lapide. Cap. XXI.

MAgnam profectò autoribus peperit obſcuritatem, legentibus verò perplexionem, cœrulei ſeu cyanei nominis diuerſa ſignificatio: alijs ſcilicet ſub hac voce cœruleam harenam cum cyanea Gemma cōfundentibus: alijs autem ſolam eadem dictione metallicam arenam complectentibus. Plinius nanque naturalis Hiſtoriæ lib. 33. capite vltimo ita infit: Cœruleū " arena eſt, huius tria genera fuere anti- " quitùs: Aegyptium quod maximè ꝓ- " batur: Scythicum, hoc diluitur facilè, " cumque teritur in quatuor colores mu " tatur, candidiorem, nigriorem, craſ- " ſiorem, tenuiorém ve. Præfertur huic " etiamnum Cyprium. Acceſsit his Pu- "

„ teolanũ & Hiſpanienſe, arena ibi cõ-
„ fici cœpta. Dioſcorides item libro 5.
„ cap. 97. ſic habet ad verbum: Cœrulei
„ origo ex ærarijs metallis eſt. In Cypro
„ copioſus ex arena litorali, ſecundum
„ quoſdam ſub cauatos ſpecus maris
„ inuenitur, quod & magis probatur.
Galenus verò Simplicium pharmaco rum libro nono, inter metalla Cœruleum reponit. Deinde Paulus Aegineta de cœruleo, Dioſcoridis ſententiã penè ad verbum refert: quam etiam Plinius, eo quo diximus capite, imitatus palàm oſtendit nó de Gemma ſermonem ſe facere, ſed de metallico cœruleo: quod †arroſa quadam ſubſtantia, non tamen lapidea, conſiſtere ad oculũ videre eſt: vt vel hinc in cõfeſſo eſſe debeat, ijs locis autores illos Dioſcoridem, Galenum, Paulumq́ꝫ (dico) nó de Cœruleo lapide Cyaneáue Gẽma diſſeruiſſe, verùm de metallico illo Cœruleo quo ad generoſas imagines pictores vti cõſueuere, Galli azurum

†arroſa

rum vocant. Sedenim Plinius idem il le libro 37. quem Gemmis dicauit ita habet: Reddetur & per ſe Cyanos accõmodato paulo antè Iaſpidis nomine colore cœruleo. Optima Scythica, dein Cypria, poſtremò Aegyptia. Adulteratur maximè tinctura, idq́ in gloria regis Aegypti aſcribit: qui primus eam tinxit. Diuiditur autẽ hęc in mares fœminasq́. Ineſt aliquando & aureus puluis, non qualis in Sapphirinis: Sapphirus enim & aureis punctis collucet, Cœruleæ & Sapphiri raroq́ cum purpura. Optimæ apud Medos, nuſquam tamen pellucidæ. Quibus verbis ſtatim ab ipſo limine videtur Plinius vtrũq; confundere, Cœruleũ ſcilicet metallicũ Gemma cœrulea. Primũ quidẽ vel hoc maximè, ꝙ Scythicæ, Cypriæ & Aegyptiæ rationẽ habuerit, quemadmodũ etiã ſuperiore libro 33. de arenoſo Cyaneo ſingulariter agens Cyanei Aegyptij, Scythici & Cyprij meminit. Hinc reuera non

Digitized by Google

mediocrem hos locos video impoſuiſſe difficultatem viris etiam doctiſsimis, alijs videlicet de vtriſq; confusè Plinium intelligentibus, alijs de ſolo arenoſo cœruleo hos torquentibus ſermones, autorem inſimulantibus damnantibusq́;, tanquam hanc inter Gemmas arenam malè collocarit. Inter quos Hermolaus ille Barbarus, vir alioqui peritiſsimus ac de re medica & Plinio optimè meritus (pace tanti viri, pro veritate tamen, dixerim) neſcio qua iudicij adumbratione perculſus, non veretur Plinium negligentiæ calumniari. Mihi verò (abſit omnis arrogantia) Pliniana lectio rectius conſultiusq́; hoc loco, id eſt libro 37. cap. 9. caſtiganda videtur, & in hunc modum ſuo autori reponenda. Reddetur & per ſe Cyanos nomine, accómodato paulo antè Iaſpidi colore cęruleo. Vt his ſcilicet verbis & Iaſpidis & Cyaneæ Gemmæ ſubſtantias conuenire quidem, ſed colore alterum ab al-

Caſtigatur Pliniana lectio lib. 37. cap. 9.

Digitized by Google

altero diſcriminari declaret oſtẽdátque, vt & quis ex Iaſpide Cyaneum lapillum ementiri poſſe intelligat ſi illi colorem cæruleum addat. Cui & id optimè adſtipulatur quod mox ſubnexuit: Adulteratur (inquit) maximè tinctura. Quòd demum hoc loci Plinius non de cærulea harena diſſerat, manifeſtant hæc eius ſubiecta verba: Ineſt aliquando & aureus puluis, cum ijs quæ ſequuntur quæq́ʒ ſuprà retulimus. Nam & ea non arroſæ illi harenæ, ſed Cyaneæ (vulgato nomine Lazuli vocatæ) Gemmæ ita adamuſsim conſentanea eſſe cõſtat, vt nemini dubium (meo tamẽ iudicio) eſſe debeat Plinium hoc loci de ſola Cyanea gemma agere: neque etiam facilè credendum fuerit tam celebrem autorem, ac rerum naturalium tam indefeſſum acrem ac peritum indagatorem ſcriptoremq́ʒ, vulgatiſsimã hanc gẽmam latuiſſe. Neque etiam vel leuiter ſuſpicandum puto quòd agnitæ nuſquàm

Digitized by Google

meminerit, quum præſertim diligen-
tiſsimum ſeſe naturæ mirabilium per
ſcrutatorem, præconem, promulga-
toremq́; ſemper exhibuerit. Sed neq;
huic noſtræ opinioni refragatur q̃ iá
citatis locis Aegyptij, Scythici, Cy-
prijq́; Cœrulei meminerit. Quid nan-
que impedit vtramq;, cœruleam are-
nam dico ac Gemmam Cyaneam, tri
bus iam indigetatis locis oriri? Sed e-
nim libri 33. cap. vltimo Aegyptiū ma
ximè probari ſcribit, ſecūdo loco Cy
priū, nouiſsimo verò Scythicū repo-
nit: quibus acceſsiſſe adnotauit & Pu
teolanum & Hiſpanienſe. Vbi verò
de Cyanea gēma (quæ ei Cyanos per
ſe vocatur) hoc eſt libri 37. cap. 9. ſcri-
bit, omnibus Scythicam præferri di-
cit. Dein Cypriam cōmendat, nouiſsi
mam autem Aegyptiam æſtimat. Ec-
ce quam hîc vltimam facit, illic pri-
mam effert: Vt & hinc non de iiſdem
Plinium diuerſis his locis ſcribētem
intelligere debeas. Quinimò Sapphi-

rum

Digitized by Google

rum hoc capite cum Cyaneo lapillo poſtea complexus, ita infit: Cœruleæ & Sapphiri rarò (vbi etiam coniunctionem quæ ſemouendam puto) cũ purpura, &c. His ego certè rationibus eò ſum adductus, vt Plinium illis locis non de arena Cyanea aut Gemma tantum, ſed libro trigeſimotertio de arenoſo Cœruleo, libro autem trigeſimoſeptimo de Cyanea Gẽma capiendum exiſtimem. Quis enim (obſecro) tam inerti, aut in Plinium alioqui grauiſsimum autorem tam infenſo ingenio fuerit, vt ea quæ Cyaneæ Gemmę (emendata licet lectione) Plinius propalàm tribuit, arroſæ illi arenæ quadrare inaudiat: quam nemo lapidea ſubſtantia vel puluere aureo gloriari rectè quidem dixerit? Potiùs itaque Lazuli vulgò nuncupatæ Gemmæ conſentire hæc profectò videbuntur: cùm ea ſubſtantia ſit lapidea, Iaſpldi ſcilicet germana, aureúmque puluerem coràm oſtentet.

Qua de re ſubinde vehementer mirari ſubiit, hoc loco Plinij ſenſum tot tamq́ celeberrimos authores Plinianæ lectionis etiam ſtudioſiſsimos hactenus (quod legerim) ita fugiſſe, vt vtrumq́ confuderint, magno humanæ conditionis detrimento: dum nempe apud omnes ferè ſeplaſiarios harena pro Gemma in medicandis corporibus quàm ineptiſsimè vſurpatur. Sed

Eò nempe

hæc quorſum† Nanq́ vt melioris doctrinæ gratia omnem de medio tolleremus implicationem, & aliquam Pliniano ſenſui adferremus reſtituere- múſue lucem.

Deſcriptio

Eſt itaq́ Cyanos, Cæruleáue Gemma lapillus ſubſtantia quidem Iaſpidi haud abſimilis, colore Cæruleo. Probatur aureo puluere cõſperſa. Vnde & ſtella tum lapidem dici inuenio, quòd ſtellis ſimiliter lumini expoſitus aureo puluere ſcintillet.

Probatio.

Præfertur quæ Cæruleum ſui nominis præſtantiſsimum (quem noſtri Azurum vocãt) colorem aſſequitur,

con-

Digitized by Google

conſimili vndequaque ſubſtantia & concremento. Lapis eſt ſculpturæ nó vſqueadeò contumax. Vidi ego ex eo Cantharidem tam affabrè tamq́ graphicè conflatam, vt eminus veram iudicarem: puluere nimirum aureo tam appoſitè, quod in animante fuluum natura fecit, imitante, vt eum lapillũ ad id muneris procreatum quiuis ſanæ mentis non immeritò iudicaſſet.

Porrò quòd ad vires attinet: Aduerſus melancholicos affectus eius pollen toties ablutus, dum eius dilutum peregrinum nullum præ ſe ferat ſaporem, efficaciſsimè ingeri, literis & experientia confirmatur. Melancholicum enim humorem per inferna deponit. non lotus verò, cum infernis ſuperiora, nó citra magnum laborem, commouet. Nec deſunt qui pueris à collo geſtatum nocturnos arcere pauores teſtentur. Oculorum aciẽ reficit atque demulcet. Collo appenſus prægnantes ab aborſu adferere p= Proprietates.

hibetur. Volunt autem appetente partu ſemoueri.

De Chelidonio. Cap. XXII.

CHelidonius vel Chelidonia (vtroque enim genere dicitur) lapillus eſt paruus, perſpicuus minimè: è iuuencularum Hirundinũ ventre exectus. Menſe Auguſto, Luna creſcente, reperiuntur optimi, magnaq́ ex parte bini, aliquando autem ſinguli, in earum ſcilicet ventriculis aut iecuſculis. Dicũtur nanq; (autore Plinio) matres excluſis pullis hũc dare lapillum deuorandum. Inuenio & hîc quoque ſolertiſsimæ naturæ non ſupprimendum miraculum: nempe quòd illarũ pulli per coniuncta roſtra in ſeſe recõditas has gemmas prodant. Dicunt etiam & has debere erui priuſquã primigenius pullus terram contingat. Quanquam ne hoc quidem ſua vanitate carere putem. Hanc bifariam diſcriminari tradit Plinius: aut enim eſt ruffa, aut nigra, vel potiùs ex pullo ni-

Generationis locus.

Naturæ admirandum miraculũ.

Differẽtiæ.

gri-

gricās,hirundinum vel pauonum colore, minimeq́ pellucet, ſed aſpectu ingrata viſitur. ſunt & earum aliquæ, parte quidem vna nigricantes, altera verò purpuraſcentes, nigris intercurrentibus maculis. Probatiſsimas eſſe comperio quæ ſubſtantia puriſsima ac ſimpliciſsima, & aureis guttis inſigniuntur. Porrò ſingulæ tametſi iniucundæ ſint & puſillæ magnis tamē virtutibus præditæ adſtruuntur, vt & de ipſis rectè id occini poſsit: Probatio. Vires.

Regnat in exiguo præcellens corpore virtus.

Ruffam ſiquidē ſub ala ſiniſtra geſtatam lunaticos, hoc eſt, comitiales, inſanos, & languidos ſanare perhibent. Præterea & facundiam, & apud homines gratiam, promouere confirmant. Nigricantem verò ſimiliter portatam teſtantur reges & principes cōciliare, & cœpta negocia pro animi ſententia abſoluere, omniúmque gratiam inuitare. Eius verò ex aqua

Digitized by Google

dilutum, oculorum aciem reficere di
cunt. Neq; ſuperſtitione vacare putē
quòd ruffam in panno lineo mundo,
nigram autem in croceo tantum in-
uolutas ſuis præſtare poteſtatibus nu
gantur, cui & id accedit quòd paren-
tibus præſentibus erutis vires effluāt.

Cōtra Amſtelredamum.

Hîc magna mihi profectò inceſsit
admiratio de viri cuiuſdam de literis
alioqui bene meriti, non leui oſcitan
tia qui in ſcholijs ſuis in Marbodeum
vbi agit de Chelidonia, autorem cita
turus quò Chelidoniam Gemmā ocu
lis oſtendere proficeret, Plinium ad-
duxit libri 8. cap. 27. & libri 25. cap. 8.
& 12. quibus in locis non de Gemma,
ſed de eius nominis herba palàm eſt
Plinium diſſeruiſſe. Siquidem, vt rem
per capita ex ordine recenſeamus, ita
habet dicti iā capitis 27. titulus: Quæ
animantia quas herbas oſtenderint
cerui, lacerti, &c. Demum in conte-
xtu de Chelidonia agēs ita infit: Che-
lidoniam vſui ſaluberrimam hirundi
nes

nes monſtrauere, vexatis pullorũ oculis illa medentes. Deinde libro 25. vbi cõſtat Plinium de herbarum viribus diſceptationem ex profeſſo inſtituiſſe, capite octauo ſic habet: Animalia quoq; inuenere herbas, in primis Chelidoniam: hac enim hirũdines oculis pullorum in nido reſtituunt viſum, vt quidam volunt erutis etiam oculis. Capite deniq; eiuſdem lib. 12. poſteaquam Centaurium vtranque, maiorem ſcilicet & minorem oculos iuuare tradidit, ita ſubnectit: Iam Chelidonia ſupradictis omnibus mirè ꝓdeſt. Ex quibus luce meridiana clarius eſſe cõſtat Plinij locos hos ab Amſtelredamo noſtro citatos non poſſe ad Chelidoniam Gemmam torqueri, verùm de ſimilis nomenclaturæ herba tantum debere intelligi. Quæ ideo annotauimus ne quis eius autoritate falſus, in ſimilem errorem impingat.

De Aetite. *Cap.* XXIII.

AEtitæ quatuor genera refert Plinius, vulgato tamen nomine ſinguli, Aquilæ lapides vocãtur. Vidi ego cinereo colore Aëtiten, alterũ albo, tertium pullo. Sonitu dignoſcuntur ſi quatiantur: tum enim in ſeſe cóceptum lapillum manifeſtè produnt. Lapis eſt cortice duro, ſcabro & minimè leui. Sunt qui aquilam in nido marem & fœminam habere adſtruũt, negantq́ꝫ illam ſine eis oua parere: ideóque ſolis ijs quæ è nidis eius alitis erutæ fuerint vim medicam concedunt. Nihil igne hic lapis deperdere credit. Porrò Aëtites grauidis, quæ ob vteri imbecillitatem fœtũ ægrè continét, brachio ſiniſtro alligatur magno earum vſui, parturientibus autem brachio amoueri debet: fœminibus item alligata citra dolorẽ (notatu dignũ) fœtum dicitur extrahere. Nec deſunt qui hanc velint ſtatim à partu auferri, ne vterus ſequax partum vitiet. Mirũ quòd

Genera.

Probatio.

Delineatio

Virtutes.

Digitized by Google

quòd furem prodere fertur ſi quis in pane conditum offerat: neque enim manſum, vel etiam cum ea decoctum quicquam, furem deuorare poſſe cóſirmant. Tritum & cerato exceptum comitiales ſtrenuè iuuare comperio. Mitto quæ de hoc lapide præſtigioſi illi ac toto cœlo aberrantes magi nugantur: neque enim vxorum furta deprehendere, vel futura præſagire húc citra incantaméta poſſe crediderim. Quò ego quę de furis proditione prę notaui, referrem, ſi non autorum †gra uitas & fides reclamaret.

† Ridicula & non digna fide grauitas.

De Magnete. Cap. XXIIII.

NAtura, vt ſaxis vocẽ homini obloquentem, immò & Echo reſonantem dediſſe videri poteſt: ita & Magneti ſenſum manúſque tribuiſſe quodammodo non ineptè exiſtimetur. Ferri nanque indomita propemodum pugnaciſsimaq́; natura trahéti illi extemplo cedit, vtq́; propius acceſsit ab eo continetur & quodam

Nomina. veluti cóplexu cohæret. Sunt qui ab inuentore, ita vocato in India paſtore, nomenclaturæ illius rationem adferant; quibuſdam autem Siderites, alijs Herculeus nominatē. Hìc tametſi Geneſis. in Ida primùm repertus ſit, paſsim tamen apud Hiſpanos & in alijs quoque locis naſcitur. Qui verò à Troade petitur, qui & albus pumici haud abſimilis comparet, fœmineus eſt, & non vſqueadeò efficacis potentiæ, ideoque reſpuitur. Aethiopicis laus & præcipua commendatio, ijs præſertim qui ad cœruleum magis inclinant, quales maximè in Aethiopia Zimiri regione arenoſa reperiri inuenio. Aethiopici argumentú eſt, quòd Magneté quoque alium trahit. In metallis ferreis oritur. Hunc Germani atque Itali habent, ferrugineo tamen ſeu pullo magis colore: †quod qua parte cœruleum propinquiùs refert, acriùs trahit. Autor eſt tamen Diogenianus, probatiſsimű Magnetem argenti adeò ſimilem eſſe vt

†qui

vt incautos facilè fallat, quem & ad maleficia præſtantiorem eſſe teſtat. Porrò omnibus præfertur qui maximè trahit, & qui vſtus Hæmatiten ferè repræſentat. Quòd autem ad vires attinet; Potus triobolorum pondere ex ſucco fœniculi hydropicis aquam detrahit: ferro item intoxicato vulneratis præſenti remedio ſubuenit, oculorum medicamentis imponitur, præterea & ad epiphoras: aduſta verò crematus tritusq; ſanat. Commentitiū puto quod de Magnete quidam nugantur: Nempe quòd in ſomnis ignorantis fœminæ capiti ſubditus, adulteram lecto deturbat: fidelē verò ꝓbamq; vxorem ad mariti amplexus, etiam dormientem, prolectet. Vanum inſuper nec ère publica eſſe iudico; quòd quidam Magnetem furibus ſuo fumo atq; nidore vſui eſſe narrant: quaſi ſcilicet ad furta lapis natus ſit. Hîc ſubit vehementer mirari, admiratione non vulgari dignam huius

Probatio.

Virtutes.

lapidis tractricem virtutem, qua videlicet ferrum non ſolum quod contingit coram trahere, verumetiam & ſuo †colliſu ſimiles in id transferre vires trahentes, vnde & aliud quodcunque congeneum ferrum conuellere poſsit, vt viderim non raro plures acus hac ratione ſeſe ſuſpendere, tanquã ſcilicet mutuis ſeſe manibus inuicem comprehendiſſent. Quinimò nó deſunt qui facto periculo affirmare audeãt, ferrum à Magnete in libra poſito tractum nihil Magneti ponderis adijcere, ceu nempe ferri grauitas vi lapidis abſorbeatur. Porrò tractricẽ hanc virtutem ab vrſa cœleſti Magnetem mutuatum eſſe coniectant, argumento quòd acus hoc †affecta liberè in ſolaribus horologijs pendens ad Vrſam ſaltem minorem ferè moueat, Magnetis potentijs acum ſequacẽ trahentibus: vrſa verò vtrũq; acum & lapilli in ea virtutem, ceu ſibi affinẽ congeneámve, conuellente atq; allicien-

contactu

†affricta

te,

te, eademq́ vi ſidus hoc appetente. Quod ſi ita eſt, facultas illa Magneti cum ab initio perfuſa eſt, tum perpetuo Vrſæ radijs & influxu vegetatur. Proinde ſi quis eorum quæ de lapilli huius trahente poteſtate diximus, rationem expetat, non inſcitè reſponderi poſsit virtutis eius cauſam eſſe cum lapilli ſpecificam formam, tum eius germanitatem cum ferri natura, & eorum quidem vtriuſq; cóſenſum cum Vrſa illa cœleſti, cui & obnoxior ſit lapillus ipſo ferro. Quibus & id adſtipulari video, quòd ſolum ferrũ Magnetis viribus patere palàm conſpiciatur, easq́ contumaciùs retinere perpendatur: Ad hæc, quòd (autore Plinio) vulnera aſperiora fiũt ferro Magnete cótacto. Porrò huic lapidi contrariã inuenio Theamedẽ Gẽmã, omne à ſe ferrũ reſpuentẽ profligantẽq;. Eſt & Plinio genus aliquod Magnetis, vitri liquorẽ alliciens. Lapillo itẽ illi cum allio diſcordia eſt nó

Theamedes lapis.

Diſcordia.

†tractricē obſcura:is ſiquidem allio illitus† con uultricem omnem facultatē perdere fertur. Diſsidet etiam cum Adamante, qui & iuxta poſitus illum trahere non ſinit, quinimò cõuulſum iam ferrum admotus ilico reuellit. An autem vires hæ occultæ mirificæꝗ Cacodæmonum impoſturis adſcribi debeant: an potiùs inde auidiùs admirãdus atꝗ laudandus Dominus omniũ creator Deus, ac per ea quæ in hoc lapide facta ſunt, ſempiterna eius virtus & diuinitas magis cognoſcenda, & in mirabilibus ſuis operibus benedicenda, tuum eſto iudicium Lector.

De Hæmatite. Cap. XXV.

QVando ſuperiore capite Hęmatitis meminimus, nó ab re quædam & hîc de eo recenſere operæprecium videtur. Duo itaque Hæmatitis genera Plinius facit: Alterũ à Magnete cognominatum, ſanguineo exterius colore, ideoꝗ tritus is ſanguinē re

fert

fert, ferrum tamen Magnetis modo minimè trahit. Hunc pro vero Magnete à non paucis pharmacopolis damnoſo errore venundari vidimus. Alterum autem Hæmatiten dicit idem Plinius venis rubentibus diſcerni, hoc eſt ab optimo deſciuiſſe iudicari: ita enim Plinium intelligo. Hic ſiquidem Dioſcoridi probatiſsimus eſt, nó qui intermiſtas habet venas rubentes, ſed qui puro colore (vt eius verbis vtar) niger eſt, durus, in ſe æqualis, & nulla infectus ſorde nulloq; zonarũ excurſu. Itaq; duæ nobis præcipuæ hæmatitis ſpecies relinquuntur: Altera exterius rubens, interius autem nigricãs, vt Magnetis colorẽ quadantenus imitari videatur: altera verò omni ex parte nigra. Quanquam nec me fugiat alia etiam à Plinio numerari illius faſtigia, verùm duo hæc noſtro inſtituto ſuffecerint. Neq; enim de ſingulis Gẽmis ſed de ſelectiſsimis vulgatiſsimiſque diſſerendum ſuſcepimus. Porrò Probatio.

Digitized by Google

Virtutes. quod ad vires attinet: oculis cruorè ſuffuſis mirè prodeſt, muliebre profluuium ſiſtit, & cum mali punici ſucco ijs qui ſanguinem reijciunt confert. Veſicæ præterea vtilis eſt, & ſerpentium ictibus. Ex lacte oculos à lachrymis vindicat. Imò & ipſos procidentes ingenita vi continet cohibétque. Calfactoriæ & extenuatoriæ eſt facultatis.

De Succino. *Cap. XXVI.*

VAriæ multùm de Succini ortu autorum ſententię ſunt. Prætermiſsis tamen de eius origine & natura opinionibus diuerſis, ſed & de eo ridiculis Poëtarum fabulis, in India atque Germania Plinius tradit naſci defluente †medulla arboris è pinearum genere: quemadmodum è Ceraſo, gũmi, & ex Picea, reſina redditur. Erumpere nanque humoris abundantia, ſuccoſumque primum eſſe, dein verò vel rigore vel tepore autumni denſari atque durari confirmant, & intumeſcentibus

Geneſis.

Plinius lib. 37. ca. 3. †medulla málim lachryma uel reſina.

bus

bus tandem marinis æſtibus rapi, ac in littora nonnunquam tranſportari aduerſa. Indeq́ꝫ ſuccino nomen, quòd pini arboris ſuccus eſſe credatur, argumento quòd attritum pineum refert odorem, accenſumq́ꝫ tedæ modo nidore flagret. At liquidum primo ſtillare indicio quidem ſunt quædam intus tranſlucentia. Porrò ſuccinorũ tria eſſe præcipua genera literis proditum eſt. Primum, quod melleo colore conſpicitur: ſecundũ, quod Phalernum vinum: tertium, quod candidum refert, quod & odore præſtantiſsimum eſt. Præferunt quidam Phalernum, fuluum ſcilicet ac tranſlucẽs conſimili vndequaq; ſubſtantia & cõcremento, ea tamen lege vt nõ nimio ardore flagret, ſed leuem tantũ ignis oſtentet anhelationem, non autem igneum fulgorem adſequatur. Apud multos autem album odoris illecebra commẽdat. Rude quidem primũ & auſterum legitur, tandẽ verò adipe

Genera.

Probatio.

lactentis ſuis incoquitur, deinde expolitur. Porrò quod ad ſuccini virtutes ſpectat, infantibus pro amuleto ligari, lymphationibus ꝓdeſſe, ac lotij difficultatibus, inuenio. Præterea in polline exhibitum albos menſes, ſtomachi fluxiones, ventusq́ profluuia ſiſtere, crebro didicimus experimento. Cor & cerebrum vel odoris præſtantia propalàm recreat. Ex melle teritur ad oculorum finiendas humiditates. Attritum & calfactum feſtucas, quiſquilias & leuiſsima quæq́ allicit & attrahit, præter Ocimi tamē ſurculos, quos autore Plutarcho, reijcit repellitq́, vnà etiam cum ijs quę cunq́ oleo perfuſa fuerint. Sūccinū ſeplaſiariorum officinis charabe barbara Arabum voce dicitur. Hoc genere & Lyngurium vel (vt alijs placet) Lyncurium contineri, coloris, ſubſtātiæ & proprietatum congenea germanitas, multis perſuaſit: forſitan enim fuerit ſecundi generis, hoc eſt, Phalerni

Vires.

Lyngurius

Digitized by Google

lerni ruborem referentis ſpecies quædam ardentior. Fabuloſum omnino eſſe ſuſpicio eſt, quod pleriſq; Gemmarũ perſcrutatoribus videtur, Lyncurium ex Lyncis animalibus vrinâ harenâ mox à deiectu contectâ, Solis deinde ardore concretâ ac duratâ, conſiſtere.

De fictitiarum à veris Gemmis differentia, & dignoſcendi ratione. Cap. XXVII. & vltimum.

NOn mediocrem fidei ac maieſtatis partẽ Gemmis ademit de republica peſsimè meritorum hominũ pertinax auaritia & luxus. Quandoquidem inde factum eſt, vt tam ſubtili dolo ferè omnis generis Gẽmæ adulterentur, vt à fictis veras dignoſcere vix ſit aliquis modus. Sunt quippe qui ex veris, at vilioribus, alterius generis lapillos ementiuntur: vti iam vſus percrebuit multo contumacique

igne Sapphiro Adamãtem fingere, & tanta arte imitari, vt multis hic fucus non rarò imposturam faciat: vocãtq́ albam Sapphirum. Quibus longè perniciosiores ſunt, qui nitro, vitro, ac alijs viliſsimis materijs, adiecto coloris mendacio, optimas ita æmulant̃, vt ſua nequitia naturæ opus, ſagaciſsimamq́ & inuincibilem arté, tantùm non aſſequantur, qui vtinam à republica amandarentur: ſuis nanq; id genus fallacijs tam huic quàm autoribus qui ſolerti ſtudio & diligentia de verarum Gemmarum natura & viribus doctiſsimè diſſeruerunt, ita quidem imponunt, vt dum qui ementitas decepti, pro Germanis emerunt, eáſque ijs non eſſe præditas facultatibus deprehendunt, quibus philoſophi naturales donatas eſſe confirmarunt, & Gemmas & de ipſis definientes autores vel vilitatis vel mendacij atq; temeritatis damnent, vel etiã plerunq; malè audiant qui certiſsimas

ab-

abſolutiſsimasq́; commendant. Vt itaq; impoſtorum vitari queant ſceleſtiſsimi fuci, paucis Gemmarum probandarum rationem perſequi libet, vbi primum te monuerimus & has multo æuo ſeneſcere, proindéque & gratiam & vires ſenſim multis ſeculis deponere. Pellucentes igitur lapilli ſereno ac matutino cœlo: omnino autem in horam quartam probari debent. Re nanq; compertum eſt ijs horis ac aëris conſtitutione penitiùs lõgè introſpici poſſe quicquid vicij habeãt. Porrò & pondere internoſci cõperio, quanq̃ & hîc diuerſas multùm authorum eſſe ſententias animaduertam: nonnullis enim placet generoſas grauiores eſſe: alijs contrà ſentientibus, eas ſcilicet leuiſsimas minimiq́; ponderis eſſe, quod & facto periculo deprehẽdi. nec id citra rationẽ fuerit. vel hoc preſertim nomine quòd fictitias cum ab ignobiliori adeoq́; & minùs efficaci agente, tũ ex longè obſcu

Gemmas tandẽ ſeneſcere.

Hora probãdis Gemmis opportuna.

Pondus.

Generoſæ minoris ponderis.

riori ac magis terreſtri ſubſtantia fieri palàm ſit, quibus etiam Plinius adſtipulatur lib.37.cap.vlt. Experimenta (inquit) pluribus modis conſtant. Primum pondere grauiores ſentiunt. Poſt hæc corpore: ficticijs puſtulæ in profundo apparent, ſcabritia in cute & capillamento, fulgoris inconſtantia, &c. Quibus coràm oſtendere videt, quòd à falſis intelligat veras pondere ſuperari. Cui & id ſuffragatur, ꝙ Margaritas præfert, quę minus graues ſunt. Examinantur deniqꝫ & corpore: Ementitis quippe bullæ in profundo comparent, quas & ſcabra cute & capillamentis, ſtaminum tenuiſsimorũ inſtar intercurſantibus, cóſpicias: fulgore item inconſtante atqꝫ iniucũdo, nitore videlicet priuſquam aciem cóplectatur elanguido. Certiſsimarũ ſiquidem ſplendor colórve non in facie tantùm (vt in adulterinis) ſed & ꝑ omne corpus, quibuſuis etiam forma & ſitu gratiſsimæ iucundiſsimæqꝫ viſun-

Bullæ emẽtitas oſtendunt.

Fulgoris incõſtantia.

ſuntur, ceu ſcilicet ad ſui decoris ſpectaculum blanda quadam oculos alliciant comitate. quò nanque diutius inſpiciuntur, hoc magis delectãt, ac gratiæ non inefficaci illicio obtutus explent. Laudatæ item limam non capiunt: vt vel hoc ſolo veras à falſis diſpeſcere mangonum magna pars norit. Sunt tamen qui Smaragdum & Topazium excipiant. Deinde & ignibus propinquæ non ſpuriæ, illæſæ euadunt: excepto tamen Chryſolectro ignium rapaciſsimo. Ad hæc duriores maximè commendantur, nimirum quòd lapidi propria ſit durities. Quòd autẽ ad optimarum delectum pertinet, æqualibus cauas vel extuberãtes poſtponunt. Oblongas quadratis prætulit antiquitas: verùm nunc anteponũt quadratas, vt quibus anguloſis minima olim fuerit autoritas, nunc verſa vice clarior ſit gratia. Illas ſequuntur quæ lenticulæ formâ, deinde quæ triangulæ. Omniũ verò nouiſsimæ æſti-

Argumentum à lima

Experimẽtũ ab igne

Laudatorũ electio.

Digitized by Google

mantur rotundę, quamuis forſitan omnibus præferri deberent ſi figuræ rationem ſpectes.

Epilogus. Noſtris verò his lucubratiunculis ad vmbilicum tandem perductis, poſtremò te quoq;, beneuole lector, admonere viſum eſt, nil tibi mirum eſſe debere, quòd Gemmas quandoque maſculino, aliquando autem fœminino genere ſcripſerim, nimirum cùm vtroq; genere ac promiſcuè illas collocari apud claſsicos autores crebrò legere ſit. Cuius quidem rei vel vnicus mihi teſtis & autor eſt idoneus Galenus ille Medicorum ab Hippocrate abundè princeps, libro 9. ſimpliciũ pharmacorum.

FINIS.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

HOrum librorum author Rueus, præmiſerat bene longam Purgationem ſiue Apologiam, qua Anonymi cuiuſdam cenſuris in hos libros reſpondet, & in hoc plurimus eſt, Figuris certis lapidum ſeu Gemmarũ certo tẽpore inſculptis, peculiares quaſdam vires cœleſtes influere. Eam nos propter prolixitatem ſimul, & quòd ſynceriori religioni non cõſentanea, ſed Magica potiùs videretur, omiſimus. Excerpſimus tamen pauca quędam, quæ nec ſuperuacanea nec indigna cognitu videbantur, Theologorum præſertim quorundam teſtimonia: quæ hîc ſubiecimus.

Quæ de auro Leonis effigie cõſculpto narraueram, Cenſor meus (in prima æditione) obliterauit: tametſi ego me narratorem præbueram ſolũ ſententiæ quorundam philoſophorũ nõ vulgariũ, de virib⁹ auro leonis effigie

Digitized by Google

ritè inſignito à cœlo transfuſis: eorũ verò opinionem probaueram minimé. Et multis interpoſitis, Bonauenturę verba recitat, ex libro 2. Diſtinct. „ 12. Quæſt. 2. Art. vlt. Dicunt philoſo„ phi, quòd corpus cœleſte mediante „ ſuo lumine influit vſq; ad profundũ „ terræ, vbi mineralia corpora generari „ habent: & quantum ad hoc verum dicunt. Hoc teſtimonio Rueus putat inferri poſſe, ſtellarum radios ſimiliter in metallo lapillosq; varijs figuris conſculpta, cum allatis ſecum poteſtatibus, poſſe transfundi: quas vires diuinitus (inquit) à prima conſtitutione, totam ſpeciem conſequentes, illis inſitas eſſe cœlicis corporibus vultibusq;, idem Bonauētura dicit libro eodem, diſtinctione 14. quæſtione 2. ad finem. Sic Rueus. Sed à cœlo & aſtris vim corporibus inferioribus influere tum rebus alijs omnibus, tum ſubterraneis quoq;, non opus erat eũ multis probare, cum id nemo fortaſſis

ſis neget, veluti naturæ conſentaneũ. In figuras verò certas, ab homine factas, cœleſtem vim aliam atq; aliam, prout figuræ differunt, & alijs atq; alijs temporibus, inq; conuenientem materia ſculptæ ſunt, influere, homines pij & Chriſtiani vix conceſſerint.

Et mox: Singulis ſtellis (inqt Rueus) ſuæ inſunt facultates totam ſpeciem conſequentes: (quas eſſentiales ac ſpecificas nominaueris) per quas proprijs funguntur munijs. Cui & id eiuſdem Bonauẽturæ diſtinct. 4. Art. vlt, quæſt. 2. in hunc modum dicentis adſtipulatur. Ratio verò qua diuerſa imprimunt (ſubaudi luminaria cœlica) non eſt, vt putant aliqui, propter diuerſitatem qualitatum: ſed ex parte diuerſitatis virtutum. Quia enim conditor mundi corpora cœleſtia incorruptilia poſuit ad regulandum & regendum corruptibilia, quæ ſunt diuerſa & multiformia, dedit eis virtutes conſequentes ſuas ſpecies, ſecun-

Digitized by Google

dum quas diuerſa luminaria aſpectũ habent ad diuerſa elementa, & ad diuerſa corpora mineralia: hactenus Bonauentura. Sed hoc etiam conceſſo non ſequitur, ad figuras & res artificioſas quoq; ſtellis ita ſuum eſſe reſpectum, vt ad naturales. Minimè etiã firmum eſt ad hoc quod intendit probandum, argumẽtum à ſpeculo: vnicum (inquit) nec rarum aut incópertum exemplum his annectere conſilij eſt, ſpeculum ſcilicet rotundũ, leue, cauum nitidiſsimumq́; (ſolis orbẽ vel hac ratione referens) quod ob talem figuram & concinnam præparationẽ, arte tamen hominis ſollicitatã Phœbi in ſe radios tam ampliter efficaciterq́; comprehendere palàm eſt, vt non tantum abundè incaleat, verũ ſuam vſqueadeò in propinquum corpus caliditatem transfundat vt id etiã adurere queat.

Et mox: Philoſophorũ illorũ ſentẽtiæ Thomas Aquinas doctor ſanctus

voca-

vocatus, lib. de fato ſuffragari videt, vbi dicit, veſtes, ædificia & quæcunq; artis opera certam à ſyderibus ſuſcipere vim qualitatém ve. Quamuis non eam illis admiſerim efficaciam, quam legere eſt non paucos ſuperſtitioſos impoſtores (magiæ id eſt veræ philoſophiæ nomine indigniſsimos Sophiſtas) eis tribuere. Sed illas ex arte figuratas rem cum eodem Thoma lib. cótra Gentiles non negârim, ijs perfundi poſſe facultatibus, quas euidés eſt cœlum herbis rebusq; alijsq; infundere. At apud nos non tanta eſt Aquinatis authoritas, vt tantum tribuamus imaginibus, vt veluti idololatriá quandã magicã in eis committamus.

Et rurſus: Si nanq; (inquit) vel Aquinate autore, per effigurationé vis quædam cœlica ſimilis ei quæ à cœlo herbis impartitur hauriri poteſt, multas autem herbas calculo tũ præuertendo tũ deturbãdo ac ſanãdo efficaces eſſe apud omnes receptũ eſt medi

cos, adde & longo vſu firmatum exploratumq́, nónne ſequitur aurum leonis figura ritè inſignitũ, arteq́ conflatum, contra calculum remedio eſſe poſſe. Proinde Petrus ille Aponenſis conciliator dictus, adſtruit medicũ morbos figuris pellere poſſe. Denique Albertus ille multa eruditione magni nomen meritus, Theologiæ philoſophiæq́ profeſſor ſpectatiſsiſimus in libro quẽ Speculum vocat, vbi à licitis illicita ſe diſcreturum pollicetur, adfirmat, figurationes ab aſtrorũ peritis conſtructas, cælica virtute efficaces fieri, quinimò figuras, dictiones, literas, imaginibus inſculpi permittit, ad hoc duntaxat, vt æthetea quædam in eis hauriatur: tametſi pro ſuo officio abuſum damnet: magis autem orationes, ſuffitus, carmina & id genus ſuperſtitioſas ac vaniſsimas impoſturas quibus non pauci eorum qui ſe magorum nomine, maxima virorum ſapientium illuſtrium nomi-

mi-

nis iactura, venditãt, dæmonibus prauis figuris adhibendis vti conſueuere. Hæc Rueus. Nos inter Aquinatis, Aponenſis & Alberti authoritatem non magnum diſcrimen facimus: & ad ſacrarum literarum teſtimonia, piorumq́ hominum iudicia prouocamus.

Poſt hæc: His (inquit) impoſituro coronidem ſubijt his quoq; annectere, Philoſtratum referre, Hyarchã primum inter Indorum ſapientes, ſeptẽ conſtruxiſſe annulos, ſeptem planetarum nominibus inſignitos & ſculptos: eoſdemq́ Apollonio Tyaneo dediſſe, ſingulis ſcilicet proprijs ſtatisq́ diebus (pro dierũ & per eos dominantium planetarum diſcrimine) partiendos deferendosq́. deinde & affirmaſſe ipſum Hyarcham Apollonio, auum ſuum philoſophum, centũ atq; triginta annos ſimili fretum cœleſti beneficio vixiſſe. Indeq́ Apolloniũ ijs annulis magna vtilitate vſum,

centeſimo etiamnum anno iuuenem retuliſſe. Nos Apollonium Tyaneũ hominem magum fuiſſe, & his in rebus authoritate eius cõtra piũ Eccleſiæ cõſenſum vti, nefas exiſtimamus.

Deinde Hermetem Triſmegiſtum quoq; ſuæ ſententię authorem facere videtur. Ad quod reſpondeo: in ijs quæ extant Triſmegiſti, Græcis, nihil tale reperiri: referri autem ad illum authorẽ ſpuria quædã & ψευδεπίγραφα.

Et inferius: Quid ergo (inquit) cuncta quæ humana ratio non complectitur, aut ſacra eloquia non confirmãt, dæmonum impoſturis dicanda relegantur, vt ne ipſi quidem perſpicuæ coram experientiæ credendum ille (meus Cẽſor) audeat affirmare? Nónne Pæoniæ radix ſingulari proprietate comitiales arcet acceſsiones? huius tamen facultatis ne ſapiẽtiſsimus quidem philoſophus (puto) rationẽ reddiderit exactam. An propterea vitio dandũ fuerit medico, illi affectui

ſanan-

ſanando,Pæonia vti? Ex duobus his argumentis,prius diluitur, ſi reprobemus omnia quæ vel ſacris literis prohibentur apertè,vel quæ optimi & ſapientiſsimi ſiue pijſsimi plurimi reprobarint, vt omnẽ in amuletis, imaginibus & huiuſmodi rebus curioſis ſuperſtitionem, ne dicam, impietatẽ & εἰδωλατρείας ſpeciem. Pæonia ſi iuuat,naturali quadam vi, aut ſi libet etiam cœleſti, iuuerit: ſed hoc nihil ad imagines certas & curioſas.

FINIS.

CLARISSIMO AC ERVDITISSIMO VIRO FRANCIſco Rueo Medico, Inſulis artem Apollineam profitenti, frater Paſchaſius Balduinus canonicus Phalempinenſis S. P. D.

Hac Epiſtola ſuper his duobus Ruei libris iudicium continetur primùm: deinde de Hebraicis Gemmarum nominibus, deque earum admiratione, vſu, abuſu, & viribus tractatur.

PErlecto libello quem de viribus ac natura Gemmarum nuper elaboraſti, non potui tibi non gratulari, optime Franciſce, hoc à te argumenti genus eſſe tractatum ac illuſtratũ: tum quòd tuam profeſsionem nó dedeceret eiuſmodi ſtudiorum inquiſitio, tum quòd nos quibus potiſsimũ ſacris oper nauare opus eſt, permoleſta animi anxietudine atq; labore leuaueris. Ea enim nónihil ad ſacra pertinere nullus, reor, inficias ibit, quum tam ſedulò ac ſeriò illis interſerátur,

ac or-

ac ordine diſponantur. Atqui peniti-
us iſta exquirere, quia per varia pro-
phanorum ſcripta diſperguntur, atq;
ea mente ab eis explanantur vt ad tē-
porale commodum proficiāt, per o-
cium nobis non conceditur. Sed &
pontificijs decretis plus nimio eiſdē
incumbere vetamur, cogimur quoq;
præſcriptis diuinis ſacras euoluere li
teras. Scrutamini ſcripturas, inquit i-
pſe ſacroſanctorum oraculorum cō-
ditor, quia vos putatis in ipſis vitam
æternam habere, &c. Quòd verò Io-
annis Αποκαλύψεως locum tibi potiſ-
ſimum delegeris, ibiq; traditum ordi
nem tenueris, ac deinceps cæterarum
Gemmarum quæ celebriores haben-
tur, non omiſeris elucidationem, ma-
ximè probo. Certiſsimum enim ac
ſolidiſsimum locum qui in diuinis li-
teris habetur, & qui tuo congrueret
inſtituto ſelegiſti, vt pote cuius inter-
pres & autor idem eſſet de quo ambi
gere nepharium ſit. Illa autem nomē-

clatio quę in Exodi libro digeritur ca
pite 28. incertior ob variam interpre-
tum tranſlationē, & diuerſas ſcripto-
rum opiniones habetur. Si voces He
Hebraica nomina Gemmarũ braicæ perinde compertæ eſſent atq;
Græcæ nulla fuiſſet eligendi ratio, ni-
ſi fortè quia hæ ad ſacerdotalium or-
namētorum ſplendorem, illæ autem
ad ciuitatis diuinæ cultum & ornatũ
pertinet. Nunc quia Hebraicus ſermo
paucisſimis fuit agnitus qui externa-
rum linguarum habuere peritiam, tũ
ob vetuſtatem, tum ob ſolitariã He-
bræorum vitam qui ab alijs gentibus
ſegregati, earum commercijs rariùs
vterentur. Græcus autem tam nobis
familiaris vt in quotidianũ vſum no-
ſtrum tranſierit, meritò quod ſic vſi-
tatum habetur, præ altero tibi in ex-
planationis materiã ſumpſiſti, ne am-
biguis fundamētis iactis totum quod
ſuperſtrueretur, vacillaret. Hebræi ſi-
quidem, maximè huius ætatis, tanta
caligine in horum notitia cæcutiunt,
vt

Digitized by Google

vt pluſquàm talpas exoculatos crede re fas ſit: niſi fortè quorundam lapillorum Hebraica vox in externam linguam deriuata antiquæ veritatis veſtigia etiam cæteris nationibus reliquerit, ac inde à primis auis ad nos vſq; permanarit illorũ incolumis nomenclatura. Quorum præter Sapphirum qui ipſis vniuocè quoq; dicitur, & Iaſpidem iaſpeh nominatum, nullum crediderim hac ratione cognitũ: tametſi etiam in Iaſpide aliud interpretes nonnulli ſentiant, eundem in Beryllũ vertentes, cæterorum nomina ad linguam noſtram tranſlata variant, alijs alia ſuſpicantibus. Vnde non ſatis cõpertum habetur an idem diuus Ioannes ſacris illis gemmis antiquitus per Moſen proditis alludere vel conuenire voluerit, quandoquidem in nominum deſcriptione cum interpretibus antiquis non plurimum diſſentit, hoc eſt tantum in carbunculo, achate, Ligurio & Onychino, quarũ vice Chal-

Sapphirus.

Iaſpis.

Digitized by Google

cedonium ſiue Carchedonium, Sardonychen, Hyacinthum & Chryſopraſum conſtituit, vt non ſatis liquidum ſit de interpretum fide, quũ iam omnis illorum verſio in dubiũ à nonnullis vocata ſit. Arbitror tamen illũ non eoſdem lapillos adijcere voluiſſe, quum onychis, qui apud Moſen inter duodecim Gemmas memoratur nullam mentionem fecerit, quem plerique omnes eo nomine ab Hebraica voce ſcoham tralatum vocitant: niſi fortè Sardonychem idem Ioannes pro illo ſtatuerit, quod Ioſephus facere videtur. Cuius onychini lapilli in tuo opuſculo vix recordatus es, quum tamen præ cæteris in veteri inſtrumento eius mentio frequẽtius repetatur. Arbitror id conſultò tibi accidiſſe, quod malignioris ſit naturæ, nec inter celebriores Gemmas ſupputetur, neque tantæ ſit dignitatis & vſus, vt curæ tibi fuerit illum enucleatiùs explicare. Quod idem in Lyncurio, quem noſtra-

ſtrates theologi aut phyſiologi Ligurium appellitant efficere viſus es, niſi quòd ſuccini naturam demonſtrans eius aliquantulum memineris. Porrò cæterorum qui ſacris libris continentur, quos tamen Apocalypſis non habet, gaudeo te non fuiſſe oblitũ, quatenus non minus è re theologica fuerit, hos noſcere quàm illos. Carbunculum & Achaten Exodus liber cap. 28. atq; Ezechiel nobis exhibent, adamas quoq; ab eodem Ezechiele cap. 3 & à Zacharia vſurpat, quamuis hoc potius interpreti Latino quàm veritati tribuerim. Neque enim Hebraicus ſermo ibi permittit Gemmam omniũ nobiliſsimam intelligi: quum duritie es indidem tantum, non præ ſignis eminentia petatur, vt etiam fit è ſilice illic memorato. Intellexerim itaq; pro illo aliquod ſaxi genus: quod etiamnum Græcus interpres oſtendit, in petram eam vocem vertendo. Sunt qui in Exodo ac Ezechiele loco Iaſpidis Probatio. Virtutes.

Digitized by Google

adamantem collocent, tanta eſt Hebræorũ oculis offuſa caligo. Necnon ſunt alij qui pro vitro, quod Iob cap. 28. ab interprete poſitum eſt, vocem Hebraicam Zecucith in adamantem vertendam autument. Idipſum penè in omnibus Gemmis reliquis vſuuenit Hebræis, vt ſubinde nouam vel aliam pro alia excogitent: ſic ſunt cæci errorum magiſtri, quibus illæ diræ à ſacro Pſalte profuſæ imputantur. Obſcurentur, inquit, oculi eorum ne videant. Eſt quoq; eodem cap. Iob vocabulũ, quod in Coralliũ trahũt quũ nuſquam in ſacris habeatur: id autem eſt pro quo, excelſa, traduxit interpres Latinus, minus conſideratè vocẽ Hebraicam pro altera ſumens. Inuenimus quoq; alterã vocẽ, in eminentia, in eodem capite verſam, quam etiam volunt eſſe cuiuſdã Gemmæ ſymbolum, Gabis ea dictio ſcribitã. Hæc autem dixerim vt tuũ conſiliũ approbẽ, qui diui Ioannis Gẽmis explanandis,

Gabis.

reli-

reliquas etiam vſu & dignitate cele-
briores non omittendas cenſueris, in
queis eas quæ ſparſim in diuinis lite-
ris legunt, tametſi clarum non ſit quæ
ſint, veriſimile fuerit cōtineri. Non ab
nuerim tamen illud primū ſeculum,
quo ſacræ cōditæ ſunt ſcripturæ, hoc
eſt Moſis ætate, non vſqueadeò fuiſſe
edoctū vt omnium Gemmarū perno
uerit naturas & vires, quum inficiari
nó queamus illud tunc primū omnē
ruditatem exuiſſe, & perſpicuū ſit, ab
ætate Plinij non parum immutatam
eſſe earum Gemmarū æſtimationem, Gemmarū
& quibuſdam non parum precij ac- precium.
ceſsiſſe, quum eo tempore primum
vel ſecundū dignitatis locū obtinerēt
vniones, nūc aūt vix quartū ſortiant,
H-s, id eſt ſeſtertiū centies vna Cleo-
patræ Aegypti reginæ Margarita: quę
ſumma nō minus ęſtimatur ducentis
& triginta quatuor milibus, trecentis
quoq; & ſeptuaginta quinq; ducatis.
Potuerūt itaq; eo rudi ſeculo Adamā-

teſ & nonnulli alij lapilli primæ nũc indicaturæ fuiſſe ignoti: & qui maxime tunc dignitatis fuere, temporis acceſsione, nobilioribus cedere cœperunt. Ecce quò me protraxit tuus de Gemmis & lapillis operoſus labor. Cernis quis tandem Epiſtolæ finis erit, ſi cuncta examuſſatim pergam edicere quæ fœcundum hoc tuum argumentũ parere poſsit, ſi myſticas à ſingulis Gemmis ſignificationes eruere parem: ſi duodecim fundamenta his lapillis ornata, portasq́; ſingulis Margaritis extructas, theologorum more, ad morum fabricam & ſacramentorum expreſsionem trahere velim. Quem hæc contemplatio, atq; tã decori habitaculi adumbratio, ad vitæ purioris ſplendorem non pertrahat? quis prauos mores ad rectitudinis lineam huius ciuitatis tam ſpecioſæ deſiderio non corrigat? quis tam obeſæ mentis & hebetis ingenij, qui non ex his perpendat, quanta mundicie prępol-

Gemmarũ admiratio.

polleredebeant ciuitatem tantis ornatam miraculis ingredi cupientes, quum nihil coinquinatum, vt palàm diuus ipſe Ioannes aſſerit, in illam recipiendum ſit. Iam pauliſper nó pigebit animũ attendere in eos qui horum lapillorum geſtaminibus gaudẽt onerari, vel vt ſe ad exercitia ſpiritalia inde promoueant, quod in illis mirificis veſtibus quas ſacerdoti magno apparatas legimus, factũ credimus: vel vt eorum fulgoribus ſeſe venditent apud vulgus ignobile gloriolam quãpiam ex his captantes, & quiddam diuinum ſibi arrogantes, quod Tyrio regi impingit propheta Ezechiel, quẽ in medio ignitorum lapidum ambulaſſe ſuggillat: de quo paulo antè dixerat, Eò quòd eleuatum cor tuum quaſi cor Dei. Et pòſt, Omnis lapis precioſus operimentum tuum. Eiuſmodi homines quis non fateatur degeneris eſſe animi, qui proprijs ornatibus priuati, hoc eſt virtutibus denu

Cõtra luxũ in gemmis geſtandis.

dati, exoticos & externos cultus aſci ſcunt, tiaras, digitalia, cingulos, & qd non, frequẽtiſsimis lapillis infarciũt? perinde ac ſi in illos vertendi eſſent, animi natiua ornamenta faſtidientes. His hominibus ſi vel mentis mica ineſſet, cura diuerſa, ea nimirũ quæ omne facticium & commentitium aſpernatur, in primis appeteretur, qua honeſtos mores illis ipſis lapillis deſignatos induere ſatagerent. Excellens quidem naturæ opus & nõ exiguum miraculum eſt Gemmarũ natura & vis, ſi ſpectetur materiæ temperamentum & quædam lucis cũ elementari craſsitie copulatio, & eo præcellẽtius quo durabilius: & tam eſt mirabile, vt ipſa naturam ſuam totam vim in earũ opificium collegiſſe ac effudiſſe videat. Quamobrẽ has geſtaturis, quia ſummopere intuentium oculos alliciunt, expedit, vt in cuiuſdam inſignioris operis ſymbolum aut ſignum adſumãtur, quo mens haud in paucis naturæ gradi-

Admiratio earum rurſus, & geſtatio licita quæ.

Digitized by Google

gradibus illas antecellens vegetior, & ad ſuæ operationis promptitudinem accommodatior reddatur: & ad æternam beatitatem, ad quam benignus conditor illam deſtinauit, compendioſius perueniat. Hoc præcipuum horum lapillorum munus crediderim, quod ſi defuerit, indignum prorſus celſitudini humanæ geſtamẽ poterit iudicari, ne vnde corpus qđ corrumpitur ornatum aucupatur, inde maius diſpendium animus cœleſtibus natus incurrat, & ne nimiò lapillorum fulgetris addictus, lapideus etiam ipſe animus euadat, ac proinde à ſua conditione decidat: nec ab ijs honoris ſubſidium quærat, quibus ipſe opinionem honoris elargitur. Hac ratione agnoſcant reges & pontifices, & quicunque horum geſtiunt adiacenti luce glorioſiores apparere, eorundẽ vires, illasq́; ad animi vegetationẽ transferant, vt in Sapphiro ſit caſtitas & cœleſtium amor, in

Carbunculo ardens charitas, in Adamante iuſtitiæ conſtantia, in Smaragdo facilis humanitas, & in cæteris ſimile aliquid quod menti virtutem tribuat: ne quiddam ſimiaticum referãt, hoc eſt, ne ſicut ſimia in purpura faſtũ quendã oſtentent & ſe ridendos præbeant. Nolim tamen ſalubres Gemmarum vires attenuare, corporibus humanis oppidò quàm profuturas, ſi commodè illis applicentur. Quas vires & proprietates vt reliquarum rerum, corpori humano conducibiles, fuerit phyſicorum veſtigare: illa verò ſigna quæ mentem moueant, theologorum: vt in eadem re tractent medica phyſici, & diuina theologi, atq; ſic vnumquodq; membrum in myſtico Chriſti corpore, ſuo munere dignè p-fungatur. Vides optime Franciſce, tui libelli lectione me non parum fuiſſe delectatum, qui tot verbis gaudiũ teſtatum reliquerim, & affectus hos velut œſtro percitus vel potiùs numi

Vires naturales.

ne

ne afflatus ediderim, ne prorſus perditum laborem tuum autumes. Nam ſi eiuſmodi fructus neutiquam ſequantur, fruſtra fuerat à ſacris tuum argumentum petiſſe. quandoquidem luce clarius eſt in his Gemmas eſſe memoratas non vt corpori decorando ſeruirent, ſed animi virtutibus vel cōquirendis vel conſeruandis proficerent. ſed neq; alioqui plurimum decuiſſet eundem libellum cuiuis ἱερουργούντων dicare, quibus ſacra tractare ſemper incumbit: ſed neq; me cenſorem ſtatui oportuiſſet, cuius vires tantæ rei expediendæ impares ſunt. Non pauca etenim è philoſophorum adytis, nonnulla è theologorum placitis in medium deduxiſti, de quibus certum ferre iudiciū difficile fuerit, quādo nec ſummus philoſophus poſsit omnibus his ſufficere, & theologus interdum conniuebit, nonnunquam diſsimulabit, modò nihil ſit oraculis cœleſtibus ac eccleſiaſticis dogmati-

Digitized by Google

bus repugnans. Eiuſmodi ſentimen-torum nonnunquam narratorem nó aſſertorem ſuſpicio, quòd habeas nó infimos autores quibus acceptum feras quod expromis & quibus te tuearis, quum liberum ſit in pleriſq; vtranque partem fouere. De quibus nunc eſſet longius quicquam diſſerere, pręſertim quũ probè calleas quid intus habeam. Relinquo ſua aſtrologis apoteleſmata, theologorum turbam non modò refragantem, ſed manibus pedibusq; illò adrepentem interim diſſimulo, de quib9 nihil mihi libet nũc ſcribere, quãdo prolixior ipſe fuerim quàm putaueram, præſertim tibi occupatiſsimo, cuius ſeria interpellare, piaculi quiddam refert. Vale.

Digitized by Google

ALARDVS RVEVS ETIAMnum puer, Patris obſeruandiſsimi libellum, Lectori commendat hoc Elegiaco.

Qui legis inuiſi conuiuia cruda Thyeſtæ,
Diſcerptumq́ vagis curribus Hippolytum,
Oedipodemq́ oculis captum: ſtructamq́ venenis
Medeam, regum bellaq́ ficta legis:
Qui legis Harpyias, Centauros, Gorgonas, Hydram,
Quid niſi monſtra, precor, prodigioſa vides?
Talia quæ cruciant animum male ſana faceſſant,
Quæq́ virum ſapiant perlege ſcripta Patris:
Hic vim gemmarum tractat, quæ cognita longè
Illarum vincit commoditate decus.

Eiuſdem ad patrem integerrimum, Epigramma.

Ecce pater volitant totum tua ſcripta per orbem,
Docta per æternos ſcripta legenda dies:
Nempe tuo exemplo me noſtrum nomen in auras
Spargere vis: tutum nunc mihi pandis iter.

Digitized by Google

[redacted]

DE RERVM FOSSILIVM, LAPIDVM ET GEMMARVM

maximè, figuris & ſimilitudinibus Liber: non ſolùm Medicis, ſed omnibus rerum Naturæ ac Philologiæ ſtudioſis, vtilis & iucundus futurus.



Cum Gratia & Priuilegio S. Cæſ. Maieſtatis ad annos VII.

TIGVRI M. D. LXV.

Digitized by Google

NOBILI V[redacted]RO
D. ANDREAE SCHADCOuio, Salinarum Cracouienſium Notario, patriæ decori, [redacted] [redacted] Heluetius S. D.

RARAE & ſingulares tuæ virtutes, vir nobiliſsime & patrone obſeruande, maximè verò pietatis ſyncerioris feruens ſtudium, & doctrina inter tui ordinis viros excellens, vt iampridem te ſuſpiciendum colendumq; mihi deligerem, facilè induxerunt. Poſtquam verò te quoq; amore ac beneuolentia me dignari hominem tibi de facie ignotũ, lucubrationibus fortè meis qualibuſcunq; delectatum, ex Antonij Snebergeri (ciuis ac diſcipuli quondam mei chariſsimi, nunc in clariſsima Regni veſtri vrbe Cracouia doctiſsimi celeberrimiq; medici.) literis intellexi: & beneficentiæ inſuper tuæ fructum aliquẽ percepi: quo pacto animum obſeruantiſsimum ſimul amantiſsimumq; tui, non ingratum tibi

Digitized by Google

meum declararem (quod facere, vt par erat, cupiebam,) dubitaui aliquandiu. Nunc verò tandē edituro mihi hunc de lapidibus ac gemmis libellum, dum pro more patronum ei quæro, tu omnium primus in mem[illegible]hi veniſti, tum prædictas ob cauſas: tum quòd inter alias virtutes, quibus patriam ornas, ſumma vitæ modeſtia & benigna erga omnes probos ac literarum ſtudioſos præſertim, humanitas perpetuò in te eluceſcunt. Iis verò mihi quoq; ad hanc lucubrationem opus eſt, vtpote rudiorem & imperfectiorem quàm cupiebam multò. Perficiendi autem ocium non in præſentia ſolùm deerat, ſed neq; intra vnum alterumq́; annum, ſi vita modò ſuperſit, integrum mihi id futurū videbam. Itaque malui tibi optimo & humaniſsimo patrono, quod hoc tempore poteram præſtare, quàm differre diutius. Quantum ad libri ordinem: nolui alphabeticum ſequi, vtpote nimis vulgatum & triuialem: neque ad ſuas claſſes ſecundum ſubſtantiæ cuiuſq; rationem ſingula referre. hoc enim in ſecundo libro (in quo lapidum ac metallorum omne genus vim naturamq́; & philo-

philologiam quoque copioſe explicabo) ſi quãdo illum huic adijcere, aut ſeorſim ædere dabitur, obſeruare ſtatui. Hoc verò in libro, (qui rerum foßilium, hoc eſt, metallorum & lapidum in primis, figuras exhibet) ſimilitudinũ & imaginum, quas ipſa genitrix Natura in rebus tam varijs veluti pingendo expreßit, conſideratione oblectatus, ipſos etiam Naturæ gradus ac ordines, ſequi volui: hoc eſt, à ſimplicibus dimenſionum ac figurarum principijs, & lineamentis primis Opus auſpicari: inde verò ad ipſa corpora ſimplicia primùm, vt cœlum ac elementa, ab hiſce rurſus ad cõpoſita ex eis, Meteora, Plantas, Animalia tranſire: & in ſingulis quæ ab eis denominantur, aut aliquam eorum ſimilitudinẽ habent, foßilia enumerare: atque à cœlo & cœleſtibus paulatim ad terram & quæ in ipſa aluntur viuuntq; aut vigent corpora deſcendere: id quod phyſicorum eſt, dum ratione & ſenſu interiore omni ſcrutantur Naturam: Theologorum verò, imò piorum hominum quorumuis, intelligentia melior, quam mentem & ſpiritum appellamus, ne in hoc deſcenſu anima

Digitized by Google

immoretur nimiùm, meliore & altiore quàm Natura eſt, principio relicto, efficit. Itaq; vice verſa ab hoc veluti infimo mundi centro aſcendit, noſq; ipſos, vt cæteras res naturales omnes, veluti reſoluẽs cogitãdo in partes ſimpliciores, ad ſimpliciſsima vſq; pergit, ſed adhuc corpora, imò vnius corporis, quod Mundum appellamus, membra: ex quorum vigore harmonia, motu, ordine, & pulchritudine, omnibus admirandis & in ſuo genere optimis maximisq́;, non poſſe tantum hoc corpus ſine mente meliore & perfectiore, quàm quæ noſtro corpori ineſt, ſuam vitam viuere, regi, moueri, conſeruari & durare, facilè cogitat: inq; hoc ipſo ſummo principio optimo maximoq́; acquieſcit, & relictis inferioribus Naturæ gradibus, cum ſummo hoc bono coniungi perpetuò, ineffabili deſiderio auet: ſed infirmitatis ſuæ ac indignitatis ſibi conſcia quod amat & cupit, eo ſe potiri poſſe non ſperat: foretq́; in hac deſperatione & repulſa planè vel ipſis belluis infœlicior & miſerior longè: niſi vocem & verbum vocantis nos ad ſe Filij Dei, (is ipſe enim Dei verbum eſt) audiret: & conſolantis Spiritus ſancti vim incredibi

li amore ſummi boni exardeſcens ſentiret: Hoc ipſo autē veluti igne viuentis fidei, qua Deo & veritati credit propter gratiā & miſericordiam eius in filio mirificè declaratā, ab omni indignitate ſua expiata luſtrataq́; in viui & veri Dei conſpectum, vt eo æternùm fruatur, venire iam audet: vbi Gēmas illas ſupercœleſtes, quæ non terrenas modò noſtras, ſed ipſas etiam cœli ſtellas, & Solis Lunæq́; iubar, puritate, luce & pulchritudine longè excedūt, perpetua & ineffabili dulcedīne cōtēplatur. Talibus enim ſmaragdis, chryſolithis, beryllis, hyacinthis, alijsq́; huiuſmodi, portæ, mœnia, fundamenta totaq́; ſtructura æternæ illius, ſpiritualis & cœleſtis Hieruſalem conſtat: in cuius meditatione & ſpe, omnis noſtra felicitas vt hic incipit: ita perficietur breui per illum optimum, maximū, ineffabilem rerū omnium opificē, motorem, parentem: qui idcirco ardentiſſimum hoc deſideriū ſui animis noſtris inſeruit, vt amare ipſum non deſinentes immortalem aliquando huius amoris & deſiderij fructum caperemus. Sed longiùs mihi abripior: & nimio cœleſtium

Digitized by Google

Gemmarum fulgore captus animus terrenas propemodum obliuiſcitur. Ad eas igitur & inſtitutum à nobis earum qualemcunq; picturam redeo. Pictura certè ars homini propria & liberalis, admiratione ſimul & oblectatione plerunq; ſpectantes afficere ſolet: A natura verò rebus impreſſæ imagines ac figuræ, ceu reuera quædam hieroglyphicæ notæ, veriùs quidem quàm illæ Aegyptiorũ ſacrificis celebratæ, maieſtatis etiam aliquid præ ſe ferunt: præſertim quæ nõ fortuitæ fuerint, ſed planè naturales & (vt ita dicam) ſpecificæ, ac generi alicui ſemper ceu propriæ inhærere vidētur, vt in Stirpium genere ac Foſſilium. Nam de alio illo terribilium & rarò contingentium imaginũ genere, quæ vel in aëre ſublimi, vel monſtroſis partubus, alijsúe oſtentis contingunt, nunc mihi ſermo non eſt. Ergo admirationis huius cauſa, & vt ad cognitionem rerum quarundam, quæ verbis deſcribi non ita clarè poſſunt, faciliùs perueniant harum rerum ſtudioſi, figuras quotquot ferè hoc tempore habere potui, adijcere viſum eſt.

Accipe igitur, clariſſime Schadcoui, hoc quic-

Digitized by Google

quicquid eſt, & bon[illegible]nſule: donec forſan aliquando abſoluta Stirpium hiſtoria, in quam nunc totus incumbo, idem hoc argumentum altero libro, quem polliceor, addito, ſi diuina fauerint, ampliùs excolam: In quo de Sale etiam, pluribus agam: quod tibi eò iucundius futurum ſpero: quoniam Cracouienſium Salinarum, per omnem Europam celeberrimarũ, ſereniſsimus Rex, vt eximiæ virtutes tuæ, probitas & fides inprimis merebantur, Notarium te conſtituit. Vale, vir ampliſsime, bonorum doctorumq; omnium, & piorum inprimis, patrone optime: & viue quàm fœliciſsimè diutiſsimeq; incolumis Eccleſiæ Chriſti, totiq; patriæ, & amicis, ac tuis omnibus.

Tiguri Heluetiorum, M. D. LXV. quinto Kal. Auguſti.

Digitized by Google

CO[illegible]ADI [illegible]ES-

NERI IN LIBRVM DE

Lapidum, Gemmarum ac Metallorum figuris, Præfatio: quæ ordinis ratione͂ reddit, & Capitum XV. argumenta enumerat.

DE Lapidibus & Gemmis alij aliter ſuos ediderunt libros: mihi hũc ordinem ſequi viſum eſt, quem (vt ſpero) lectores non improbabunt, ab ipſa ferè natura deductum. Primo enim loco lapides illos, in quibus lineæ duntaxat & puncta, & ad figurá pertinẽtia magis quàm ad corpus có ſiderantur, enumero. Secundo, eos qui vel ſimile aliquid corporibus ſim plicibus, vt cœleſtibus & elementis habent: vel ſaltem ab eis denominantur aut cognominãtur. Tertio, qui meteoris aliqua ſimilitudine comparantur. Quarto, qui rebus terreſtri bus inanimatis. Quinto, qui rebus artifi-

artificioſis natura ſimiles ſunt. Sexto, ijſdem nō naturâ quidem, ſed arte ſimiles. Septimo, herbis. Octauo, fruticibus. Nono, arboribus.

Decimo, de Corallio, tanquā planta marina agitur. Vndecimo, de alijs quibuſdam marinis aut maritimis plantis lapideis, aut ad lapidum naturam accedentibus. XII. De ijs qui animalibus quadrupedibus ſimiles ſunt, ſiue figura tantum, ſiue ſubſtantia & corpore: & qui ex eis promuntur, vel quomodocunq; ab eis denominantur. XIII. De ijs qui ab auibus ſumuntur aut nominantur. Decimoquarto, ab aquatilibus animantibus. Decimoquinto, à ſerpentibus & inſectis.

De his autem potiſsimùm hoc libro agere volui, quòd eorum fortè omniū figuræ exprimi ac depingi poſſint: quæ ad rerum cognitionem adipiſcendam plurimùm iuuant. Cogno ſci autem res priùs, quàm de ipſarū na

Digitized by Google

tura,viribus ac facultatibus ſermonē inſtitui, operæprecium eſt. Poſui aũt figuras non omnium, ſed quotquot hoc tempore habere potui, pleraſque ex illis quos domi ipſe ſeruo lapidibus rectè & graphicè depictos: aliquas verò ab amicis miſſas, Iohanne Kentmano præſertim, non medico ſolùm doctrina præſtanti, ſed omnium naturalium rerum conſultiſsimo optimoq́; viro: cui maximam huius cognitionis partem acceptã refero. Ab eo enim & res ipſas quàmplurimas, & deſcriptiones figuraſq́; multas accepi: quod vt virum ingenuũ decet, tam liberè fateor, quàm libenter, cum illum & maximi faciã, & ſummo inter ſummos amicos loco habeam.

Scripſi autem primum hunc librũ extemporanea quadam feſtinatione, hiſtoriæ ſtirpium noſtræ iamdudum inchoatæ, hoc tẽpus veluti ad luſum & recreationem ſuffuratus, vt homines harum rerũ ſtudioſos in diuerſis

re-

Digitized by Google

regionibus ad alia quibus adhuc careo ex illorũ qui rectè pingi poſſunt, & memoria digni ſunt, genere lapidũ, mihi communicãda, excitaré. Quòd ſi fecerint viri boni natureq́ ſtudioſi, ac inſuper ſicubi fortè emendandum aliquid in hoc libro videatur admonuerint, vt aliâs (Hiſtoria ſtirpiũ priùs abſoluta, Deo iuuante) hunc rurſus emendatiorem auctioremq́ ędam, & ſecundum etiam librum (in quo copiosè de lapidum, gemmarum, metallorum ac foſsilium omnium nomenclaturis in diuerſis linguis, & viribus eorum facultatibusq́ tum medicis tum reliquis, & vniuerſa eorum natura, agere decreui,) huic primo vt addá me promouebunt. Quantum verò ad delineatas figuras attinet, cum ego primus lapides pictos volumine ijs dicato exhibere tentauerim, boni conſulent lectores qualemcunq́ diligentiam hanc noſtram: & ſi fortè aliquas non facilè dignoſcent, non nobis, ſed

rei difficultati imputent. perdifficile enim eſt lapides aliquos ita pingēdo repræſentare vt facilè ſuis lineamentis ſuaq́ꝫ figura cognoſcantur, præſertim ſine coloribus, cùm ne aues quidem & piſces pleriq́ꝫ ſine ijs facilè agnoſcantur. Quamobrem Typographum hortatus ſum, vt in eorum gratiam, qui fortè deſiderarint, exemplaribus aliquot colores addendos curet. Sunt quæ per ſe pingi nō queāt, ſed aliquo addito, vt Magnes maſſa informis adpicto acu quem ad ſe trahat, aut ſcobe ferri quæ lima appoſita intelligatur. Iris verò, ſi ad parietē arcus cœleſtis ei adpingatur: & vnio in ſua concha. Sed huiuſmodi ꝑ accidēs picturas, vt ita dicam, nullas ego exhibui, ꝓter Magnetē ſpeciminis gratia. Sunt etiā quæ ſuo colore, quē ipſa de ſe reddūt, pingi & repſentari queant: quorū tabellā ſub finē libri, interuallis aliquot, quorum ſuo quodq́ꝫ colore rei foſsilis diuerſæ pingitur, aut pingi poteſt, diſtinctam ſubiecimus.

Digitized by Google

CAPVT I.

De lapidibus illis in quibus lineæ potiſsimùm conſiderantur, aut puncta, & figura in ſuperficie magis, quàm corpus ſolidum aut eius forma.

PHiloſophus quartã Qualitatis ſpeciem facit figuram, & ſuã cuiuſq; rei formam, externam ſcilicet & in ſuperficie apparentẽ. Huic & curuitatem & rectitudinem, & ſi quid huiuſmodi (inquit) eſt, adnumerat. Figuram eruditi definiunt, qualitatem ſeu differentiam quandam ſuperficiei ſecundum angulos, quos vel habet, vel eis caret. Figuræ autem differentiæ videtur propriæ, rotundum & angulosum. anguloſi verò, triangulum, quadratum, pentagonon, hexagonũ, &c. Hæc rurſus aut in ſuperficie tantùm, aut in ſolidis corporibus ſpectãtur. Videtur autem figuræ nomen ſim

plicius aliquid ſignificare, vt quæ vel ex vna linea conſtare poſsit, vt circulus: vel ſuperficie vna, vt ſphæra: vel paucis certè lineis, tribus, aut quatuor. Quod ſi lineæ duæ ſint, angulus & curuitas accedũt in ſuperficie mathematica: in ſolida autem, tribus minimùm opus eſt. Forma verò è multis varijsq́; lineis, angulis, & ſuperficiebus cõſtat, nec vno nomine communi appellari ſolet, vt figura: quæ nullã materiam ſibi propriam habet, vt mathematicæ figuræ omnes. quare cogitatione etiam abſtrahi à materia, & ſine illa definiri ac conſiderari poſſunt. Forma verò ſua cuiq; eſt, vt interior & eſſentialis, quæ ratione ſola cognoſcitur: ſic etiam externa, quæ è pluribus figuris (vt totum è partibus) earumq́; differentijs conſtat: & certo partium ſingularum ordine, ſitu, ac proportione ſeu inter ſe mutuò comparatione conſtat: quæ ſi probè ſe habeant, formoſa, pulchra, aut bene formata & mode-

Digitized by Google

moderata,(Græcè εὔμορφα, εὔπηκτα, & σύμμετρα dicimus:) ſin contrà, deformia, informia. Figura verò abſolutè dici ſolet. Eadem vt ſimplicior eſt, ita ſuum nomen habet, & à quouis facilè pingitur. Forma nomen non habet, neq; interna, niſi fingamus, vt παρὰ τοῦ ἀνθρώπου, ἀνθρωπότης; παρὰ τοῦ ἵππου, ἱππότης, ſicut Platonici fingebant: neque externa, niſi circumloquamur, vt forma bouis, forma equi: quam & figuram aliqui nominant, ſiue impropriè, ſiue generis nomẽ pro ſpecie ponentes, vt fieri ſolet. Figuram verò primò proprieq́; dictã, nemo formæ nomine vocitat in ſuperficie præſertim vna ſolaq́;: cum formam rotundam, teretem, triangulam aut ſimiliter dicere non ſit vſitatum. Errant, Simplicio teſte, qui formã animalibus propriã faciunt: figuram inanimatis. Sunt qui formam rebus naturalibus omnibus attribuant: figuram mathematicis ſolùm. Nos in hiſce figuram primò dici

putamus, nó tamen ſolis: vt formam non naturalibus tantùm, etſi id magis propriè, ſed artificioſis quoq; tribuimus: vt cum ſtatua hominis, eiuſdem forma dicitur. Ergo quæ figurata & formata ſunt, pingi poſſunt: quæ figura formaq; carent, non poſſunt, vt elementa & ſimilaria ſeu ſimplicia (τὰ ὁμοιομερῆ) corpora tum mundi huius, tum ſingulorum etiam mixtorũ: quorũ ſua cuiq; proxima propriaq; ſunt elementa: vt homini ſanguis, pituita & vtraq; bilis.

Nos toto hoc in libro figuras formaſq; lapidum & rerum foſsilium ac ſimilium, aliquot pictas dabimus: alias quidem in alijs capitibus, prout alię alijs rebus ſimiles ſunt, aut ex alijs atq; alijs rebus forma differentibus ſumuntur. In præſenti verò capite de lineis primùm, ceu figurarum initijs agemus: poſtea etiam de angulis, qui ex lineis duabus, aut duarum ſuperficierum coëuntibus fiunt. Quòd

ſi quæ

Digitized by Google

ſi quæ occurrerent, figuræ aut formæ rei naturali alteri nulli ſimiles, eæ etiam huc referri poſſent. Sed vix vllas huiuſmodi reperiri puto. Obſcuriores enim plerunque hæ ſimilitudines ſunt: nec certum & conſtans aliquid in his habemus. Quare liberum eſto vel huc vel aliò talia referre. Ante lineas puncta locum haberẽt: ſolet autem vel poteſt punctorum & macularum diſcurſus ac varietas, ſerpentium corporibus cõparari.

Onychipuncta iaſpis à Plinio cognominatur Iaſponyx gemma: qui & aliam Iaſpidis ſpeciem celebrat, rutilis ſtellatam punctis. Idem de Sandaſtro: Commendatio eius ſumma, inquit, quòd velut in tranſlucido ſtellantes intus fulgent aureæ guttæ. In Sideropœcilo variant guttæ, Plinius.

Puncta quidem in ſuperficie variè ſparſa, ſtellarum nomine quandoque eleganter vocantur, vt apparebit etiã Capite 2. inter lapides à ſtellis deno-

Digitized by Google

minatos. Acopis gẽma aureis guttis ſtellata eſt Plinio: & Praſij alterum genus ſanguineis punctis abhorret.

Ophites quidam cinerei coloris & punctis varius eſt, κατεστιγμένος, Dioſcoridi. Epiphanius Sapphiri ſpeciẽ χρυσόστιγῆ facit, hoc eſt, punctis aſperſam aureis. Punctis maiores ſunt bullæ & verrucæ. Oſtracitin Plinij cœruleæ interdum bullæ cingunt, Myrmeciam verrucæ exaſperant.

In lapidum genere, ſaxis, rupibus, ſcopulis, marmoribus, nulla certa figura eſt. quanquam enim indiuiduis omnibus inter ſolida corpora, figura aut forma aliqua ſit, propria tamẽ eis & vniuerſalis non eſt. Gemmarum verò & minorum lapidum, quorum aliqua vis & admiratio eſt, plurimi certam figuram aut formã habent: quod perfectior magisq́ definita earum natura ſit, & à materię conditione remotior. A formæ ſimilitudine lapidum multi denominantur, idq́ iuſtiùs, qui vide-

videlicet rei alicui naturali ſimiles ſũt: vt gloſſopetra, lithodendrum, hieracites, enorchis: alij à figura, aut figuræ principijs, vt lineis, quod probari nõ debet, vt meſoleucus, polygrammos, &c. quæ nomina adiectiua cum ſint, & figuræ propria, malè tribuuntur ijs ceu propria, cum alijs etiam conuenire poſsint, ſi figura eadem, eædém ve lineæ in eis reperiantur. ſic & à colore & alijs accidentibus facta nomina, non ſunt laudanda. Increſcentibus quidem variè in gemmis, maculis, atq; verrucis linearum, quæ multiplici ductu & colore gemmam afficiunt, ſępenumero in eâdem materia, nomina variari, Eraſmus Stella tradit, vir diligens & eruditus, qui primus noſtro ſeculo gemmarum hiſtoriam literis illuſtrauit. Hier. Cardanus libro 7. De ſubtilitate, in quo de lapidibus ſcribit, genus illud figurarum & imaginũ in lapidibus miratur, quod in eiſdem ſemper apparet, velut à na-

Digitized by Google

tura prouueniens, quæ non ſecus, inquit, ac in plantis foliorum & fructuum numerum ſeruat & rationem. Et hoc ipſum vim aliquam peculiarem habere, & aliquid ſignificare exiſtimat. Et paulò poſt: Earum (imaginũ) quas proponit natura, quædam ſunt velut figuræ ſubſtantiæ ac formæ: alię quaſi picturæ. Quæcunque verò formæ loco ſunt, caſu etiam fiunt, ſed non in omnibus. Illæ ergo quæ non ſemper in eiſdem lapidibus inueniuntur, ſed rarò, fortuitò nó ſecus ac in nubibus generant̃, nulliusque virtutis ſunt: quales in Alabandico lapide Simiæ, inuẽto Fribergi: & qui ex eodem genere ſcutulum habuit rubrum, quod quatuor lineæ circumambiebant, quarũ prima tertiaque albæ, ſecunda & quarta rubrę. Et Annæbergi Alabandicus alius formam habuit crucis: ſed hæc potiùs fuit forma quàm imago. Hæc ille, ex Ge. Agricolæ libris nimirum mutuatus.

Nunc


Nunc ad particularia deſcendamus.

Punctis etiam maculæ ſunt maiores: Ophiten legimus marmor eſſe viride, maculis totum plerunque albis, tum verò alterius coloris diſtinctũ: porphyriten verò rubris ac quaſi candidis maculis varium, ſeu potiùs rubrum cum maculis internitentibus, & cætera.

Lineam Plinius videtur etiam limitem appellare in lapidibus: item filũ, virgulam, zonam, venam, vt in ligno ferè pectinem, Græci γραμμὴν, quidã διάφυσιν.

Sed lineæ aliæ coloris tantùm ratione conſpicuæ ſunt: in ſolidis verò σχιστὰ vocantur, id eſt, ſciſſilia, quorũ corpus totum veluti ex lineis contiguis compoſitum videtur, vt in aluminis & hæmatitæ generibus, & amianto, ſtibio, ſale Ammoniaco, alijsque nõ nullis. Hæmatitæ quidem ſpecies vna ab hoc ipſo σχιστὸς per excellentiã no-

minatur. Amianti veri è Cypro quem Franciſcus Calceolarius, pharmacopola Veronenſis vt artis ſuæ peritiſsimus, ita omnium ſimplicium medicamentorum indagator acerrimus, ad me miſit, fruſtulum delineatũ hîc exhibeo: quod fila molliuſcula neri texiq́; apta remittit, & ab alumine ſciſſili tum vero & aluminis vim ſaporemq́; referente, tum falſo & inſipido, quod alumen plumę hactenus vocare ſoliti ſunt Medici, non parum differt.



1 *Amiantus è Cypro.*
2 *Smaragdus Breſilicus, cylindri ſpecie.*
3 *Hammites vel Ammonites, minor, minimis piſcium ouis vel araneorum ſimilis, velutiq; ex arenulis coagmentatus.*

Hîc & alijs aliquot in locis, optime Lector, non vnam ſolùm, vel plures, ſed inſtituto ordini conuenien-

uenientes figuras poſuimus : ſed alias interdū ordinis diuerſi. quoniam à principio cum ſculperētur, non eoſdem quos nunc ſequimur, Ordines propoſueramus. interim te vbicūque opus eſt ad iconem alibi poſitam remittimus, vt facilior ſit venia.

Omnia tamen hęc genera antequā in filamenta ſua reſoluātur, ſciſsilem compagem præ ſe ferunt: Sicut & Entalium à quibuſdam pharmacopolis dictus lapis in Sabaudia Amentū dulce: Amenti nomine nimirum corrupto ab Amianto: non quod verus Amiantus hic ſit, ſed ſimilis ei lapis, eboris inſtar candidus, ſplendens & friabilis, inq́ fila ſolubilis, ſed fragiliora. videtur autem res gypſo cognata. In eo, certo quodam modo præparato, facies & imagines exprimi poſſunt, quæ cum ebore aut ipſa niue candore certēt: quales Petrus Coldebergus Antuerpienſis pharmacopœus doctiſsimus celeberrimusq́ mihi donauit. Amiantum Agricola Germanicè interpretatur Alumen plumæ vul-

Digitized by Google

gò dictum, Federwyß / Pliant / Sala-manderhar: & Amentum amarum à q-buſdam recentioribus dictum addit. Eũdem verò lapidem Asbeston: linũ asbeſtinum viuum, aut Caryſtium: i-tem Poliam, Spartopoliam, Corſoi-dem, Boſtrychitem, & à Quadrigario Alumen vocari cenſet. Encelius A-mianti ſpeciem Katzenſilber, interpre tatur: quod vocabulum Magnetidi & Micæ meliùs tribuit Agricola. Idẽ refert in Hildeshemio tractu lapidem inueniri fuſci coloris, planũ, Ammo-niaci ſalis inſtar ſciſſum: qui tubercu-la ſuperiùs habeat clauorum capiti-bus ſimilia. & ad Haſdam pagum, aliũ huic non diſsimilem, candidum ta-men, & ſine tuberculis. A ſciſsili-bus differunt fiſsilia, quæ non in fila fibráſve, ſed laminas quaſdã ſeu cru-ſtas, vt ligna in ſcandulas & tabellas facilè findunt: ſicut lapis fiſsilis Schi-fer vulgò dictus. In Aſſo Troadis Sarcophagus lapis fiſsili vena ſcindi-tur,

tur, Plinius.

Circulus figurarum ſolus ex vnica linea in ſeſe reflexa conſtat, & angulis caret. Horminodes Plinio ex argumento viriditatis, in candida gemma vel nigra, & aliquando pallida, ambiente circulo aurei coloris appellat.

Totus oriens pro amuletis dicitur geſtare eam, quæ ex ijs (iaſpidum generibus) ſmaragdo ſimilis eſt: & per tranſuerſum linea alba præcingitur, & Grãmatias vocatur: quæ pluribus, polygrammos, Plinius. Meſoleucos eſt mediam gemmam candida diſtinguente linea: Meſomelas, nigra vena quemlibet colorem ſecante per medium: Naſamonites eſt ſanguinea nigris venis, Idem. Sunt ei & Leucochryſi inter Chryſolithos, interueniente candida vena. Veientana Italica gemma eſt, Veijs reperta, nigram materiam diſtinguente limite albo, Idem. ¶ Ophicardelon barbari vocant, nigrum colorem binis lineis al-

Digitized by Google

bis includentibus, Plinius. Ophites tertius Dioſcoridi lineas habet albas.

Praſij genus tertium virgulis tribus diſtinctum, eſt candidum, Plinius.

¶ Perileucos dicitur filo ab ore gēmæ ad radicem vſq; candido deſcendente, Plinius. Inter iaſpidis ſpecies vna *διαφύσεις ἔχει διαλεύκους καὶ ἀργιλεύσας* apud Dioſcoridem. Polyzonos, nigra, multis zonis candicat, Plinius.

Iaſpis polygrammos iam dicta eſt. Res foſsiles quædam lineis diuerſi coloris ornatæ ſunt, ſed quæ effigies rerum non exprimunt, Agricola. Saxa prædura & lineis cinericeis conuoluta effodiuntur prope Suarcebergum oppidum inter Snebergum & vallem diui Ioachimi.

Fluor (id eſt lapis in magno igne liqueſcens) in candido ſubrutilus, Annebergi in metallo argentario repertus eſt, crucis figura: cuius recta pars longa fuit ſeſquipalmum, tranſuerſa palmum vnum, &c. Agricola. Cru-

cem

Digitized by Google

cem autem lineæ duæ latę ſe decuſſan tes efficiunt.

Ad lineæ rectæ rationem pertinēt ſtriæ ac ſtriges dictæ, quibus voces Germanicæ **ſtrimen** & **ſtrich** accedūt: ita autem differunt vt in agro ſulci & porcæ. hæ prominent, illi foſsi cauiq́ ſunt. In columna ſtriata, vt Vitruuius tradit, pars eminula dicitur ſtria: pars caua, ſtrix. Videntur autem ſtriges à ſtrigilum ſimilitudine dictæ, quòd ſimiliter ſulcatæ & canaliculatæ ſint, ſeu carinatæ. Strigiles verò quòd eis corpora ſtringantur ſeu deſtringantur. Strix à ſimilitudine ſtrię, à qua partiū ſitu ſolo differt. Columnarū ſtriges (inquit alibi Vitruuius) faciēdæ ſunt xxiiij. ita excauatæ, vt norma in cauo ſtrigis quum fuerit coniecta, circumacta, ita anconibus ſtriarum dextra ac ſiniſtra angulos tangat. Et alibi: Columnas autem ſtriari viginti ſtrijs oportet. Plinius ſtriam rimoſam dixit: & alibi folia ſtriata, ſcapum moly

Digitized by Google

herbæ ſtriatum, conchas ſtriatas. Ita Dorica columna ſui generis ſtriaturæ habebit perfectionem, Vitruuius.

Strias Græci ἐξοχὰς dicunt: ſtriges verò ἐσοχὰς, Germani Holkälen, quod caua quædam, ceu canaliculi, & ſulcatim facta ſint. Lineæ quidem propriè dictæ latitudine carent, ſtriæ ſtrigesq́; aliquam, perexiguam tamen ſæpe habẽt. Res foſsiles partim planæ ſunt, vt lapis ſpecularis & magnetis: partim conuexæ, vt aëtites, Agricola.

Curuitas & rectitudo, differentia figuræ propria eſt. Lapides quidam inter Oſteocollos à nobis dictos, curui natura inueniuntur, vt & inter Belemnitas ſiue natura ſiue iniuria nos latente. Curuo & recto etiam aliqui adſcribunt, τὰ ἑλικοειδῆ καὶ κωνοειδῆ καὶ φακοειδῆ τῶν σχημάτων: καὶ τὰ τοιαῦτα ἅπερ μικτὴν ἔχει τὴν φύσιν ἐξ εὐθέως καὶ περιφεροῦς, ὡς καὶ οἱ γεωμέτραι φασὶ, Simplicio teſte. Tales autem figuræ tum in alijs quibuſdam lapidibus, tum conchis

&

& in ſumma teſtaceis dictis, lapideis præcipuè, inueniuntur. Κωνοειδὴς eſt Belemnites: Strombus lapideus, ἑλικοειδής. φακοειδεῖς verò ſunt Muſculi cóchæ, & Tellinæ, aliæq́ huiuſmodi.

Rara, μανά, vt idem Simplicius docet, dicũtur corpora, quorum partes adeò inuicem diſtant, vt aliud quodpiã corpus (εἰσφερόμενον) illabi aut inſeri (παρεμπίπτειν) queat: ſicuti Spongia, Pumex: & alia eiuſmodi quæ foraminulenta, & poris ſeu meatibus conſpicuis plena ſunt. Denſa verò, πυκνά, his contraria ſunt: vt aurum, ferrum. Quare duo hæc non tam ad figuram, quàm ad partium ſitum, & mutuam earum diſtantiam pertinent: vt figurę diſcrimen ab his non propriè, ſed per accidens petatur: quemadmodum etiam ab aſpero & læui. Læuis enim dicitur ſuperficies, propriè ac primò, cuius partes æqualiter & recta linea diſpoſitæ ſunt, vt in polito marmore. Sic læuitas, qualitas aut poſitio partiu-

um fuerit, media inter ἐσοχὴν & ἐξοχὴν. Aſperum verò, τραχὺ, dicitur, cuius in ſuperficie partes, inæqualiter ſitæ ſunt, cum aliæ promineant, aliæ deficiant. Porrò craſſum, παχὺ, (quod indocti multi cum denſo confundunt,) non ad partium ſitum, ſed corporis profunditatem refertur: cui aduerſatur tenue, λεπτόν. Caui etiam, de quibus iam dicetur, rotundi ferè ſunt.

Caui intus

Ad figuram etiam cauitas pertinet. Caui autē ſunt lapides nonnulli, præſertim qui ceu fœtu grauidi, corpus aliud in ſe continent, vt aëtites, geodes, & enhydros. Cuius rei cauſa eſt, docente Ge. Agricola, & materiæ varietas: & quòd eadem magna ex parte ad figurā globoſam aut quàm proximam accedat. Sunt & Smaragdi quidam concaui, eodem teſte.


Rotundi.

In Cuba inſula orbis alterius lapides exactè ſphærici naturæ ſolius beneficio abundant, Cardanus. Tales etiam


etiã pictos tres Io. Kentmanus ad me miſit, aptos, qui pro plumbeis pilis ad bombardas ſiue bellica tormenta in vſum recipiantur, coloris fuſci, punctis referti partim albis, partim nigris: eorum maximo dimetiens eſt trium digitorum, minimo pollicaris. Reperiuntur autem in ditione Comitum Manſfeldenſium, duriores & grauiores quàm vulgares lapides. Iconẽ ponemus paulò poſt.

Rotundiſsimi ſunt† Alectoriæ, & alij fabæ comparati, de quibus infrá. Icon eſt capite 6.

Aëtitæ etiã ab aquilis dicti, quòd in eorum nidis reperiri credantur, rotundi plerique ſunt: magnitudine, colore & ſubſtantia, differentes: quorum hîc differẽtias tres ex meis, quos domi habeo, expreſſas, exhibeo. Aëtitæ.



1. Maior, rotundus ferè, oui magnitudine, ſed rotundior, cum anſa quadam ceu vmbilico: è qua enatus, eâdemq́; ſaxo alicui adnatus fuiſſe videri poteſt. 2. Alius rotundus, minor multò, & ipſe vmbilicatus. 3. Latus & planus: ſuperficie nigra, aſpera, & veluti arenis q̃buſdam, quarũ aliquæ ſplendẽt, obſeſſa. Appoſitas icones duas à Chriſtophoro Encelio mutuatus ſum: qui de prima ſcribit: ſe



hanc

hanc Aëtitæ ſpeciẽ inueniſſe aliquando ſolam (nudam) extra matricem, pilei ferè forma. De altera verò: Aëtitæ ſpecies ſexta (inquit) inuenta à me ad Albim, prægnans eſt candido ſilice: cuius matricem cum aperirem, inueni ſilicem tali forma, candidũ, ſubrotundum in longum, duriſsimum, quaſi ad caput alicuius animalis adhæſiſſet: erantq; in eius ſuperficie cellulæ, quaſi apum in fauis. Geodes hic lapis propriè dicitur, cum terram continet: Aëtites, cum lapidem aut arenam: etſi hoc nominum diſcrimen non ſemper ſeruatur. Aquam ſi contineat, Enhydros vocabitur. Reperitur in aliquot Germaniæ locis, & in Gargano Apuliæ monte: vnde etiam allatas ſpecies eius tres Valer. Cordus in Sylua Variarum obſeruationũ, (quã cũ reliquis eius operibus edidimus,) deſcribit. Qui inſunt lapilli ſi fortè adhæreſcant, non ſonant: ſed ſoluti duntaxat. ſoluuntur autem ætatis p-

Digitized by Google

greſſu, vbi interiora magis ſiccata fue rint, & lapides veluti maturuerint.

Adulterantur interdum & finguntur arte, nos lapidem fictitium, cui epiſtola incluſa erat ab eo qui finxerat, vidimus. Lapis (inquit Agricola) quem Taphiuſius Aëtites in ſe continet, vocatur Callimus: nec quicquã, inquit Plinius, tenerius. Nec verò Pæantides, Gemonides etiam vocatæ, nec Ciſsites, nec Gaſidane, alij ſunt lapides quàm Aëtitæ candidi, &c. Plura apud Agricolam leges libro quinto de natura foſsilium. Callimus in Geode inuentus, tres ferè facies humanas referens, ponetur infrà capite vndecimo, incluſus annulo.


Callimus.

1. *Globus naturalis, pro bombardis, de quo ſuperiùs ſcripſimus.*
2. *Geodes reſonans, ſubrotundus.*
3. *Alius non ſonans, terra crocea plenus.*
4. *Quartus cum ferramento igniario adiuncto, ſilex igniarius, ſiue pyrites ſterilis eſt.*


Geodes

Digitized by Google

.1. .2. .3.











Gæodes Miſnenſis oblongus, continens harenam induratam: inuentus eſt in Ludo illuſtri Miſnenſi, cum effoderetur vinaria. Impoſitus aquæ ſtridorem varium emiſit. Huius quidem picturam Kentmanus ad me dedit, digitos quatuor latam, longã verò ſex: colore rubiginis quæ radi cœperit, &c. Enhydros eſt rotunditatis abſolutæ, in candore leuis: ſed ad motũ fluctuat intus in ea veluti in ouis liquor, Plinius. Vidi ego lapides pla-


nè rotũdos, magnitudine & figura auiũ quarundã ouis pſimiles, maculoſos (ni labat memoria) vt Coturnicũ oua: quos qui habebat, ad facilẽ reddendum partum conducere perſuaſus erat.

Eſt & Iudaicus vulgò dictus lapis, oliuæ penè ſpecie ſubrotundus: de quo vide infrà capite IX. Item Bezar vel Bezoar lapis, è capite aut ventriculo Indici cuiuſdem animalis, vt putant: & Lachryma cerui credita, de quibus etiam ſuo loco agemus inter lapides eos, qui ex Quadrupedibus animantium petuntur. ❡ Enorchis quoque rotundus eſt, Agricola Hodenſtein (quod nomen etiam pyritę rotundo aliqui tribuunt,) interpretatur. Videtur autem lapis maior & informis, qui alium rotundum ac teſti ſimilem in ſe contineat, Enorchis potiùs appellandus: orchis autem, qui continetur. Sic Entrochus etiam & Trochites diſtinguuntur.

Lapi-


Digitized by Google

Lapidē cuius hæc figura eſt, Ioannes Kentmanus miſit, durū, ſplendidum, pallidum, læuē, grauem.



Enorchis Agricolæ candidus eſt,& fragmentis teſtium ſimilis: (hoc eſt, fragmentis ſuis in quæ frangitur vel diuiditur, teſtium ſpeciem præ ſe ferens:) ſed nec fulget,nec pulchro colore nitet. ¶ Non procul Rotuilla oppido Heluetijs finitimo & confœderato,lapis rotundus,& pani cibario ruſticóve maximo ſimillimus reperitur,ambitu ferè,ſi bene memini,dodrantum quinque, in medio protuberans parte ſuperiore, Teüffelsleib, hoc eſt,Dæmonis panem nuncupant incolæ agreſtes:& ſi equus de hoc lapide impoſitum ſalem lingat, lumbricos pelli credunt. ¶ Pyrites æneo colore. ¶ Pyrites ænei colo-

ris, alius informis eſt, alius rotundus, & ipſe à teſtium ſimilitudine Hoden-ſtein quibuſdam dictus: alius quadratus, isq; vel cubicus, vel altera parte longior, &c. vt in iconibus adiũctis apparet.



Quartus ex eis incertæ eſt figuræ, veluti mixtus ex figuris diuerſis inuicem conſertis. Primi & rotundi ſuperficies inæquabilis eſt, angulis multis prominentibus. Pyriten recentiores Marchaſitam vocãt, noſtri corrupto nomine Martiſtein. Ad Pyritas fortè referri poteſt Othonna dictus quibuſdam lapis in Aegypto, exigua magnitudine, æreo colore, &c.

Quin & Thyites mortarijs aptus ab Agricola rotundus eſſe ſcribitur.

Rotundi quodammodo vel ſubrotundi ſunt etiam ſilices multi, (mul-

tis

tis enim nulla certa figura eſt,) præci
puè qui in fluuijs & ripis inueniũtur.
qui etiam ex aquæ volutatione angu-
lis amiſsis rotunditatem acquirere vi
dentur. Scio ſilicis nomen latiùs patê
re, & ſimpliciter pro ſaxo & marmo-
re quandoq; poni. Ego hîc de vero ſi-
lice loquor, quem Kiſel vel Kiſling
noſtri vocant, tranſpoſitis literis: alij
Hornſtein, id eſt, corneum lapidem,
ſiue à duritie, ſiue à colore cornu. Is
plerunq; durior eſt marmore, vt do-
cet Ge. Agricola, & non rarò eius in-
ſtar ſplendet. ſed, quia ferro tractatus
diſsilit, ad ſcalpturas aptari non po-
teſt. quoniá verò durus eſt, ex eo ictu
ferri facilè ignis elicitur. Tam in venis
metallicis quàm proprijs naſcitur. E-
ius ſpecies coloribus diſtinguuntur.
eſt enim vel cornei coloris, vel candi-
dus, vel cinereus, vel fuſcus, vel ater,
vel rutilus, vel iecoris colore, vel cœ-
ruleus. qualis Langouicij vtrinq; iaſpi
dis venam complectitur. Omnis autẽ

Digitized by Google

ſilex igne liqueſcit, ſed in ardentiſsimis fornacibus, (*quare & fluor potiùs, quàm lapis ſimpliciter fuerit,*) aliter ignem patitur: ſed & pluuias, & hyemes. quo circa ſi ferro facilè tractari poſſet, vtiliſsimus eſſet ſtructuræ, in ſternendis verò vijs & igne vſum præbet. Hæc ille. Videtur autem vno ſilicum nomine appellare, tum illos quorum frequentior ad ignẽ elidendum vſus nobis eſt, Feürſtein, (qui propriè ſilices dicantur:) tum alios quibus viæ ſternuntur, Kißling/Beſetzſtein. quos Encelius etiam vno Silicis communi nomine comprehendit: ſpecies verò duas facit, libro 3. operis de re metallica, capite 77. Calculus, inquit, ſeu ſcrupulus, [ſed ita fortè minutiores tantùm huius generis lapides vocari debẽt,] qui verè ſilex eſt, reperitur ad flumina & inter arenas ad torrentes, interdũ coloris candidi: cuius vſus etiam eſt ad alia quàm ad ignem excitandum. interdum coloris flaui, impuri, non-

nun-

Digitized by Google

nunquam crocei. interdum coloris nigri, nonnunquã lineis candidis pulcherrimè inſignitus. Ab hoc differt ſaxum cornutum Germanis dictum, Hornſtein: aut Feürſtein, quia illo potiſsimùm ignis excutitur: cuius partes interdum ſunt continuatæ, vt vnã ab altera viſus diſcernere nequeat: interdum partes eius ſunt cõſpicuæ aliqua interſectione. Reperitur in fodinis: itẽ ad flumina, vt ad Albim, in agris in Saxonia, in cuniculis calculorũ. Eſt verò variarũ ſpecierum: coloris cãdidi, nigri, cœrulei, ruffi, purpurei, cornu coloris, flaui, crocei, liuidi: foris candidi, intus nigri: variarum proportionum: ſunt enim longi, lati, magni, parui, ramoſi in modum coralliorũ: reperiuntur & in modum cornu, [*ramoſi nimirum.*]

Silices quibus vici ſternuntur per oppida, cum pluuia abluti ſunt, fuſci, nigri, virides, rubri, & alijs coloribus pulchrè diſtincti apparent†. Viuum

† Plura de his lapidi-

b⁹ leges infrà, ſub finem huius Capitis, vbi de Fluoribꝰ dictis agitur.

lapidem (Silicem nimirũ) aliqui collis Quadrupedum annectunt, pro amuleto aduerſus rabiem, vt Gratius poëta teſtatur. Pyritæ vulgares ſteriles, quorum præcipuus ad ignem elidendum apud nos vſus eſt, colore in ruffo palleſcente, ad duas aut tres libras medicas magnitudine ferè accedunt, aliqui certa figura ſubrotunda aliáve, ſunt: aliquibus aliquid prominet, alijs nihil, aut minimum. Debet autem cruſta eorum exterior malleo alitérve decuti. interior em̃ pars aptior eſt igni excutiendo. Calculi albi in ripis fluuiorum & torrentiũ, in pollinẽ triti, pila magna vt figulorum, aut in molis, optimum dentifricium præbent. Iidem poliri poſſunt, & perforari, ad globulos precibus numerandis deſtinatos. ¶ Orites ſpecie globoſa eſt, Plinio: ego gleboſam, id eſt, glebæ ſimilem legerim. ¶ Rerum foſsilium (inquit Agricola) aliæ ſunt rotundæ globi inſtar, ſed modò abſo-

abſoluti, vt Thyites, qui inter Syenen & Philas inuenitur: modò compreſſi: nunc verò aliquid habẽtis eminẽs, aliquid lacunoſum. quales lapillos è venis ereptos aquarũ vis ad ripas deferre ſolet. alijs dimidiati globi figura eſt, vt Callai & Aſtroitæ. quædam in metæ figuram, quædam in turbinis formatæ. illam exprimunt lapides & ſucci cõcreti ſtirijs ſimiles, qui ſtant in ſpelũcis: hanc qui ex earum cameris pendent. Hæc ille. Sunt & Chelidoniæ ceu globuli dimidiati, vel lenticulę hemiſphæricę: & his multò maiores Chelonitides Ombriæq́; Bufonum lapides vulgò dicti: hisq́; rurſum maiores Echinitæ, & Ouum anguinum Plinij, ſi rectè nomino. Iudaici verò lapidis ſpecies quædã ad glandis formam accedunt: vide infrà capite 9. Lapis Iudaicus probatur metæ ſtriatæ forma, tener & friabilis, Syluius. Belemnitæ & Lyncis lapidi quorundam, & Ceraunio apud quoſdam

Digitized by Google

dicto ſeu Aſtrapiæ, pyramidis figura

Strombi. eſt. Strombi Concharum generis lapidei, infrà non omittentur.

Cylindri. Cylindri modo teretes ſunt Berylli & Syenites, Agricola. Sunt qui Beryllos ſexangulos faciant: ſed ea figura artis & ſcalpturæ videtur. In Sipylo monte naſcitur lapis ſimilis cylindro: quem filij pij in delubro Matris deûm ſi repoſuerint, ſuam erga parentes pietatem, & in cognatos benignitatem perpetuò retinent, Plutarchus de fluuijs. Smaragdus Breſilicus, cylindri ſpecie, ſtriatus, vitro ſimilis, porracei coloris, perſpicuus, exhibitus eſt ſuprà cum Amianto Cyprio.

Trianguli. Gemmæ quædã triangula naſcuntur figura, Agricola.

Quadrati. Saxum durum, magnas rupes faciens, eſt circa Thermas Caroli quarti, & prope Elnbogen oppidum, candidis veluti teſſellis immixtis varium, Val. Cordus. Sal gemmeus plerunque

Digitized by Google

que teſſeras aut cubos refert. Quadrati etiam aliјq́; anguloſi ſeu angulati lapides reperiuntur: in quibus figuræ ſimpliciter ſimilitudo potiùs intelligitur, quàm rei alicuius naturalis aut artificioſæ: etſi quadratos lapides teſſellis quidam comparant, cum nó ſolæ teſſellæ tales ſint. Amphitane alio nomine appellatur Chryſocolla, in Indiæ parte, vbi formicæ eruunt aurum, in qua inuenitur auro ſimilis gẽma quadrata figura, &c. Plinius. Pyritæ quoq; quadrati inueniuntur in fluuijs & riuis, aut lapidibus quibuſdam incluſi. Androdamas quadrata eſt, & ſemꝑ teſſellis ſimilis Plinio. Quadrangulam verò figuram oblongam, quam Græci ἑτερομήκη vocant, nó memini in lapidum genere aliquo inueniſſe, cui propria & natiua dici poſſet: niſi quòd Cotes quaſdam hac figura reperiri, alias è maioribus ſaxis exciſas in eandem redigi Agricola ſcribit.

Pentagonus. In Hildeshemio tractu, &c. in lapidicinis marmorũ inuenitur lapis pentagonus, à quinq; angulis quos habet appellatus. Similiter hexagonus, cui Hexagonos. ſex ſunt anguli. vterq; verò eſt candidus: plerunq; latus ſeſcunciam, planus, ſed in medio habens alueolum: cuius margo, vt in tabula luſoria, vndique eſt altior. At in medio alueolo eſt punctum: à quo radij ad extimam partem, ſicut in trochitis procedunt, Agricola libro 5. de natura foſsilium.

Pentexoche ſeu Meſpileus apud me eſt (inquit Cardanus in libro de Gemmis) colore fuſco: durus, magnitudine meſpili, dicas meſpilum in lapidẽ tranſiſſe. Vbi ſtriæ è vertice deſcendũt, lapis buxeo eſt colore, quòd partes illæ attritæ ſint. Morion. De Morio ſexangulo, dicemus inferiùs inter Fluores hoc in capite.

Cryſtalli. Mira præcipuè ſua cryſtallis figura eſt. Interdum vni cryſtallo (inquit Georg. Agricola) magnæ & perfectæ, agna-

agnaſcuntur plures paruæ & imper-
fectæ ac quaſi dimidiatæ, quibus triã-
gula latera videntur eſſe, cum alioqui
cryſtallis ſexangula ſint, ſed maxima
ex parte inæqualia. etenim ex eis ſæ-
pius bina tantùm lata ſunt, quaterna
ſtricta: rariùs quaterna lata, bina ſtri-
cta. quodq; verò latus ſtrictum eſt è re
gione ſtricto, quodq; latum lato. O-
mnis inſuper cryſtalli mucro, ſimili-
ter ac reliquum corpus eſt ſexangu-
lus: ſed in hoc differt quod latus ſtri-
ctum, non ſemper eſt aduerſum ſtri-
cto: ſed interdum latum eſt contrariũ
ſtricto. Ac mucro plerunq; exiguam
partem habet cryſtalli: magnam, reli-
quum corpus angulatum. Verunta-
men quibuſdam cryſtallis, quæ Blo-
chebergi inueniuntur rupibus adhæ
rentes, contrà magnus eſt mucro, cor
pus exiguum. Lateribus pręterea tam
mucronis quàm reliqui corporis, niſi
ſcabricie infeſtantur, fermè tantus eſt
læuor, vt vix arte poſsit æquari. Hæc

Digitized by Google

ille. Ex tribus iconibus hîc adiectis,

.1.



.3.



.2.



prima & maxima, ſimpliciter Cryſtalli eſt, cui figura omnino ſua natiuáque eſt: tertia Pangonij cognomine, cui artificis manus angulos duodecim addidit. Tertiam & minimam Guilielmus Gratarolus Bergomenſis, philoſophus & medicus clariſsimus mihi donauit. eſt autem tantilla, quanta hîc pingitur, vtrinq; ex æquo mucronata, ſiue natura, ſiue arte: de quo dubito. cæteræ enim cryſtalli omnes, ni fallor, ab vna ſolùm parte in mucronẽ exeunt: baſis craſsior & informior eſt, qua ceu radice ſaxis & rupibus montium ſiue enaſci ſiue innaſci ſolent. Hanc Gratarolus in Baldo monte qui prope Veronam eſt, repe-

Iris. riri monuit: & iridem potiùs ſibi vide-

ri quàm cryſtallum, etſi cognatam generi Cryſtallorum. Sexangulam quidem eſſe Iridem, vt Cryſtallum, conſtare ſcribit Plinius. Plura de Iride adferemus infrà Capite tertio. Cryſtallorum quidem fragmēta apud me ſunt, ex quibus vnum ſuperficiē ſcabram & ſtriatam habet, Iridis fortè genus. nam Cryſtalli leuiſsimę eſſe ſolēt.

Aliud rimam intus latentem habet, ex caſu aut ictu aliquo nimirum, (noſtri vocant erbellt,) & ea parte iridem, id eſt arcum cœleſtem coloribus repræſentat, quod & alijs puris ac pellucidis corporibus accidit. Aliud intus veluti niuem habet. Aliud colore infumato & ſubfuſco in ruffum tendit. Plures interdū cryſtalli paruæ ſimul naſcuntur chœradū ſeu ſtrumarum inſtar, magnitudine inæquales. Angulis, & ſecundum eos figura Cryſtallus à Cryſtallo plurimùm differt. Radix ſeu baſis in quibuſdā albicat, non pellucida vt pars ſupe-

Digitized by Google

rior. Ignis ex omnibus elidi poteſt.

¶ Indi mirè gaudent longitudine Beryllorum: ſolosq́ gemmarum eſſe prædicant, qui carere auro malint, & ob id perforatos elephantorum ſetis religant. Et alios conuenit non oportere perforari, quorũ ſit abſoluta bonitas: ideoq́ cylindros ex ijs facere malunt quàm gemmas. quoniam eſt ſumma commendatio in longitudine. Quidam & anguloſos putant ſtatim naſci, & perforatos gratiores fieri, medulla candoris exempta, &c. Plinius. qui etiam Berylli ſpeciem quintam Cryſtallis ferè ſimilem eſſe tradit: & Indos cum alias gemmas Cryſtallo adulterare, tum præcipuè Beryllos.

Beryllі.

Ex recentioribus Marbodæus Beryllum hexagonam facit: Franciſcus Rueus forma ſexãgula eas ſculpi ſcribit, quò color alioquin hebes & languidus, angulorum excitetur repercuſſu. Alberto Magno Beryllus candida eſt, & tranſparet inſtar aquæ: qđ

forte

fortè de ſeptima ſpecie Cryſtallis ferè ſimili apud Plinium accipi poteſt. nã prima ſpecies viriditatem (γλαυκότητα potiùs, id eſt, glaucum vel cœruleum dilutum colorem) puri maris imitat̃. Secunda paulo pallidior eſt, in aureũ colorem exeunte fulgore: vnde Chryſoberyllus dicitur. Tertia Chryſopraſus, pallidior eſt. Quarta Hyacinthũ æmulatur. Quintã aëroidem vocant, [colore nimirum albicante cum parciſsimo cœruleo, qui dilutior fortè eſt quàm glaucus.] Sextam cerinam, à ceræ colore vt conijcio. Sic omnis Beryllus vel pallidi, id eſt, lutei coloris fuerit, vel cœrulei, plus minúsve, vltima excepta. ¶ Quibuſdam etiã mucro ſexangulus eſt, vt plerunque cryſtallo, interdũ Adamãti, Agricola.

DE BASALTE LAPIDE, QVI angulis conſtat, minimùm quatuor, plurimùm ſeptem.

Lapides anguloſi plures coagmentati, Ba-


Digitized by Google

ſalten repræſentant: cuius hanc figuram Ioannes Kentmanus mihi communicauit. E *ſubiectis verò duobus paruis, minor Adamãtis Cyprij nomine ex Italia ad me miſſus eſt. eſt autem vilis lapillus, aut fluor potius, Adamanti vel Cryſtallo perſimilis, albus, pellucidus, purus. Maioris mẽtio fiet infrà mox poſt finitam de Baſalte tractationem.*

Plinius lib. 36. cap. 7. inter marmora: Inuenit (inquit) Aegyptus in Aethiopia quem vocant Baſalten, ferrei coloris atq; duritiæ. vnde & nomẽ ei dedit. Nunquam hic maior repertus eſt, quàm in templo Pacis, ab imperatore Veſpaſiano Auguſto dicatus: argumento Nili xvj. liberis circà ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incremẽti augentis ſe amnis eius intelliguntur. Non abſimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, vt putant Memnonis ſtatua dicatus: quem quotidiano Solis ortu contactũ Solis radijs crepare dicunt. Hæc ille.

Quinq;

Digitized by Google



Digitized by Google

Quinque angulis conſtat etiam Baſaltes Miſenus, [alij Stolpenſem, aut Annebergium cognominant,] ſed is variat numero angulorum: minimùm enim quatuor, ſummùm ſeptem habet, Agricola. Idem ab initio libri 6. de nat. foſſilium, (vbi paruos quoſdã lapides, & gemmis ferè adnumeratos, à magnis quibuſdam ſola magnitudine differre ſcribit,) Sideriten (de quo nos plura inferiùs capite 4.) eundem Baſaltæ facit. Et alibi, Baſalten vix vulnerari: vt Adamantem omnino non.

EX EPISTOLA IOANnis Kentmani ad me.

Hic Baſaltes eſt, qui Stolpæ [*Stolpa eſt arx Electoris Saxoniæ Auguſti in finibus Bohemiæ, tribus miliaribus à Dreſda diſtãs*] creſcit, forma & craſsitudine tigni mediocris, ſingularis quidem, ſed copioſus, atque ita iunctus coaptatusque, veluti ab arculario arte commiſſus eſſet.

Septem

Septem, ſex, quinq; nónunquam, ſed rariùs quatuor angulorum, omnino figura trabis erectę, foris leuis & tactu minimè aſper, ferrugineus, ponderoſus, duritie velut Adamantis. His lapidibus ſic coagmentatis è terra vlnas decem & ſeptem extantibus, arx Stolpa cum adiunctis ædificijs inſiſtit, aëri vndiq; liberè expoſita. Inde fruſta decutiuntur magna vi, quibus fabri ferrarij, bractearij, (qui aurum cudũt, ad eius extenuationem,) & librorum colligatores, ad artificia ſua incudis vice vtuntur. Verùm ea prius ſic ad vſum aptari neceſſe eſt. Poſtquam decuſſa ſunt, reſecantur ſerra non dentata, ſed hebeti & obtuſa. inter ſerrandum arena continuè interſeritur, liquore deſuper ſtillante, nec diſſecari hoc modo octiduo citiùs poſſunt, nec minori quàm trium aureorũ noſtratium precio. Porrò quanto ſpacio intra terram condantur, nemini adhuc eſt exploratum. Quod ad no

Digitized by Google

men, vir quidam eruditus Biſalten hunc lapidem nominandum conijcit,(non Baſalten,) à Biſaltia regione Thraciæ aut Macedoniæ: cuius Plinius, Suidas & Stephanus Grammaticus meminerunt: ita vt Lydius à Lydia & alij ab alijs regionibus nomen habent. Sed obſtat, quòd veterum nullus, hoc aut aliud marmoris genus in hac regione inueniri tradiderit, cũ lepores in ea gemino iecinore capi non tacuerint, ne Biſalten quidem lapidẽ, qui magno olim in precio fuit prætermituri, ſi illic extaret. Verum eſt quidẽ hanc Macedoniæ partem metallis claruiſſe: At non ijſdem in locis metallorum & marmorum copia eſſe ſolet. Ego verò exiſtimo noſtrum Stolpenſem lapidem, multùm referre ipſum Lydium lapidẽ coloris ferrei: habeo enim de iſto lapide particulam quandam politam,(de qua & tibi nonnihil tranſmitto,) quem politum experior omnia metalla, non minus ac noſtrũ lapi-

lapidem Indicem, vt vocāt recipere: in quo ſimul gradus & diſcrimina metallorum quantum alterum alteri præſtet, æquè ac in peregrino Baſano, perſpicuè cognoſci poſſunt. His omnibus conſideratis, non immeritò Miſenus βάσανος vel Baſaltes Miſenus dici poteſt, ein Meißniſcher probierſtein/ oder ein Meißniſcher harter eyſenfarbner Marmor. Non dubium eſt autē quin vocabulū ipſum Baſaltes ſit corruptum nomen Aegyptiacum, idq́ coijcio ex verbis Plinij, vbi dicit: Quē Aegyptij vocant Baſaltem, ferrei coloris atq; duriciei, vnde & nomen ei dederunt. & ſine dubio illud nomen à βάσανος ſumpſerunt, quod eſt lapis Lydius, qui eſt coloris & duriciei ferreæ, in quo aurum & argentum artifices explorāt, à verbo βασανίζω, quod explorare ſignificat: niſi contrà potiùs verbum hoc à lapide factum ſit.

Marmoribus adnumerat.

Hæc Kentmanus ad me: qui huius lapidis etiam fragmenta miſit, & po-

litam ex eo coticulam, in qua ducti in eo auri, argenti, & aliorum metallorum indicia tam clarè apparent, vt alio quàm Coticulæ Baſaníue nomine hunc lapidem nominare indignũ videatur: præſertim cum nomen aliud eius nullum, vlla in lingua cultiore, quod ſciam, extet. Nam apud Græcos nemo prorſus eius meminit, ni fallor: inter Latinos verò ſolus Plinius ſemel, non Latino, ſed Aegyptio aut Aethiopico potiùs Baſaltæ nomine vſus. Et ne Germani quidem illi, apud quos naſcitur, peculiari aliquo nomine indigetant. Eoq́ amplius doctiſsimi Kentmani induſtriæ debem⁹, qui lapidis huius naturam, & alia alijs in linguis nomina, quibus vocari meritò poteſt ac debet, nobis omniũ primus oſtendit. Cuius equidem cóiecturæ tãto facilius ſubſcribo, quòd Aethiopicam linguam Hebraicæ finitimam eſſe nôrim. Barſel autem Hebræis ferrum ſignificat: Barſeli, ferreus:

us: vnde & Baſaltæ & Baſani lapidum nomina detorta ſuſpicor: & Baſano minori lapidi arte facto politoq́ꝫ, (nō Sideritæ vt Agricola putabat,) eundē eſſe Baſalten. Etſi verò Siderites Plinij, Adamanti cognatus, non ſit, niſi ego fallor: eodem tamen nomine vocari poterit, quod ferrum colore ac duritie æmuletur: & Germanicè etiā ein Eyſenſtein. nam Goldtſtein & Probierſtein, tum demum rectè appellabitur, cum iam ad aurū argentumq́ꝫ probanda in coticulam formatus & politus fuerit. Videtur autem rectè à Plinio marmoribus adnumerari, & marmor potiùs quàm ſaxū eſſe. Marmor enim (quod in omni ferè lingua ſuam appellationem retinet,) omne durum eſſe debet, & poliri aptum ad ſplendorem: vnde ei nomē apud Græcos, μάρμαρος παρὰ τὸ μαρμαίρειν. Hebræi Schaiſch vocāt, nomine ad ſaxum accedente. Cæteris tamen marmoribus nulla certa figura eſt, qualis eſt Baſal-

tæ: vt eo nomine, ſi quis lapidis genus peculiare hunc facere, aut communiori nomine petrā potiùs quàm marmor ſaxúmve appellare velit, litigare nolim. Galenus quidem libro 9. de ſimplicibus medicamentis, πέτρα nomen in genere duris minusq́ duris lapidib⁹ tribuit, quòd veteres πέτραν ἀσίαν dixerint, & è petra vſta calcem fieri: Tarantinum verò & alios quoſdam reprehendit, qui petræ nomē ad vnā ſolùm lapidis duriſsimi, & è qua ſola calx fiat, ſpeciem aſtringunt.

His ſcriptis incidi in Agricolæ locum libro 7. de nat. foſsilium, quē hîc adſcribēdum cenſui: Natura, inquit, pilas gignit, modò teretes, cuiuſmodi ſunt Syenitæ lapidis in Thebaide inter Syenen & Philas: modo angulatas, cuiuſmodi in Miſena Baſaltæ. Vtræq; autem ſunt arctiùs inter ſe iunctæ. in Thebaide tamen interdum ſolitariæ quædam. Vtrobiq; alteræ in alteras videntur eſſe impoſitæ, & quidē mino-

Syenitæ lapides.

minores in maiores. Sed ex Miſenis maximæ ſeſquipedem craſſæ ſunt, altæ pedes quatuordecim: ex Thebaicis maximæ duodecim pedes craſſæ: altæ interdum pedes centum, aut amplius, vt ex obeliſcis, quos ſtatuerunt reges Aegypti poteſt intelligi. Hæc ille: qui alibi etiam, Miſenum Baſaltem Aethiopico neq; colore, neq; duritie cedere ait. Coticulæ ergo, vt diximus, è Baſalte fiunt aut fieri poſſunt: inueniuntur tamen eędem ſtatim ſuę, in fluuijs: olim in Tmolo omnes: hodie in riuis Hildesheimijs & Goſelarianis, &c. Vide Agricolam libro 5. de nat. foſsilium. Coticulæ.

Pyritæ octaedri & dodecaedri inueniuntur quidã. In Prouincia Galliæ montem altum eſſe audio Marinaux nomine, in quo Cryſtalli aut ſimiles eis hexagoni, vel hexaedri potius lapilli inueniantur, alij albi pellucidi, alij ſubuirides, &c. Talem ferè ruffi coloris, opacum, auellanæ pro-


pè magnitudinis, duriſsimum, Petrus Coldebergus egregius pharmacopola Antuerpia ad me miſit, cuius iconem paulò ante exhibito Baſaltæ ſubiecimus: eſt autem è ſubiectis duobus maior. ¶ Pangonius non longior digito, ne cryſtallus videatur, numero plurium angulorum cauetur, Plinius lib. 37. cap. 10. Agricola dodecagonũ Cryſtallum interpretatur, Ein zwölffeckechter Criſtall. Nos Pangonium ſuprà, non natiuum, ſed artificialem exhibuimus pictum. Cryſtalli ſuccum natura (inquit Agricola) interdum in plures quàm ſex angulos formãs, efficit gemmam, quam ea de cauſa Græci Pangonium vocant. quæ ſi reperit, reperitur autem perrarò, in iiſdem locis in quibus Cryſtallus, ei ſimillima eſſe ſolet colore, facilitate tranſlucida, læuore: ſin in proprijs, plerunque obſcura, & vndique paruis cauernis, quaſi fauulis, plena. qualem Allera & Ochra fluuij deferunt, duodenis natum

Pangoni⁹.

tum lateribus, æquè ac Cryſtalli deſinentibus in mucronem. Etſi verò Plinius tradit eam non longiorem digito eſſe, tamen nonnunquam longior eſt: ſed breuior ſæpius.

DE FLVORIBVS, QVOS Germani vulgò vocant flüß: *vnde & Latinum nomen finximus.*

De fluoribus etiam dictis hoc capite agere voluiː quoniam illi figurã quidem habent, quæ pingi rectè poteſt, ſed incertam pla-



nè & inæqualem. hoc pleriſq; cõmune, vt plures ſimul inæqualiter cohærentes & conglomerati proueniant, chœradum ſeu ſtrumarum quadã ſimilitudine, (kropffsweyß vt noſtri loquuntur:) qua forma tamen non ſoli

fluores, ſed & lapides quidam aut gẽmæ, vt Cryſtalli interdum, naſcũtur: & alio quodam modo **Wallſtein** à ferruminandis oſsibus à chirurgis Germaniæ dicti lapides: in quibus vnus plerunq; lapis continuus inæqualiter protuberans & bullatus hanc ſpeciem repræſentat: in Fluoribus verò multi inuicem iuncti, & qui ſeparari facilè poſſe videantur, etſi qua ſe tangunt fortè connati, ſtrumoſam hanc ſuam molẽ implent. Quare de vtriſq; hoc in loco dicam: ſed de Fluoribus priús.

Fluor cuius hîc figura apponitur, candidus eſt, tranſlucidus, ſplendida ad lucem ſuperficie, mollis & facilè dentibus cedẽs, ſi morſum imprimas, inſipidus feré. ſubſtantiam qualem lapis angularis in ore mandentis relinquit. Ad ignem modicum aut candelam ſi vras, albeſcit lenteſcitq;, calcis ſimilitudine, non liqueſcit. Quod ad compagem, portiones eius plures viden-

dentur ab vno ceu centro oriri. Hic fluor è Miſnia ad me miſſus eſt, vt & alij diuerſi. Huic autem ſimilis albus ad Aquas ſeu Thermas Heluetiorum, quæ Limago fluuio noſtro adiacent, in ſaxis verſus flumē reperitur: qui guſtu primum inſipidus videtur, deinde acrimoniam quandam in ore excitat cum exiccatione, & leuis cuiuſdam ſtrangulationis ſenſu, vt gypſi ferè naturam ei eſſe conijciam, neque carere veneno: quod ſiue ita ſe habet, ſiue ſecus, valde reprehēdendi ſunt ex pharmacopolis, impoſtores illi qui fluores diuerſos pro gummis diuerſis in medicamenta cōijciunt: quod ita fieri ab illis Agricola ſcribit, ſub finem libri 5. de natura foſsilium. Et ibidē, Reſtat (inquit) vt de his lapidibus dicam, quos noſtri ab eo, quòd in ardētes fornaces coniecti fluunt, (facilè enim liqueſcunt igni,) nominauerunt. Eorum tria ſunt genera. Vnum, gemmis ſimillimum tranſlucidis diuerſis.

Alterum eis non multùm ſimile. nam plerunq; non pellucet, rarò partim, rariùs totum. Illud ferè ſparſum reperitur in argētarijs & cæteris metallis: hoc in proprijs venis ſępe copioſum. Tertium eſt, ex quo conficitur vitrũ, [quanquã etiam ex alijs duobus poteſt confici,] arena potiſsimum, ἄμμος ὑαλίτις, &c. Hic lapis ſilice minùs durus eſt: quare ex eo ignis elici non poteſt. non tranſlucet, ſed ipſi multi inſident colores: candidus, ſubluteus, cinereus, fuſcus, niger, viridis, cœruleus, rutilus, ruber. Reperiuntur autem montanis locis ad ripas fluminũ, & in agris quibuſdam paſsim. Rariores, intus foriſq; nigri. Vtcunq; coloratos ſæpenumero alterius coloris venæ interſecant, &c. Hic lapis varium vſum præbet: eo, cuius tandem fuerit coloris, ſternuntur viæ, [Gaſſenſtein & Beſetzſtein noſtri vocant:] cœruleus adijcitur ad cinerem abiegnum, cum ex ipſo fit alter cinis, quo infectores

vtun-

vtuntur. Candidus vritur, tunditur, cribro ſecernitur: atq; ex eo conficiũtur arenæ, ex quibus vitra conflantur, quanto candidiores, tanto vtiliores. At ſecundi generis lapides, tot colores vt primi non habent, & rarò ſuaues. etenim plerunq; in candido pallent, aut nigricant, aut ſublutei ſunt. hos quoniã celeriter igni liqueſcunt, ad venas adijciunt qui ex eis excoquunt metalla. Primi generis propter mollitudinem poliri quidem nõ poſſunt: ſi quos tamen ex eis natura fecit læues, & quibus aptam formam dedit, in annulos & fundum includunt aurificos tanquam gemmas. Hæc ille. Germanicũ quidem nomẽ Flüß, primo tantùm generi & ſecundo attribui video. nam in Germanica interpretatione Metallicorum nominum idem Agricola ſic habet: Lapides qui igni liqueſcunt primi generis, Schöne flüſſe: ſecundi, Flüſſe zum ſchmeltzen/ Flockquertze: tertij, Quertze oder Kiſel-

ſtein. De tertij quidem generis lapidibus, quibus viæ ſternũtur, plura attuli ſuperiùs inter res foſsiles rotundas. Ad Fluores ab eodem Agricola referri videtur etiam Morion lapis, Germanicè enim inquit cõmuni nomine Flüß appellari. Morion (inquit libro 6. de natura foſsilium) ſola ex nigris [gemmis] tranſlucet. Naſcitur in Miſena, ſub Alpibus, in Cypro, in Tyro, in Galatia, in India. Color ei aut nigerrimæ, quæ vocatur Pramnion: aut cum nigro mixtus eſt alius color: nẽpe vel Carbunculi, vel Sardæ; vel Hyacinthi, qualis in Miſena Valcheſteini effoditur. Videtur autem Morion eſſe radix iſtarum gemmarũ: ac ex craſſiore ſucco, qui ſubſidit, fieri. attamẽ ea, quã Pramnium vocari dixi, apud nos inuenta eſt habens Cryſtallinam radicem, cum ipſa eſſet nigerrima: ſimiliter eius mucro. erat enim ei figura, vt Cryſtallo, ſexangula. qualis etiã eſt Volcheſteini repertæ, in quã Hyacin-

Morion.

Pramnion


cinthus deſinit. Hæ gemmę non aliter quàm Cryſtallus ſcalpuntur. Alibi etiam Morion facilè ſcalpi dixerat.

Pramnion fortè à Pramnij vini in Epheſia regione colore naſcẽtis dictũ fuerit. Eodẽ in loco Agricola paulò antè: Vidi, inquit, glebam è noſtris metallis erutam, quæ conſtabat ex Chryſolithis ampliùs ſexaginta, quibus omnibus erat figura quadrata. ſed maxima erat lata vnciam vnam, longa digitos duos: omnes verò adeò molles, vt poliri non poſſent. Sic ipſe. Fuerint autem nimirum hi quoque Fluores, quod tum ex pluribus coniunctis, tũ ex mollicie colligo. De Fluoribus plura Encelius lib. 3. cap. 1.


Poſt Fluores pauca dicã de lapidibus illis, qui ex aquis ortum habẽt, & paulatim ex ijs lapideſcentibus concreſcunt, ſiue ſtiriæ & pyramidis aliqua ſpecie, vbi defluendi locum aqua habet. [Lapides quidam & ſucci concreti ſtirijs ſimiles in ſpeluncis ſtant,

vel in earum cameris pendent, Agricola. Et alibi: Marmor candidum, quod in Germania reperitur, aliquando in ſtirias concreuit.] Siue latiore quadam & cruſtacea forma inhærente: ſicut & lebetibus, vt in balneorum vaſis maximè apparet, & canalibus Thermarum, in quibus aqua calida coqui longo tempore aut ſeruari ſolet, cruſtæ quædam lapideæ inſident. Græcè quidem lapides huiuſmodi ὑδρογόνους cognominârim à recto ὑδρόγονος proparoxytono, cuius ſignificatio paſsiua eſt, & ex aqua genitũ ſignificat. Aquas verò, quæ res ſibi iniectas vel immerſas, in lapidẽ vertendi vim habent, λιθογόνα ὕδατα dixerim, paroxytona voce, ſignificatione actiua, quòd lapides gignant, τὰ ἀπολιθοῦντα. De huiuſmodi aquis lege Senecam Naturalium Quæſtionum libro 3. cap. 17. & Strabonem lib. 13. de aqua in lapidem dureſcente. & Chriſtoph. Encelium de lapidibus ac gemmis libro

bro 3.cap.3. Sic & Thermarum Carolinarum in Boëmia guttæ in calcis gypſiúe ſubſtantiam vertuntur. Chirurgi Germanorum huiuſmodi lapides, ſtirijs præſertim ſimiles, aut cruſtaceos quidem, ſed bullis quibuſdã eminentibus inæquales, Wallſtein appellãt, quaſi oſteocollos dicas: quòd ijs in emplaſtra additis vim oſſa, infantium præſertim, ferruminandi ineſſe exiſtiment. Meminit eorũ in ſua Chirurgia Germanica Hieronymus Brunſuicenſis. Horum ſpecies duas hîc delineatas ſubijcio.



1. *Molaris lapis.*
2. *Oſteocollus cruſtaceus: qui & πλακώδι-ϑ- ficto nomine dici poteſt.*



1. Stiria lapidea: quam Germani ein Wallſtein vocant, priuatim verò ein Tropffſtein, id eſt, ſtillatitium lapidẽ. Hac figura, (pyramide mutila, & mucrone fracto,) lapidem album, grauẽ, durum & ſplendentem intus, ex mirabili quodam ſubterraneo Germaniæ antro, quod Baumanshol appellant, vir genere nobilis, doctrina & virtute nobilior, Ioannes Reiffeſtenius ad me miſit.

2. Silex pertuſus foraminibus aliquot, natura, vel caſu aliquo nos latente. Huiuſmodi autem lapides mulierculæ quædam ſuperſtitioſæ quærunt, circa torrentes & fluuios, ſtoli-

dè

dè perſuaſæ curatum iri vaccas quæ ſanguinem cum lacte reddunt, ſi papillis in hæc foramina immiſsis mulgeantur.


3. Lapilli quidam albiſsimi, perexigui, duriſsimiq́; : quos Petrus Coldebergius pharmacopœus Antuerpia miſit. Gypſelli fictitia voce diminutiua, à gypſi colore, dici poterunt.

Huiuſmodi lapides ὑδρογόνους, Theophraſtus ſentire videtur generari ἐκ συῤῥοῆς, hoc eſt, paulatim ex aquarũ & guttarum confluxu. Vidi aliquando ſtrumarũ quadam ſpecie craſſos admodum, ſplendidos intus & ſubruffos, & fœtentes: quales ad Andelfingam pagum agri Tigurini inueniũtur. Sunt qui ab huiuſmodi aquis tofos & lapides gignentibus, bronchocelas etiam, id eſt, gutturum ſtrumas excitari putent. Lege Iul. Cæſ. Scaligerum Exercit. 60. parte 2. An verò renũ quoq; & veſicæ, alijúe in animalibus lapides crebro earũ potu coire poſ-

ſint,conſiderandum. Amomum coctū cum aquis lapides generantibus, eas expurgare in Euporiſtis Dioſcoridis legimus,lib.2.cap.121.

DE PVMICE, PORO, & Toſo, &c.

.1.



.2



Pumex, Porus & Tofus dicti lapides, etſi ad Spongias fortè Capite de Aquatilibus referri poterant, quod eis ſimiliter multifora (vt ita dicam, ſicut Græci πολύτρητα, & multifores ſpecus Plinius,) ſint corpora, cauis exiguis creberrimis, ſeu cauernulis & foraminibus, plena: hoc tamen loco, in huius primi Capitis fine, eorū mentio-

tionem facere malui: quod pori, id eſt meatus, & caua, cum intrinſeca etiam ſint, & interiora penetrent, figurę differentiam potiùs conſtituere quàm formæ videantur. Forma enim in ſuperficie externa, & externæ figuræ differentijs magis conſiſtit: ea inquam forma quæ vnà cum figura nominatur in tertia Prædicamenti Qualitatis ſpecie. In locis (inquit Agricola libro 5. de nat. foſſ.) qui olim arſerunt, aut etiam nunc ardent, Pumex reperitur, ex terra vel lapide excoctus, & ad hãc figuram redactus: ſicut in Campaniæ monte Moderno & Veſuuio, in Aenaria, in Aeolijs inſulis, &c. Effoditur etiam ad Confluentiam Germaniæ. Pumex autem, quoniam non aliter ac Spongia eſt fiſtularum plenus, dicitur, vt Vitruuius autor eſt, Spongia. Græcis verò *κίσσηρις* vocatur (*ac ſi vermiculatum lapidem dicas*,) quòd veluti à vermiculis (quos *ἶπας* Græci vocitant,) eroſus videatur. Theophra-

Digitized by Google

ſtus etiam Alcyonium, quod ex maris ſpuma concreuit, Pumicem nominat. Differunt autem inter ſe Pumices. nam primo non omnibus vnus color: ſed ſunt aut nigri, aut cinerei, aut candidi. Tum alij molles ſunt, manibusq; teri in arenã poſſunt: alij duri. Deinde omnes rari ſunt & leues, ob fiſtulas, quæ aërem in ſe continent. eaq; de cauſa innatant in aqua: ſicut etiam cęteri lapides pumicoſi, quamuis magni: qualis eſt Tyrrhæus, & alter è Niſyeo inſula: ſi modò hic differt à Pumice in eâdem reperto, &c. Plura de Pumice & trib⁹ eius generibus, Iulius Cæſar Scaliger De ſubtilitate, Exercitatione 134. Pumicis duo ſignificatus, (inquit Hermolaus Barbarus in Dioſcoridem Corollario 960.) alter notus omnibus: altero dicuntur ita & cætera ſaxa eroſa annis, qualia in ædificijs, vt Plinius inquit, Muſæa vocant, dependentia, ad imaginẽ ſpecus natiui arte reddendam, nunc inde

Muſæa.

Digitized by Google

de Muſaica vulgò nominantur, &c. Pumices factitios quoſdam eſſe ſcribit Vitruuius, excocto alio genere lapidis: & in Melo Pumices quandoq; in altero gigni lapide Theophraſtus autor eſt. Agricola Pumicem interpretatur Pims oder Krauſtein. Sed & lapides ex ſaxo arenario facti (inquit) quibus affricamus pedes, vulgò appellantur Krauſtein. ❡ Apud Dioſcoridē probatur Aſsius lapis colore pumicis, (κισσηρώδης τὴν χρόαν,) laxus, leuis, friabilis, &c. Eſt & Phrygius lapis apud veteres dictus; gleba pumicoſa, &c. Acopis nitro ſimilis eſt, pumicoſa, aureis guttis ſtellata, Plinius. In Tmolo monte gignitur lapis Pumici ſimilis, rarus inuentu: qui quater die colorē mutat, Plutarchus de fluuijs in Pactoli mentione. Ego in monte vel colle non procul Rotuilla oppido & Neccaro fl. ſaxa magna vidi, opere ceu Muſaico ſpectabilia natura. ❡ Porus, πῶρος, (per ω cir

Pumicoſi lapides.

Porus.

cunflexum: nam per o breue porus, meatum ſignificat,) lapis idem fortè qui Tofus eſt: hæc dictio, Latina: illa verò, Græca eſt. Sarcophago (ſeu Aſsio lapide) mitior ſeruandis corporibus, nec abſumendis, Chernites eſt, ebori ſimillimus, (in quo Darium códitum ferunt,) Pario〈que〉 ſimilis candore & duritia, minùs tamen ponderoſus, qui Pôrus vocatur, Plinius lib. 36. cap. 17. Pori mentioné etiam Theophraſtus facit: & Ariſtoteles in tertio de generatione animalium, vbi Gaza Tofum vertit: & ante hunc Hippocrates. Plinius in vndecimo (inquit Scaliger) videtur Tofum interpretari, cómemorans Tofum in ventre iuuencarum inuentum. Grammatici Tophũ aiunt eſſe genus lapidis aſperi, qui facilè in arenam reſoluatur. Plinius libro 17. Nam Tophus ſcaber natura. Columella libro quarto arenoſum tophum, & plus iuſto ieiunum ſabulo dixit. Plura de Tofo Scaliger de

Tofus.


ger de ſubtilit. Exercitatione quinquageſimaſeptima. Agricola Germanicè reddit **Toffſtein** vel **Topſtein**, noſtri **Tugſtein** dicunt. Aſsius lapis non eſt durus vt petræ, ſed πωροειδὴς colore & conſiſtentia, Galenus. Πωρέιας λίθȣ, Strabo libro 17. de lapillis lentium ſimilibus, &c.

Ad Pumicis & Tofi ſpeciem proximè accedit etiam Salis illa ſpuma, quæ dum patinæ ingentes ferreæ aqua ſalſa plenæ, ebulliunt, defluere, & in hanc qua exhibemus hîc† ſpeciē, pumicoſam, coire ſolet. Numerus primus ad ſalis ſpumā florémve, quæ in Salinis Burgundiæ colligitur, pertinet: alter, ad eum qui in Salinis Germaniæ in valle Oeni. Nos plura de his in Corollario ad Cordi libellum de Haloſantho.


† ſequente pagella.

1. *Salgemmeus.*
2. *Salis ſpuma è Burgundia.*
3. *Eadem ex Hala ad Oenum.*

Digitized by Google



Ad finem huius Capitis primi, hãc etiam formulã adijcere volui: cuius numerꝰ primus indicat ſaxũ, quod matrẽ Rubinorũ vocant: quoniã in eo Rubini gemmæ innaſcuntur, in



Rubini.

Valle

Valle Ioachimica, ſi probè memini. Id olim Ge. Fabricius miſit. Secundus numerus Sapphirum denotat manubrio plumbeo incluſam, vt ita cómodiùs manu tenentis medici hac gemma demulceantur carbunculi: quod & hodie quidam faciunt, quo ſucceſſu nondum cognóui: & olim ab Auicenna ea vis Sapphiro adſcripta eſt, & ab Epiphanio aduerſus papulas & tubercula. Sapphirus.

DE LAPIDIBVS ILLIS, quibus cum ſtellis, Sole, Luna, aut elementis aliquid commune eſt.



Caput II.

VT veluti ordine naturæ, à cœlo ad inferiora corpora, & à ſimplicibus ad magis magisq́; compoſita ꝓgrediamur: hoc in capite lapides illos, qui cœlo, ſtellis ac elementis nomen, aut etiam rei aliquid commune habent, exponemus.

Digitized by Google

Ponticarum (gemmarum) Plinio plura ſunt genera. Eſt, inquit, ſtellata nunc ſanguineis, nunc atris guttis, quę inter ſacras habetur. Alia pro ſtellis eiuſdem coloris lineas habet. Alia montium conualliumꝗ; effigies, Plinius. Ego lapidum genera duo, quæ hîc picta adiunxi, in his Plinij verbis intelligi aliquando putaui.

Horum primus Germanicè **Sternſtein** *à ſtellis dici poteſt: ſecundus* **ein Waſſerſtein,** *ab vndarũ ſimilitudine*

.I.  2. 

Sunt enim in priore ſtellæ plures conſpicuę: in poſteriore verò pro ſtellis, alij quidam linearũ ductus, vndarum ferè æmuli. Sed tertium eiuſdem generis nondum vidi. Obijci poteſt Ponticas, eſſe gemmas: quos verò nos ex-

Digitized by Google

exhibemus, lapidum, non gemmarũ generis eſſe. Ge. Agricola etiam Ponticas Plinij, quæ & Thracicæ dicantur, Achati cognatas facit. Achates autem gemma eſt. Plinius libro 37. cap.10. vbi alphabetico ordine gemmas aliquot deſcribit: Ponticarũ, inquit, plura ſunt genera. eſt ſtellata nũc ſanguineis, nunc atris guttis, quæ inter ſacras habetur, &c. ut paulò antè recitauimus. Videtur autem nó animaduertiſſe, ſe rurſus de Achate agere, de quo priùs etiam huius Capitis principio egerat in A. litera: montiũ enim & conuallium effigiem reddere, ſicut & fluminum, nemorum, aliasq́; diuerſas, Achatis proprium eſt. Et cum hîc dicat vnam Ponticæ ſpeciem inter ſacras haberi, atris inſignẽ guttis: eadem ab initio capitis, Coralloachatæ tribuit, quam in Creta abũdare ait, & ſacrum appellari, & guttis aureis (ſic autem in Ponticis etiam legendum videtur, non atris,) Sapphiri

Digitized by Google


modo diſtingui. Ergo Pontica loco iam citato, appellatiuum gemmæ nomen eſt, Latinis (ſoli quidem Plinio, quod ſciam) vſitatum pro Achate: aliâs verò adiectiuum & gentile: vt cũ eiuſdem libri capite 9. Chryſolithos quaſdam, Ponticas cognominat. Et paulò pòſt inter Pæderotis ſpecies: Mollius (inquit) radiat Pontica & Aſiatica. Aſteriæ certè nomen conuenit ſtellatæ è duabus hîc exhibitis: recentiores quidam aſtroiten vocant: quod nomen libentiùs ei tribuerim, quòd veluti aſtris, id eſt, ſyderis cœleſtis inſtar ſtellas in ſe complures habeat: vt diſcernatur ab aſteria ſolido (ſic enim nominare nunc libet, cuius figuram addidi,) qui corpore toto & radijs eminentibus ſtellam vnam præ ſe fert. Solent tamen plures eiuſmodi inuicem connexæ naſci & inueniri plerunq;.

Aſte-

Digitized by Google

1. *Aſterias ſeparatus.*
2. *Plures coniuncti.*

1. 

.2. 

Aſterias vel Sphragis aſtéros dici poteſt hic lapis, cui magnitudo ferè qua hîc exhibetur. In hoc, (quem ab illuſtri & nunquam ſatis laudato barone, totius antiquitatis incomparabili pſcrutatore Vuilhelmo Vvernhero ꝓpe Roteuillam, vbi reperiuntur in colle edito ad Cimmeriam arcem, accepi,) octoni cohærebant, ita concinnè iuncti & aptati, velutiꝗ ſuperinnati ſibi inuicem, (ſeparabiles tamē, (vt nullus artifex potuiſſet meliús. Singulis vtrinꝗ ſtellæ figura ceu ſigillo impreſſa vel inſculpta videtur. Radij eminent ſuis angulis quini: inꝗ ſingulis radijs cauitas media eſt. Margines ſtrijs tranſuerſis ſulcantur. Subſtantia

eorũ prædura eſt. Sternſtein dici poteſt Germanicé. Aſtroiten accepi primum à Io. Iacobo Clauſero, ciue meo & diſcipulo olim, optimi & doctiſsimi viri Chriſtophori Clauſeri vrbis noſtræ archiatri, cui ego ſucceſsi, filio, pharmacopœo ſanè perito & diligente: ea ferè qua hîc apparet magnitudine, orbiculatũ, compreſſum: qui ſanè à multitudine ſtellarũ, Aſterias, vel potiùs ἀςρόεις nomen meretur. Ge. Agricola libro 6. foſsilium: Aſtroites, inquit, candida vel ſubcinerea, ſtellarum, quæ radios iaciunt nigros, eſt pleniſsima: atq; ex ea re nomẽ inuenit. Hanc noſtri à victoria appellant: quòd putent eum qui illam geſtauerit cauſam obtinere & hoſtes vincere. Oculi figura plerũq; extuberat, rarò eſt oblonga. in acetum poſita ſe mouet loco, & in orbem nónihil torquet. Hæc ille: qui aſtroiten Germanicè interpretatur, **ein Sigſtein**: aſteriã verò gemmam **ein Weſe**: ſicut & Pædero-

derotem, & Opalum, & Eriſtalin gẽmas: quibus omnibus colores ſuos variare pro diuerſo ad lucem poſitu & motu, commune eſt. De aſtroite nuper amicus quidam meus medicus in hæc verba ad me ſcripſit: Habeo domi lapidem valde elegantem, non ſanè precioſum vt gemmã dixeris, ſed qui aſpicientibus miram præbeat iucunditatem. is per totam ſuam circũferentiam à ſummo ad imum vſq; ſtellulas repræſentat adeò artificioſas, vt nullo artificio commodiùs depingi etiã à peritiſsimo artifice potuiſſent. Sic ille. Res autem admiratione digna eſt, quod non in ſuperficie ſolùm vndiq;, ſed intus etiam in profundo ſtellarum imagines habet: quodq; mẽbrana quadam ceu cuticula tegitur: quæ aceti acrimonia eroditur, aut ſucci limonum. in his enim liquoribus eum moueri aiunt. Trochiten quoque in aceto moueri, Agricola tradit.

Aſterias ſeu aſtroitas in aceto bul-

Digitized by Google

lientes, in Cancris interdum reperiri, gemmarius quidam olim mihi perſuadere conatus eſt. Sunt qui lapillum hunc ſtellis inſignem, à nobis exhibitum, è capite Draconis apud Indos extrahi putent, vt Marſilius Ficinus: vide infrà in Capite de ſerpentibus. Petrus Bellonius verò in Galliæ quodã tractu, magna omnino fruſta huius lapidis reperiri, & ædificijs parietibúſque adhiberi, mihi retulit: quorum an itidem certa quæpiam figura ſit, & an ſola magnitudine à minoribus differant, nondum reſciui. Audio & alium lapidẽ, ſimiliter Sigſtein à Germanis dictum, multas in corpore ſuo veluti roſas à natura pictas, oſtendere. Plinius lib. 37. cap. 9. Aſteriam & Aſtrion tanquam diuerſas deſcribit, cum gemma vna videatur, quod & Agricola probat. Candidarum dux (inquit Plinius) eſt Pæderos, &c. Proxima candicantium eſt aſteria, principatũ habẽs proprietate naturæ, quod inclu-

incluſam lucem pupillæ modo quandam continet, ac transfundit cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atq; alio reddens: eademq; cõtraria Soli regerens candicanteis radios, vnde nomẽ inuenit, difficilis ad cælandum. Indicæ præfertur in Carmania nata. Similiter candida eſt quæ [illegible]ocatur aſtrios, [*mâlim aſterios, ex Dionyſio Afro,*] cryſtallo propinquans, in India naſcens, & in Pallenes littorib9. intus à centro ceu ſtella lucet, fulgore Lunæ plenæ. Quidam cauſam nominis reddunt, quòd aſtris oppoſita fulgorem rapiat ac regerat. Optimam in Carmania gigni, nullamq; minùs obnoxiam vitio. Ceraunıam enim vocari quæ ſit deterior: peſsimam, lucernarum lumini ſimilem. Et paulò póſt: Eſt & inter candidas quæ Ceraunia vocatur, fulgorem ſiderum rapiens. Ipſa cryſtallina ſplendoris cœrulei, in Carmania naſcens. Albam eſſe Zenothemis fatetur, ſed habere intus ſtellã

concurſantem, [*fortè coruſcantem.*] Fieri & hebetes Ceraunias: quas nitro & aceto per aliquot dies maceratas cócipere ſtellam eam, quæ poſt totidem menſes relangueſcat. Hucuſq; Plinius. nam alia duo Ceraunię genera, quorum mox è Sotaci ſcriptis meminit, gemmæ non ſunt: de quibus inferiùs agemus. Aſteriam igitur ſiue Aſtrion gemmam eſſe conſtat ex Plinij verbis: eiusq; ſpeciem vnam, Cerauniam. Eôdẽ verò in loco: Celebrãt, inquit, & Aſtroiten: miraſq; laudes eius in magicis Zoroaſtren ceciniſſe, quidam diligentiùs de ea produnt.

Quod ad Aſtroitæ nominis terminationem, an ea rectè & ex Græcorũ conſuetudine à nomine ἄστρον, quod eſt, ſydus, formetur, viderint Grammatici: quorum tamen perpauci his in rebus ſunt curioſi. Mihi meliùs aſtrites ternis ſyllabis quàm aſtroites quaternis ab aſtro deduci videtur: vt apud medicos noſtros à nominibus ῥόδον,

μῆλον,

μῆλον, μύρτον, οἶνος ῥοδίτης, μηλίτης & μυρτίτης denominantur. Rhoites autem vinum è malis punicis factum à nomine ῥόα formatur. Eſt igitur aſterias vel aſtrites, vel aſtrios, aut aſterios potiùs, lapis (ἀστερίας, ἢ ἀστρίτης, ἢ ἀστέριος ὁ. ſubaudi, λίθος,) precioſus: qui alibi à Plinio etiam Solis gemma dictus videtur Agricolæ: idemq́ alio nomine Aſtrobolus apud Pliniū: cuius doctiſsimis cōiecturis nos facilè aſſentimur. Figuram habet, inquit, ſcalpta dimidiati globuli, quare Sudines oculis piſcium ſimilem eſſe dixit Aſtrobolon.

Solis gemma Plinio, candida eſt, & ad ſpeciem ſyderis in orbem fulgentes ſpargit radios. Eidem Mitrax dicta, Perſis accepta eſt, è Rubri maris montibus, multicolor, contra Solem variè refulgens. Poteſt autē hæc quoque Solis gemma vocari: etſi à ſuperiore quæ candida eſt, varietate colorū diſtat. ego Mithram per t. aſpiratum ſcripſerim: ſic enim Perſæ Solem ap-

Digitized by Google

pellant. Sed cum & Aſterias & Pæderos, Weſe à Germanis vocẽtur: in eo diſtinguũtur, quòd hic ad inclinationes mutat colorem, ille rotundam lucem incluſam transfundit cum inclinatione. A Dionyſio Afro non ἀστρίας prima, ſed ἀστέριος tertia inflexione profertur, his verſibus:

Φύεται Ἀστέριος καλὸς λίθος, οἷά τις ἀστὴρ
Μαρμαίρων, Λυχνίς τε πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίη:

[*Aliâs* Λύχνις *legitur, paroxytonum maſculinum: & mox,* πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὅμοιος.] hoc eſt, Circa Pallenem Thraciæ montem,

Naſcitur Aſterius pulcher lapis, & micat inſtar
Syderis: & Lychnis ſimilis ſplẽdore lucernæ.

Quòd ſi gemma vlla reperiretur noctu lucens, illa profectò præ cunctis cæteris ſtellæ nomen promereretur.

A ſuperioribus fortè differt Aſterites lapis, cuius meminit Suidas in vocabulo ἰχθῦς, his verbis: Aeſopus qui Mi-

Mithridati à lectionibus fuit, librum de Helena edidit: in quo tradit pâna vocari piſcem cetaceum, [*cornibus fortè Panis dei paſtorum inſtar præditum,*] in quo Aſterites lapis inueniatur, qui accendatur à Sole, & ad philtra faciat. Non eſt autem veriſimile lapidem in piſce aut ceto repertum, Sôle accendi, vt fortè nec alium vllum lapidem: veriſimilius verò fuerit eundẽ de quo Plinius ſcripſit, Aſteriam hunc eſſe: neq; reuera accendi, ſed Solis aut ſyderum radios regerendo, ardere accendiq; videri. Porrò ab Aſtrite differt Oſtrites, de quo nos infrà Capite 4. plura adferemus, in Sideritæ mentione.

Sandaſtros quam aliqui Garamantiten vocant, [*à regione ſcilicet: nam & carbunculi quidam Garamantici cognominantur,*] carbunculis cognata, naſcitur in India loco eiuſdẽ nominis. Gignitur & in Arabia ad meridiem verſa. Commendatio ſumma, quòd velut

Digitized by Google

in tranſlucido ſtellantes intus fulgent aureæ guttæ, ſemper in corpore, nunquam in cute. Accedit religio narrata à ſiderum cognatione ab inſpectoribus: quoniam ferè ſtellarum Hyadū & numero & diſpoſitione ſtellantur, ob id Chaldæis in ceremonijs habitæ, &c. Inter omnes conſtat, quantū numero ſtellarum accedat, tantū & precio accedere, Plinius. In ipſo quidem Sandaſtri nomine, barbaricæ vel Ebraicæ originis, vt videtur, primam ſyllabam coloris ardentis ſignificationem habere conijcio, vt in Sandaracha quoq; & Sandyce: ad quam & accendere verbum apud Latinos, & apud nos zünden accedit. In Carbunculis Carchedonijs marib9 aliqui tradunt ſtellas intus ardere: fœminas vniuerſum fulgorem fundere extra ſe, Plinius. Et alibi: *Syrtitæ in littore Syrtium, iam quidem & in Lucania inueniuntur, melleo colore, croco refulgentes, intus ſtellas continent languidas.*

Digitized by Google

das. Acopis nitro ſimilis eſt, pumicoſa, aureis guttis ſtellata: cum hac oleum ſubferuefactum perunctis laſsitudinem (ſi credimus) ſoluit, Idē. Stellis aureis diſtinguitur etiam Sapphirus: & Corallachates, quæ & Pontica aliter dicitur Plinio, (vt ſupra monuimus,) ſanguineis aut atris (aureis, lego) guttis diſtincta. Puncta variè diſpoſita in ſuperficie alicuius corporis, ſtellæ quandoq; nominātur apud veteres Græcos, præſertim ſi ſplendeant: vt in Iaſpide quam ἀστεῖον cognominant: & inter aues in Ardea atque Accipitre ſtellaribus: inter piſces verò in galeo, id eſt, muſtelo. Inter iaſpidis ſpecies vna διαφύσεις ἔχουσα διαλεύκους καὶ ἀποστιλβούσας, Ἀσσύριος vocatur apud Dioſcoridem. alia lectio habet ἀστέριος, id eſt, ſyderea, nec diſplicet. Iaſpidis ſpecies rutilis punctis ſtellata, memoratur à Plinio.

Samiæ terræ duæ ſunt: quæ Syropicon, [*mâlim Collyrion, ex Dioſcoride,*] &

Digitized by Google

quæ Aſter appellatur: hæc globoſior eſt, & candida, Plinius. Dioſcorides aſterem tradit eſſe πλακώδη, & cotis inſtar denſum: de colore nihil dicit.

Priorem, Collyrium dictam puto, ſiue ab eo quòd miſceri ſoleret oculorum medicamentis: ſiue quòd mollis ac tenera ſit & facilè ſoluatur collyrij inſtar. Altera verò, Aſter dicta, vtrũ ex eo nomẽ duxerit, quòd ſtellâ, ſicuti Lemnia caprâ, ſignaretur: an ex eo quòd in ipſa, ſicut in argilla Eiſlebana, multæ micæ interniterent, memoriæ proditum non eſt, vt ſcribit Agricola: mihi à micis potiùs, hoc eſt, veluti argẽteis pſegmatis in ea ſparſis nominatum Aſterem animus inclinat. Addit Agricola, Aſterem pinguẽ eſſe, ex Galeno: læuem, ex Theophraſto: & cruſtis conſtare, ita nimirũ τὸ πλακῶδες interpretatus: vt in terra Samia τὸ εὔχυλον, boni ſucci: qualis, inquit, eſt dulcis in pingui: is autem ſuccus tum ſentitur, cum terra ad linguã admo-

mota, humore eius liqueſcit. Quęrendum verò an εὔχυλον, hoc in loco, nõ boni ſucci interpretari conueniat, ſicut alimenta quæ bonum ſuccum & probum ſanguinẽ generant: ſed quod facilè liqueſcit, τὸ εὖ καὶ ῥαδίως χυλιζόμενον, & in lingua facilè in ſuccũ abit, propter mollem ſeu teneram & pinguem ſubſtantiam. Cæterũ tria hęc, terra, Aſter, & lapis, Samia, coniecerim duritie ferè ſolùm differre. Terra enim leuior ac mollior eſt: aſter, denſior, globoſior, durior, ſolidior: lapis deniq; iam lapis, hoc eſt, duriſsimus præ illis, adeò vt auro etiam argẽtoq́; læuigandis poliendisq́; adhiberetur. Color etiã omnibus tribuitur albus, ſi in ſuo quæq; genere excellant. aliter enim etiam alius eis color eſſe poteſt. Sic & inter bituminis genera, gradus primus Naphthæ ſeu liquidi eſt: ſecũdus craſsioris, quo marmorati intritæúe loco vſi ſunt aliqui ad ædificia: tertius Piſſaſphalti, quod digitis ſeu

Digitized by Google

vnguibus adhuc cedit, non inquinat tamen: quartus Aſphalti, id eſt, Bituminis ſimpliciter dicti: quintus denique Gagatæ aut Thracij iam lapidū. Sic in ouo præter album liquorem, membranulam teſtæ inhærentem, & teſtam ipſam, reperias. E Samio lapide candido facta eſt gemma, quā Zoroaſtres Exhebenum nominauit, Agricola. Recentiores quidā Talkum etiam Barbaris dictum, Speculari lapidi cognatum, Stellam terræ appellāt, à luce & radijs quibus ſplendet: ſicuti & Magnetidem, argenteo nitore coloreq; micantem. Io. Meſue lapidem ſtellatum à ſe dictum, duplicem facit: alterum Marchaſitam (Pyriten argenti interpretantur,) qui nimirū & ipſe argenti modo ſplendet: alterum verò lapidem Cyaneum, id eſt, Lazuli vulgò dictum: in quo guttæ aureæ interdum elucent: quarum occaſione inſignis quidā ſcalptor Ferrariæ, in hoc lapide Cicindelam ſcalpſit, miro artificio,

tificio, ita vt cauda extrema accenſa videretur, cum in guttam auream exiret. ¶ Ponemus & inter Echinitas lapidem (Capite de Aquatilibus infrà,) in cuius globo dimidiato, quinq; radiorum ſtellam natura cælauit.

Aſteria gemma contraria Soli, regerit candicantes radios, vnde nomẽ inuenit, Plinius. Nos plura de ea paulò ante: hic autem repetimus, ob mentionem Solis. Huic & Mithrax cognata videtur à Sole (quem ita Perſæ vocant, dicta: item Solis gemma, quæ eidem Plinio candida eſt, & ad ſpeciem ſyderis in orbem fulgentes ſpargit radios. Item Aſtrobolos, quam Sudines dicit radiare candido (colore) vt Solem, oculis piſcium ſimilem. Solaris eſt lapis, qui Solis oculus appellatur, figuram habens pupillæ, ex qua lumen emicat. item carbunculus nocte rutilans, vt ſcribit Marſilius Ficinus. Idem de vita cœlitus comparanda lib. 3. cap. 15. Helioſelinon nomi

Digitized by Google

nat lapidem, qui Solis Lunæq́ cōiun-
ctæ Soli naturaliter imaginem habet:
Et Pantauram apud Indos lapidem,
qui cæteros ad ſe lapillos trahat, ſicut
Magnes ferrum, maximè Solarem eſſe
ſcribit. Heliotropium etiam gemmæ
nomen eſt, quæ ab altero Praſij gene-
re, porracei itidē coloris, in hoc dif-
fert, quòd ipſa ſanguineis venis diſtin
guatur, illud punctis, Agricola teſte.
Plinius etiam lib. 37. cap. 10. Heliotro
pio ſanguineas venas tribuit. Cauſa
nominis, inquit, quoniam deiectæ in
vas aquæ, fulgorem Solis accedentē
percuſſu ſanguineo mutat, maximè
Aethiopica. Eandem aut perſimilē
eruditus quidā Italus pro Iaſpide In-
dica ad me miſit: quam exhibebo ca-
pite 7. inter Ornamenta. Mithrax di
cta gemma contra Solem variè reful-
get, &c.

Tephrites nouæ Lunæ ſpeciem ha
bet curuatus in cornua, quamuis ci-
nerei coloris, Plinius. De hac plura

in

inferiús. Selenites ex candido trāſ-
lucet, melleo fulgore, imaginem Lu-
nę continens, redditq́ eam in dies ſin
gulos creſcentis minuentisq́ nume-
ro. naſci putatur in Arabia, Idē. Ge.
Agricola lib. 5. de natura foſsiliū: Spe
cularem lapidem (inquit) è Græcis q-
dam σεληνίτην appellant, quòd plena
nocte ad incrementum Lunæ ſoleat
inueniri: vel quòd imaginem Lunæ,
quam, quia pellucet, noctu concipit,
in dies ſingulos creſcentis minuētisq́
numero reddat. Alij ἀφροσέληνον vo-
cāt, quòd multis perſuaſum eſſet, (vt
abſurdiſsima quæq; vulgo perſuade-
ri poſſunt,) Lunæ eſſe ſpumam. Sicil-
le. Lunaticus quidem morbus dicitur
comitialis, quo correpti ore ſpumāt:
———[καὶ φῶτα ῥοπῇ πίπτοντα σελήνης
ῥύσασθ', Orpheus in prooemio de la-
pidibus,] & Plutarchus in libro de flu
minibus, Selene herba in Apæſanto
monte iuxta Inachum fluuium, ſpu-
mam emittit. Ex iam recitatis verò

Agricolæ verbis, apparet eum Seleniten Plinij, eundem Speculari lapidi existimaſſe, etſi mellei fulgoris nullã fecit mentionem. Nos ſpeculares lapides alios ſine colore & pellucidos, alios verò coloris in fuſco flauentis, quem melleum dixeris, habemus. Selenites lapis, inquit Dioſcorides, quẽ aliqui aphroſelenon nuncupãt, quòd per noctem inueniatur plenus ad Lunæ fulgorem: *μεστὸς γὰρ τῇ τῆς σελήνης παραυξήσει*, interpretes vertunt ad incremẽta Lunæ. ſed *παραύξησις* videtur magis propriè decrementum ſignificare, & ita ſe habere ad *αὔξησιν*, vt *ἀκμὴ* ad *παρακμήν*. Decreſcente autem Luna inueniri minùs veriſimile eſt, quàm cũ plena: tum enim imaginem eius plenæ cõmodiùs & ampliore aſpectu recipit, vt ita deprehendatur faciliús. quare Græcè ita legendum coniecerim, *δεῖ τὸ εὑρίσκεσθαι αὐτὸν νυκτὸς γὰρ τῇ τῆς σελήνης μεστῆς παραυγάσει*. Quòd ſi non placeat *μεστὴν* Græcè nominare, vt plenam Latinè,

tinè, quòd fortè authorum teſtimonia deſint, πανσέληνον enim plerunq; legimus: etſi Dioſcoridis ſtylus non adeò purus eſt ac proprius, ac ita defendi poſsit hæc lectio: licebit hoc pacto legere, διὰ τὸ εὑρ.α.ν. σιλπνὸν (ἢ λαμπρὸν) ἐν τῇ τῆς σελ. παραυγάσει: hoc eſt, eò quòd noctu effulgēte Luna ſplendēs reperiatur. Plinius certè non de alio Selenite quàm Dioſcorides ſcribens, Lunā ab eo reddi, inquit in dies ſingulos creſcentis minuentisq; numero: vt mutilus fortè Dioſcoridis ſit locus, aut Plinius aliter legerit. Ego Lunæ quocunque tempore lucentis imaginem in hoc lapide tanquā ſpeculo reddi puto. ampliſsimam verò cum plena eſt, ideoq; tum faciliùs inueniri: & creſcere aut decreſcere in eo repercuſſam Lunaris imaginis lucem, non autem ipſummet vt Marbodæus fingit his carminibus:

Lunares motus & menſtrua tempora ſeruat.
Creſcit enim Lunâ creſcente, minorq; minutâ

Digitized by Google

Efficitur, tanquam cœleſtibus anxia damnis.

Quòd ſi idem ſpecularis eſt lapis, (vt eruditi quidã hodie exiſtimant, & mihi quoq; videt̃,) διαφανὴς, & σπεκλάριον à Græcis medicis dictus, quomodo is ad Lunam noctu ſplendeat, facile erit deprehendere. Vitrum quidẽ cum præ ſe ferat, eoq; ad ſpecularia aptus ſit, (noſtri quòd glaciei inſtar transluceat, diuæ Virginis glaciem vocant, Vnſer Frauwen eyß, alij Germani Spat appellant,) ſpeculi etiam inſtar imagines, lucidas præſertim, reddere poterit. Cornarius eundem lapidem eſſe non putat, quòd veteres diuerſa de vtroq; ſcripſerint, & eundem eſſe nullus eorum dixerit, argumentis parum firmis. Diuerſa enim de eadem re ſcribi nihil vetat, modò ne contraria: & multa recentiores acri inueſtigatione deprehendêre, quæ veterum pleroſque latuerunt. Aphroſeleni nomen à ſpuma factum conuenit, ſiue à remedio ad lunaticum & ſpumantẽ mor-

Digitized by Google

morbũ: ſiue à colore albo ſpumæ, in ramẽtis preſertim ad remedia deraſis.

¶ Aphroſelenum in Aegypto tantummodo inuenitur, quod ita creatur: Ros cœleſtis poſitus ad Lunæ claritatem in ſpecie lapidis, quem ſpecularem vocamus, coagulatus ſtringitur. vnde & nomen ſumpſiſſe videtur. Cuius eligimus quod eſt colore cœruleo & lucido. Poteſt autem omnia vitia capitis potatum emendare: & cephalalgicis & epilepticis vtiliter prodeſſe, Author libri de ſimplicibus medicamentis ad Paternianum Galeno adſcripti. Ammonis cornu dictus lapis, inquit Georgius Agricola, videtur aurei coloris armatura obductus eſſe. nã (&) in toto Hildeshei-mio tractu, inuenitur lapis noue lunę ſpeciem habens curuatæ in cornua, aurei coloris armatura veſtitus, modò magnus, modò paruus: mediocriter autem durus & interdum ſtriatus. Ammoni cornu.

[*Cardanus in libro de gemmis Seleniten hũc*

quoq; lapidem vocat, ſine authore quòd ſciã.]
Sed eundem aliquando ferrei colo-
ris armatura tegit: aut Adamanti ſimi
lis, &c. Ibîdem effoditur lapis eiuſdẽ
figuræ, ſed omni vacuus armatura, &
Tephrites. cinerei coloris: qui eſt Tephrites a-
pud Plinium. Hactenus Agricola.
ego & tephriten, & ſimilem illi lapi-
dem alterum armatura intectum, Me
noidem potiùs quàm Selenitem no-
minârim, diſcriminis gratia. Lunam
enim corniculatam, ſiue triduanam
& in cornua curuari incipientẽ, Græ-
Menoides. ci μηνοειδῆ nominant. Nuper tamen
amicus quidam meus rerum natura-
lium peritiſsimus, Menoidis lapidis
nomine ad me miſit argillaceũ quen-
dam & cruſtaceum lapidem, cinerei
coloris, planũ, nullaq́ alia forma inſi
gnem, niſi quòd paulatim additis cru
ſtis multis tenuibus (vt ad latera lebe
tum in quibus aqua coquitur ſimiles
quidã lapides generantur,) coaluiſſe
videtur. Hunc verò, etſi fortè videri
poſſet

poſſet ita ex cruſtis ſuis paulatim au-
ctis, vt Luna ſuis luminibus augetur,
coiuiſſe, à Luna ego non denominâ-
rim: multoq́ minùs à Luna cornicu-
lata, eum figuram eius non referat.

¶ Circa Pallenen Thraciæ montẽ, Dionyſio Afro teſte, naſcitur Aſterius lapis, vt ſuprà etiam dictum eſt: & Lychnis flammæ perſimilis. Quo in loco Euſtathius in commentarijs ſuis: Lychniten lapidem (inquit) alij Selenitem vocãt, quòd occulta quadam vi cum Luna communicet, ſicut & electrum quod à Boryſthene cognominant βορυσθενίτην ἤλεκτρον: & pariter cum illa creſcat atq; decreſcat. Sed Selenites ille, cum Luna creſcens atque decreſcens, (non ipſe, ſed Lunæ in eo imago,) vt paulò antè diximus, non alius quàm ſpecularis lapis videtur: q forte ne lapis quidem propriè fuerit, tum aliâs, tum quia flexilis eſt. Lychnis verò; quæ & lychnites Agricolæ dicitur, gemma eſt, igneo ſeu flammæ

lucernarum colore ſplendens, velu-tiq; ardens, in ſcopulis Pallenes, quæ eſt peninſula Thraciæ naſcens, & circa Orthoſiam cautem, totaq; Caria ac vicinis locis. cæteris antecellit Indica, quam quidam, vt Plinius inqt, remiſsiorem Carbunculum eſſe dixerunt. Agricola hāc interpretatur Germanis ſuis **ein gilbichten Rubin**, id eſt, Rubinum coloris pallidi vel giluí. Eadem aut cognata eſt, licet candido colore, Aſtrios vel Aſterios potiùs Plinij ac Dionyſij Afri, in India naſcens, & in Pallenes littoribus: cui intus ceu ſtella lucet, fulgore Lunæ plenæ, quæ verba ſunt Plinij. In Perſide aiunt gigni lapidem Seleniten, cuius interiorem candorem aiunt cum Luna creſcere atque deficere, Auguſtinus de ciuitate Dei 21. In Ballenæo monte Phrygię gignitur lapis, Aſter nomine: qui ſolet nocte profunda ignis inſtar ſplendere ſub initium autumni (τοῦ

φθινο-

φθινοπώρου.) cognominatur autem in-digenarum nomine Ballen, βαλλὴν, id eſt, rex, vt tradit Hermeſianax Cyprius ſecundo Phrygiacorum, ex Plutarchi de fluuijs libro. Robertus Conſtantinus variæ doctrinæ vir, in Lexico Græcolatino ſuo, vulgò hanc gemmam *Rubi balley* à Gallis nominari ſcribit, ſolerti coniectura, ex nominis vicinitate, cui res ipſa conuenit. Siue autem à Pallene Thraciæ peninſula, ſiue Balleneo Phrygię mõte, Pallenæam aut Ballenæam hanc gemmam cognomines, vt à cognatis carbunculorum generis diſtinguatur, parum intereſt. Agricola Carbunculum candidum Germanicè interpretatur Ballas: (aliqui ſchiler Rubin,) & à pallore dictum videri ſcribit: Aſteriam verò Weſe, vt ſuprà etiam monui. Duæ autem hæ generis vnius ſpecies videntur. Porrò circa Lychniten ſeu Lychnidẽ gemmã, de qua nunc diximus, cauendũ eſt, ne

Digitized by Google

cum lychnite marmore, quod ad lucernas effodi tradidit Varro, (vnde nomen nimirum,) confundatur.

¶ Succinum etiam, quod Greci Electrum vocitant, affinitatem quandam habere cum Luna putant aliqui, quòd Lunari, id eſt, comitiali morbo aduerſetur. Dionyſius Afer quoque cũ hoc ſydere eius ſympathiam indicat, vbi ſcribit circa oſtia fluuiorum Aldeſci & Panticapis in mare glaciale ſe exonerantium naſci Electrum, his verbis:

Ηδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται, οἷά τις αὐγὴ μήνης ἀρχομένης: ex quibus aliquis conijciat, ſentire eum, Electrum cum Luna creſcente creſcere, quod de Selenite alij prodiderunt. Ego de Electro noſtra memoria nihil tale accepi: ſentire tamen ipſum vim Lunæ, ſicuti Oceanum totum, & pro eius incremento ac decremento, parciùs copioſiúſve ad littora promoueri, credibile eſt.

Lac lunare ¶ Eſt & quod Lac lunare à noſtris appellá-

pellatur: quod in altiſsimorum quorundam montium Helueticorũ ſpeluncis reperitur, vt Stocchornij in ditione Bernenſium, & Fracti ſiue Pilatini Lucernenſium: De quo repetam hîc ea ferè verba quæ in Fracti montis Deſcriptione noſtra ante annos ſedecim poſui: mutatis nonnullis & additis: In ſpelunca quadam per ſummũ montem, fornici adhærens naſcitur ſubſtantia quædam fungoſa, friabilis, alba, leuiſsima: quam Fungum petręũ dixeris, vel Agaricum ſaxatile: tam ſimilis huius eſt facies. Incolæ Mon-milch appellãt, id eſt, Lac Lunæ, à ſubſtantia alba & ſpumoſa, ex qua cõcretus videtur hic lapis, ſi lapidis nomen meretur. Aquæ mixtus, albo lactis colore eam inficit. Inſipidum eſt. Siccat ſine morſu. Nulla in eo aſperitas: & totum cum ſaliua mandentis liqueſcit, præſertim quod melius fuerit. nam & craſsius aſperiusq́ reperitur, immaturius nimirum & crudius: quod odo-

Digitized by Google

re etiam caret. Concoctum aũt & perfectum, vt aſperitatẽ amittit, ita albius colore, & pondere leuius, & ſuauiter odoratum redditur. Videtur autẽ naturam Holoſteis dictis lapidibus, qui in terra arenoſa in Palatinatu effodiuntur, proximam habere: & lapidi quem ego ab odore Cyditen nomino. Superſtitioſe quidam aduerſus quemcunq; morbum ægroti cuiuſuis, propter quem expreſſo ipſius nomine è ſpelunca petatur, ſalutarẽ eſſe putant. Lucernæ in pharmacopolio vænire ſolet. Pollinem eius chirurgi vlceribus deſiccandis inſpergunt. Sũt qui nutricibus, ad augendã lactis copiam, pollinis huius drachmam exhibeant, è iure ni fallor: [poteſt autẽ cõmodiùs ex lacte amygdalarum cui immixtus hic pollen aliquot horis fuerit, colato propinari, cum pauco ſaccharo & aqua fœniculi:] aiunt autem mamillas euidenter hoc auxilio turgere & repleri lacte. Præterea à docto quo-

dam viro, nuper proditum inuenio, Lac Lunæ in profluuio ſanguinis vtiliter dari tanquam ſomniferum, idq́ ſibi experimento conſtare. Quod ad nomen priſcum, ego aut ipſum Morochthum veterum eſſe aliquãdo putaui: aut eaſdem certè illi facultates obtinere. ſed amicus quidam rerum foſsilium omniũ cognitione clarus, Margæ friabilis genus eſſe mauult.

Sardam cum arbore naturali & Luna eclipſim patiente, Hier. Cardanus olim ad me miſit.

Nunc à cœlo & ſyderibus ad elementa deſcendam: quorum ſuprémo loco eſt ignis, Lunari ſphæræ proximus. Chryſolampis in Aethiopia naſcitur, pallidi coloris die, & noctu ignei, Plinius. Gemmarum ardentiũ principatum habent Carbunculi, à ſimilitudine ignium appellati, cum ipſi non ſentiant ignes, ob id à quibuſdã apyroti vocati, Plinius. Orites etiam, à quibuſdã & Siderites vocatus, ignẽ

Digitized by Google

non ſentit, Idem: de quo nos plura inferiùs Capite quarto. Adamãti quoque ignium victrix natura, & nunquã incaleſcens tribuitur. Topaziũ aiũt prohibere ne ferueat aqua: & manũ quæ Topazium habeat, ab aqua bulliente citra iacturam eripi poſſe. In Phlegontide intus ardere quædam videtur flamma, quę non exeat, Plinius.

Albertus teſtatur Carbunculũ, Anthracem (ἄνθραξ Græcis carbo eſt, ſiue ardens, ſiue extinctus) dici à Græcis: eumq́ lucere in tenebris tanquã carbonem, ſuperfuſa aqua limpida, in vaſe vitreo mundo polito. Catharinam Angliæ reginam, Henrico octauo nuptam, gemmam in tenebris lucentem, in annulo habuiſſe audio. Rubinũ fuiſſe putant. Carbunculi gemmæ ſpecies eſt, Rubinus noſter, inquit Encelius, quem alio nomine dicere poſſumus Lychniten. Nos de lychnite, ſuprà in Selenite diximus.

Lychnidem Dionyſius Afer vocat,

πυρὸς φλογὶ πάμπαν ἐοικυῖαν. Eſt ex ardẽtium gemmarum genere etiam Lychnites appellata, à lucernarum accenſarum gratia, Plinius. In Hydaſpe fluuio gignitᷣ lapis λύχνις dictus, (λύχνις paroxytonũ, maſculino genere,) cui color oleoſus, & valde politus, (ζεσὸς, feruidus: malim ξεσὸς, id eſt, politus:) inuenitur autem creſcente Luna, ad melodiam tibiarum: & vtuntur eo ꝓceres, Plutarchus in libro de fluminibus. Lychnites verò marmoris genus quódnam ſit, quærendum. Varro ad lucernas effodi ſolitum tradit: ſiue id verum eſt, vt ſubterranea pleraque in metallis profundioribus, lucernis adhibitis eruuntur: ſiue ad augendi precij cauſam fictum. Statuarij ſiue marmorum ſcalptores, omnes tantũ candido marmore vſi ſunt è Paro inſula, quem lapidem cœpêre Lychnitem appellare: quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, vt autor eſt Varro, multis poſtea candidioribus

Digitized by Google

repertis. Nuper etiam in Lunenſium lapidicinis, vt tradit Plinius. Marmoris autem albi mentio admonet me alterius pellucidi: cuius generis tabulas duas ex Hiſpania aduectas, nobilem mercatorem Leonhartum Cellarium Sangalli in Heluetijs poſſidere audio: easq́; pellucere, marmoris cãdidi ſpecie. Ex alabaſtro quidem vulgò dicto poculum candidiſsimum & tranſlucidum, penes me eſt. Marmor verò illud tranſparens, Phengites Plinij fortè fuerit, ab eo dictũ quod phengos, id eſt, lucem tranſmittat. His ſcriptis literas ab amico accepi, cui profecturo Sangallum vt hunc lapidem inſpectum mihi deſcriberet mandaram.

Vulgò (inquit) lapidem Alabaſtrũ appellant, [*Fortè autem hodie dictus Alabaſtrus vel Alabaſtrites lapis, non verè eſt Alabaſtrus veterum, & marmorum generis, cum mollis ſit non durus lapis: ob colorem tamen & magnitudinem Alabaſtrus exiſtimatus:*] Tabulæ binæ ex eo factæ, ſiue

Alabaſtrus

cru-

cruſtæ, ſingulæ circiter pedes duos longæ ſunt, ſeſquipedē latæ: quæ magnitudo ſpecularibus (feneſtris vulgò dictis) mediocribus ferè conuenit: in quem vſum marginibus ligneis includuntur: & lucis ſplendorē mediocrē tranſmittunt ijs qui intus ſunt, ita tamen vt neminem foris agnoſcere poſsint: foris autem aſtantium aut prætereuntium viſus omnino nó penetrat. Quare ad cubiculorum ſpecularia, quæ ad internas ædium partes ſpectant, aliquibus in vſu ſunt. In Hiſpania ferunt templorū aliquot ſpecularia ex hoc lapide facta eſſe, vitri loco, & picturis quibuſdam ornata. Lapis albicat, albo marmori ad ſubfuſcum colorem vergenti, aut ſilici albo fluuiatili ſplendido, perſimilis, nó ſine quibuſdam maculis tamen. Quibus in partibus fractus eſt, aluminis inſtar ſplendet. Planula (vt recentiores vocant, noſtri ein hobel) attenuari & poliri poteſt. Vngue digiti pulſatus

vitri vel æris inſtar ſonat. Tabula nō-
dum expolita, pollicis: polita verò, di
giti craſsitudine erat. Fiunt & pocu-
la aliaq; vaſcula ex eodē lapide in Hi-
ſpania: quæ in alias regiones expor-
tantur: & fracta etiam, ſi cruſtæ inte-
græ ſint, ferruminari poſſunt. Hæc a-
micus. Nerone principe (inquit Pli
nius) in Cappadocia repertus eſt lapis
duritia marmoris, candidus atq; trāſ-
lucens, etiam qua parte fuluæ incide-
rant venæ, ex argumento Phengites
appellatus. Hoc conſtruxerat ædem
Fortunæ, quam Seiam appellant à Ser
uio rege ſacratam. Quare etiam fori-
bus apertis interdiu claritas ibi diur-
na erat, haud alio quàm ſpecularium
modo, tanquam incluſa luce non
tranſmiſſa.

Redeo ad Carbunculum: quem E-
piphanius tradit inueniri noctu, emi
nus lucernæ aut carbonis ardentis in
ſtar ſcintillantem, σπινθηρίζοντα, id eſt,
ſcintillas emittentem. Fortè autē Spi-
nella

nella quoq; vulgò dicta, Carbunculorum generis gemma, ab huiuſmodi ſcintillis, quos Græci ſpinthêras vocant, ſuum nomen inuenerit. In Anthracitide ſcintillę diſcurrere aliquādo videntur, Plinius. Omnes carbunculi rubent & fulgent, ſed diſsimiliter, inquit Agricola. nam color eis eſt egregiè ruber, itemq; fulgor: ſed plerunq; parui ſunt: quos appellant Spinellas. Aut color item & fulgor egregiè rubẽt, ſed ferè maiores ſunt: quos Itali à colore Rubinos appellant, Gręci (vt etiam Ouidius) quia valde ardent, ab ignis aſpectu, Pyropos. Ego apud Græcum authorem Pyropũ appellatiuè pro gemma legiſſe iam non memini. Epiphanius adiectiuè vtitur, Sardium ſcribens πυρωπὸν τῷ εἴδει, id eſt, colore igneum. Inter Latinos poëtæ ſoli, puto, hac dictione pro gemma vtuntur, vt Ouid. 2. Metamor. Pyropi.

Clara micante auro, flammasq; imitante Pyropo.

Inducto pyropo fulgebat parma, Propertius lib. 4. Eleg. 11. Pluma rubro clara Pyropo, Lucretius lib. 2. Cæterùm vt Lychnidem gemmam diximus πυρὸς φλογὶ παμπαν ὁμοίην: ita & Phloginus quidam lapis apud Plinium à flamma denominatur, aurei ſiue flammei coloris. nam & chryſiten, inquit, vocant, Oſtreæ (Ochræ) Atticæ aſsimilatam, in Aegypto. ¶ Hephæſtites Solis radijs obuerſus, aridam materiam accendit, ſicut & Cryſtallus: de eo autem plura cap. 5. leges. Speculum etiam concauum in Sole accēdit ſulfurata, ſtramenta, ſarmenta: ſicut & aqua in phiala vitrea. Pyritę dicuntur è quibus ignis excutitur, variorum generum: quæ non modò coloribus & figuris, ſed etiam ſubſtātia differunt. Pyriten (inquit Hermolaus in Corollario) ſunt qui & Sideriten vocitēt, & Androdamanta & Boſtrychiten. In Cypro reperiri volunt vnum argenteo colore, alterū aureo.

Hephæſtites.

Speculum cauum.

Ali-

Aliqui tertiũ genus faciunt, quod plurimũ ignis habeat, ponderoſiſsimũq́ ſit, quos etiam viuos appellamus. Hi exploratoribus caſtrorũ maximè neceſſarij: quia clauo alteróve lapide pcuſsis, excutiuntur ſcintillæ: quæ ſulfure exceptæ, aut fungis aridis, aut folijs, celerrimè ignem trahunt. Pyrites & gemma eſt (Plinio:) nec ſcio an diuerſa ab hac, nigra & attritu digitos adurens. Hæc ille. Cæterùm vt ex Pyrite tum metallico, tum ſterili (quem Silicem viuum, vel abſolutè nominamus,) ignis excutitur: ita etiam ex alijs quibuſdam duris ac læuibus: etſi partibus quæ ictu in eis exaſperatæ fuerint, faciliùs eliciatur: Sic etiam è Cryſtallo, & Chalcedonio vulgò dicto, quo Tormentigeri (vt ita vocem illos qui tormenta bellica gerunt) vtuntur: Ceraunio cuneiformi, & alijs.

Pyrites ab Ariſtotele & Theophraſto, alio nomine Pyrimachus vocat, vt Agricolæ videtur, quòd igni repu- Pyrimachus.

gnet. nam in ardentes tantùm fornaces, inquit, coniectus fluit. at vbi defluxerit in catinum, rurſus concreſcit, & dureſcit, &c. In antiballomenis, id eſt, ſuccedaneis medicamentis Galeno attributis, Pyritæ lapidi pyrobolus ſubſtituitur. Ego Pyrobolum, niſi idem Pyritæ ſit, ignoro. Ponit autem conſarcinator ille ἀντιβαλλομένων alia etiam quædam huiuſmodi, quæ ſynonyma ſecundum grammaticos ſunt, non antiballomena ſecundum medicos: vt, καλλικερέα, ἡ πῆλις: χαμαίμηλον, ἀνθεμίς. Πυροβόλα quidem Plutarcho in Camillo, tormenta ſeu inſtrumenta quædam bellica ſunt ad ignem eiaculandum comparata. Asbeſtos in Arcadiæ montibus naſcitur, coloris ferrei, Plinius lib. 37. cap. 10. Asbeſtos autem Græcis inextinguibilem ſignificat: & hunc lapidem ſemel accenſum extingui poſſe negat Marbodeus. Idẽ Plinius libro 36. cap. 19. Amiantus, inquit, alumini (*ſciſſili nimirum*) ſimilis, nihil

Pyrobolus

ἄσβεστος

nihil igni deperdit. Id quod pro alumine ſciſsili vulgares pharmacopolæ vendunt, albi non ferrei coloris eſt. Amiantus verò qui è Cypro adfertur, fuſcus cum ſit, etſi fila fortè iam ab eo reſoluta albicent, Asbeſtos Plinij eſſe poterit: nam Agricola quoq; Amiantum alio nomine Asbeſtum, & Linũ asbeſtinum ab authoribus vocatum tradit. Apſyctos Plinio ſeptenis diebus calorem tenet, excalfacta igni, nigra ac ponderoſa, diſtinguentibus eã venis rubentibus. Putant prodeſſe cõtra frigora. Eam ego hodie noſtro in orbe nemini cognitam puto. ¶ Ad ignem fumus quoq; & cinis pertinẽt, ceu excrementa ipſius. Iaſpis quædam veluti fumo infecta eſt, quæ capnias vocatur, Plinius libro 1. cap. 9. Idem de Chryſolithis: Sunt in hoc genere, inquit, capniæ, eodem capite. Et decimo mox ſequente: Capnites quibuſdam videtur ſuum genus habere, plurimis ſpiris fumida, vt ſuo loco di

Ἄψυκτος

ximus: in Cappadocia & in Phrygia naſcitur, ebori ſimilis. Hæc Plinius. Agricola verò lib. 7. de nat. Foſsiliũ, Marmor album, inquit, plurimis ſpiris fumidum eſſe ſolet: ex quo iterum fit gemma, quam Plinius Capniten appellauit. Plinius lib. 34. cap. 10. inter Cadmiæ genera: Tenuiſsima eſt, inqt, in ipſo fornacum ore, qua flammæ eluctantur, appellata capnitis, exuſta, & nimia leuitate ſimilis fauillæ. Idem libro decimoſeptimo, capite 7. inter Argillas: Proxima eſt ruffa, quæ vocatur capnumargos, intermixto lapide terræ minutæ, harenoſæ. Tephrites à cineris colore dictus eſt, de quo ſuprà quoq;. Ophitę marmoris genus tertium cinereum eſt, quod idcirco tephriam nominant, Agricola.

Tephrites.

Aëri ſimilia.

Adamas colore ſimilis eſt aëri, Epiphanius. Sunt inter Beryllos quos aëroides vocant, Plinius. Et alibi: Iaſpidem Perſæ ferunt aëri ſimilem, ob id vocat aërizuſa. Et paulò pòſt: Singulis

Digitized by Google

gulis (Iaſpidū differentijs) Græci nomina ex argumento dedere. Quarta apud eos vocatur borea, cœlo autumali matutino ſimilis: & hæc erit illa quæ vocatur aërizuſa.

Ab aqua nomen tulit Enhydros, de quo ſuprà Capite I. Argentum viuum Græci ab aqua & argento denominãt, ὑδράργυρον: huic enim fuſo præſertim, colore ſplendoreq́ ſimilis eſt. aquæ autem & liquoris modo fluit: quare & ἄργυρον χυτὸν vocitant. Beryllum Itali, Aquam marinam nuncupant. nam colore imitatur fluctus maris cœruleos. Sed aliter Cardanus: Calais (inquit in lib. de Gemmis & coloribus) eſt gẽma paulò durior Cryſtallo: cuius, cum (vera) ſit rariſsima, maxima copia eſt (fictitiæ.) Nã vitro adulterat. Inuenit em̃ nitri ſpecies nó ampulloſi, ac durioris: quod ſub terra ſepultũ colorẽ cõtraxit ſubcœruleũ, & aquæ maris ſimilẽ fermé. nã & ipſa colorẽ habet huiuſmodi, ſed q ad cœruleũ poti⁹ vergat, ſcilicet inter modicè

Aqua marina.

Calais.

Digitized by Google

viridem & cereũ. Nec ob hoc ipſum tam vocatur Aqua marina, (id eſt Calais, quæ alia eſt à Calaide:) quàm ꝙ velut in aqua maris nullus certus color diſcerni poteſt, ita nec gemma hęc firmum colorem habet. Ob hoc, vt dixi, vitro adulteratur: præterea Cryſtallo Scotica, & Amethyſto immatura, & Chryſolitho etiã decocto, &c.

Augites. Vocatur etiam Augites à Plinio: qui Calain tradit Sapphirum imitari, candidiorem, & litoroſo mari ſimilem. Litoroſum autem, pro eo quod eſt littori vicinum, acceperim. Sic ille. Plinius, & ex eo Agricola, Callaim, l duplici ſcribunt: an verò à Calaide differat, vt Cardano videtur, quærendum. Aliæ quidem ſunt Callainæ teſtæ medicis memoratæ: de quibus nos in volumine Aquatilium, capite de Oſtreis diuerſis ſcripſimus. Hyacinthi ſpecies apud Epiphanium θαλασσίτης dicitur à maris colore. Iaſpis παλαιὸς cognomine, ſimilis eſt niui aut ſpumæ maris,

maris, Idē. Pæantidi ſpecies eſt aquæ glaciatæ, Plinius. Iaſpis quædam ſimilis eſt aquæ glaciei, κρυσάλλῳ ὕδατι, Epiphanius. Iaſpides omnes in vitio cœruleæ aut cryſtallo ſimiles ſunt, Plinius. Græci quidem & gemmā & glaciem, cryſtallum vocant. Specularis quoq; lapis candidus, (nam & niger inuenitur, & mixtus,) glaciem repræſentat, vnde nomē ei Germani fecêre, Vnſer Frawen eyß. Hòc cum Iulianus Cæſar (inquit Agricola) in glacie fluuij Sequanæ animaduertiſſet, eam ſimilem eſſe ſcribit lapidi Phrygio. ſic autem vocat Speculare, quòd in Phrygia reperiatur. quanquam & in alijs multis regionibus. Sed alius quoq; Phrygius dictus lapis eſt, gleba pumicoſa, &c. Onyches aliqui dicunt ἐξ ὕδατος ἀπολίθου πεπῆχθαι, Epiphanius: mihi deprauatus is locus videtur. Stiriæ dicuntur, quæ ex aqua congelata hyeme à tectis dependent. Phrygius. Stiriæ.

Lapides quidam & ſucci concreti,

Digitized by Google

ſtirijs ſimiles in ſpeluncis ſtant, vel in earum cameris pendẽt, Agricola. Plura leges ſuprà cap. I. Achatæ aliquando fluminum imaginum reddunt, Plinio teſte.

Geodes lapis fermè rotundus eſt, aëtitæ cognatus: à terra quam continet, dictus. Ex Ponticis gemmis priuatim dictis, (quæ Achati cognatæ videntur,) aliquæ montium conualliumq; effigies repræſentant. Boleniæ nimbo inueniuntur, glebæ ſimilitudine, Plinius. βῶλος Græcis gleba eſt: vnde βωλίτης potius quàm βωλογνίας rectè formari videtur.

DE LAPIDIBVS QVI A Meteoris, id eſt, ſublimibus in aëre corporibus nomina ſua mutuantur.

Caput III.

BRontia, Ombria & Ceraunia lapides ab Agricola nominantur, fœminino genere: ego prima apud Græ-

cos inflexione genere maſculino Brótias, Ombrias, & Ceraunias, (vt Aeneas,) efferre malim: eſt autem ea quoque adiectiua ferè terminatio, (vt ab ἐρυθρός, ἐρυθείας,) & ſubſtantiuum maſculinum λίθος, id eſt, lapis, quod vtrique linguæ cóuenit. Nam λίθος in fœminino genere gemmam ferè, non lapidem ſignificat, apud meliores authores. interim Ceraunium quoque lapidem, Ceraunium petram, & Ceraunium ſaxum proferre licebit. Sunt autem Ceraunia (ſaxa ſubaudi) vel Acroceraunia, montes Epiri in mare extenſi: quorum meminit Ouidius de Ponto, his verbis:

Quum poteram recto tranſire Ceraunia velo,
Vt fera vitarem ſaxa, monendus eram.

Item Horatius:

Infames ſcopulos Acroceraunia.

Et alij quidam. Sed magis placet, vt dixi, terminatio primæ declinationis in ίας, quæ inter adiectiua & ſub-

ſtantiua ambigere quodammodo videtur, & rerum nomenclaturis elegãter quadrat. Sic xiphiæ & anthiæ piſces dicuntur, non xiphij & anthij. In hoc etiam Grammatici Græci diſcrimen annotarunt: quòd in *ίας* terminata nomina, habitum quendam & qualitatem permanentem ſignificẽt, qualis à Dialecticis nõ paſsio, ſed paſſibilis qualitas dicitur: vt *ἐρυθρίας*, hominem natura vel conſuetudine mor bóve rubentem: *ἐρυθρὸς*, quoquo modo, ſiue paſsione aliqua, vt pudore, ſiue aliter. *Ὠχρίας* & *ὠχρὸς* ſimiliter, &c.

Habent etiam lineas eminentes & ſtrias lapides in agris nati: ex quibus eum qui cum tonitruis, vt nunc quoquè credit vulgus, cadit, Brontiam vocant Græci, capitibus teſtudinum ſimilem: qui cum imbribus, Ombriam. Noſtri ſũt modò ſubluтei, modò ſubuirides, modò ſubrubri, modò ſubfuſci: nunc verò variant colore: politi tanquam ſpecula, imagines reddunt.

Figu-

Digitized by Google

Figura ipſis ferè dimidiati globi, raro oblonga. Interdum oui magnitudine ſunt: ſed ſępiùs minores. Aliquibus bini ſunt circuli, quaſi quidam moduli: [*Modioli Plinio ſunt mediæ partes cauæ & rotundæ rotarum, à quibus radij in circũferentiam extenduntur:*] à quorum ſuperiori, quinæ lineæ eminentes æqualibus inter ſe ſpacijs diuiſæ, procedunt ad inferiorem: quarum ſingulæ vtrinque ſtriam habent. Totidem rurſus lineę eminentes à ſuperiori circulo per media ſpacia deſcendunt ad inferiorem: è quarum ſingulis vtrinq; multæ lineæ tranſuerſæ pertinent ad ſtrias proximas. Inter eas autẽ ſemper ſunt humilia ſpacia quadrata. Aliqui verò tantummodo habent has poſtremas quinas lineas deſcendentes cum multis tranſuerſis, & ſpacijs non admodũ longis. reliqua autem media ſpacia tota eminent, carentq; & lineis & ſtrijs. Nonnulli eodem modo ſe habẽt, niſi quòd linearum loco habeant ſtrias,

Digitized by Google

& quòd ſpacia tranſuerſa emineant.

Hæc Ge. Agricola libro 5. De natura foſsilium. Idem Brontiam ſimul & Ombriam Germanicè interpretatur, groß Krottenſtein, id eſt, Batrachiten (vel Bufonis lapidem) vel Chelonitidem maiorẽ: & Donnerſtein, id eſt, Tonitrui lapidem: & Wetterſtein, id eſt, Tempeſtatis lapidem. Eiſdem verò tribus nominibus Ceraunia quoq; interpretatur, niſi quod à leuitate differentiã addit, groß glatt Krottenſtein, &c. cum Ombriæ Brontiæq́; non læues ſint, ſed partibus quibuſdam inæquales, alijs eminentibus, alijs humilioribus. Chelonitidẽ verò, ein kleinen Krottenſtein, hoc eſt, Batrachiten minorem. Nos plura de his omnibus, minori verò in primis, ſcripſimus in libro De Quadrupedibus Ouiparis, capite de Ranis rubetis G. Brontia gemma capitibus Teſtudinum ſimilis eſt, & cum tonitruis cadit, vt putant: & fulmine tacta reſtinguit, ſi credi-


Ceraunias

Chelonitis

credimus, Plinius. Vnde Brontiam quoque, alio nomine Chelonitin vocari poſſe apparet. Ego teſtudinei capitis ſimilitudinem in nullo adhuc lapide animaduerti: Batrachitæ verò dicti minores noſtri, cum rotundi ferè & caui ſint, globi dimidiati inſtar, ſpecie ſua connexa chelonium, hoc eſt, operimentum ſeu teſtam teſtudinis potiùs, quàm caput eius referunt. At ſi teſtudinis nomine ſtructurã cameratam accipias, & in ea caput appelles medium ſummumq; veluti modiolum, quem Ariſtoteles in libro de mundo ad Alexandrum, vmbilicum appellat, pulchrè ſanè videtur quadrare ſimilitudo: etſi lineæ quinque in Ombria à medio procedãt: in ſtructura, quaternæ, &c. Græcè verò Chelonitidas, diuerſos lapides, à teſtudinum animalium tegumenti figura ſic nominabimus.

Digitized by Google

Ombriorum ſpecies à Ioanne Kentmano ad me miſſa.



Luteus hic lapis (inquit Kentmanus) ex Ombriorum genere eſt vnus, niſi quòd compreſsiore eſt forma, vt notulæ in eo minùs conſpicuæ ſint, quàm in altioribus & maioribus.

Ceraunia quoq; (inquit Ge. Agricola, vel Ceraunias potiùs, vt paulò antè monuimus,) ex eo nomen inuenit, quòd cum fulmine vt vulgus credit, cadit. Nec tantùm in Carmania naſcitur: ſed etiam in noſtris agris. Caret ſtrijs & lineis: atq; in hoc differt à Brontia. Læuis verò eſt: & nunc rotũda,


Digitized by Google

da,nunc oblonga. Eius genera coloribus diſtinguuntur. nam alia partim eſt candida & pellucens, partim fuſca: alia nigra eſt, alia rubet. Hæc ille. Ex quo Germanica etiam eius nomina paulò antè cum Brontia poſui. Plinius lib. 37. cap. 9. poſt Ceauniæ gemmæ candidæ mentionem, Sotacus (inquit) & alia duo genera fecit Cerauniæ, nigras, rubentesq́; ac ſimiles eas eſſe ſecuribus. per illas quę nigrę ſunt & rotundæ, vrbes expugnari & claſſes, easq́; betulos vocari: quæ verò lógæ ſunt, ceraunias. Faciunt & aliam, raram admodum, & Parthorum Magis quæſitam, quoniam nó aliubi inueniatur quàm in loco fulmine icto.

Bætylus quidem, vel abadir, apud Grammaticos (Heſychium & Phauorinum) vocatur ſaxum, quod pro Ioue Saturnus in Libano Ilij monte deuorârit.

Lapis quem vir nobilis quidam & rerum naturæ ſtudioſus mihi pro la-

pide fulminis (Germanicè eũ Straalhammer vocabat, dono dedit, cuius hîc iconem adiunxi: longus eſt digitos quinque, latus verò tres quà latiſſimus eſt, nẽpe ſub infimam partẽ, qua cunei inſtar vtrinque attenuatur, & totus planè cuneũ refert: craſsitudo ei pollicaris, qua craſsiſsimus eſt, circa medium ſcilicet: vbi caput & latera angulis clauduntur, vt quadrangula corpora: in cuneo verò anguli coëunt, vt in aciem ſecantẽ exeant, craſſitudine infra medium paulatim attenuata. Germanico nomine Straalhammer, id eſt, fulmineum malleũ vocabat. Color in albo fuſcus, circa caput plus nigredinis eſt. Grauiſsimus eſt duriſsimusq́ꝫ, ſilici vulgari, è quo




ignis

ignis excutitur, ſimilis ſubſtãtia: & ex ipſo quoq; ignis ſimiliter dicitur. Cul trorũ & ferramentorũ, quæ in eo ducunt, aciem dirigit, non etiam acuit. De hoc genere nimirũ ſentit Cardanus, ſcribẽs: Obſcurè nitet lapis fulmineus, quẽ lima non tangit. Nam meus quoq; non ſentit, propter ſummã durißimamq; læuitatẽ, ne in angulis quidem. Ceauniæ lapides ſunt (inquit Chriſtoph. Encelius) quos Germani vocant Donnerſtein. cadunt de nubibus cũ tonitruo. Reperiũtur in * Grania: item in Hiſpania candenti colore vt ignis fermè. [*Hæc fortè de Ceraunia gemma potiùs veterum aliquis dixerit.*] Inueniuntur etiam hinc inde in Germania, præcipuè ad flumina, vt ad Albim: vbi ceraunias gemmas [*ego lapides ſimpliciùs hos dixerim,*] cryſtallo ſimiles, infectos colore cœruleo inueni, diuerſæ formæ. nonnunquam ſicuti clauas: nõnunquam tanquã pyramidẽ, vt repræſentarẽt caput ſaccha

rinum,(ſeu è ſaccharo metam.) Integras tamen nunquam inuenire potui, forſitan propter vim fulminis, qua excutiuntur nubibus, & reſultationem in terram. Harum vim eſſe prædicant (*hæc ex Marbodeo*) prouocare dulces ſomnos, & valere contra fulmina: itẽ facere ad prælia & cauſas vincendas. Hæc Encelius: qui certè Ceraunium gemmam, quam nos capite ſecundo Aſteriæ nomine deſcripſimus, cum lapide è nubibus cadente, confundit, ſicut & Marbodeus. Solinus in fine capitis 23. quod eſt de Germania: Cerauniarũ genera (inquit) diuerſa ſunt. Germanica candida eſt: ſplendet tamen cœruleo: &, ſi ſub diuo habeas, fulgorem rapit ſyderum. Similiter autem & Marbodeus & Albertus Magnus, Germanica, legerũt: cum ex Plinij libro 6. cap. 23. Carmanica ſit legẽdum: deq; gemma, non lapide intelligendũ. Vidi ego & alium apud eundem nobilem virum, meo (quem is do-

donauit) cuius iconem exhibui, ſimilem, figura eâdē cunei: ſed multò maiorē, nigrum, & pertuſum foramine rotūdo: quod quidem nulla arte, ſed impetu motus factum cōijciebat. Sic & diſcus lapideus perforabatur, vt ad proijciendū (ligno fortè inſerto) idoneus fieret: & hoc ipſo diſtinguitur à ſolo Græcis dicto, vt in Differentijs vocū annotauit Ammonius, his ver- Δίσκος.
bis: δίσκος μὲν ἐστι λίθος τετρημένος: σό- Σόλος.
λος δὲ τὸ χαλκοῦν ὁλοσφύρειον, &c. Ex his ergo Ceraunìorum lapidum differentijs, alios cuneiformes, alios diſcoides, δισκοειδεῖς: alios verò clauiformes, non à claui, ſed clauæ, ſimilitudine: qualem & Encelius ſe vidiſſe ſcribit: noſq; pictum talem à Kentmano accepimus, iconem tamen omiſimus: alias verò ab eodem miſſas ſpecies eorum quatuor ſequenti pagina ſubijciemus, literis diſtinctas, A B C D.

. A. . B . . C . . D.



A. Hunc lapidem, inquit Kentmanus, fulmen per molam, quæ à ventis agitatur, magna vi iecit Torgæ, anno 1561. Maij 17. qui erutus deinceps ab adoleſcente fuit, eius formæ qua hîc depingitur: latitudinis trium ferè digitorum, longitudinis autem quinque, Biſalte lapide, quo fabri apud nos incudis loco vbi effoditur, vtuntur, durior. Sic ille. Dixeris autem hanc figuram σφυροειδῆ, quòd σφυρὰν à Græcis dictũ mallei genus, ligneum à noſtris ein Schlegel præ ſe ferat, duplicẽ præſertim vel vtrinque capitatam: ſicut & Zygæna piſcis ſuo capite, &c.

Digitized by Google

B. Ceraunius alius, eiuſdem cum præcedẽti coloris,(hoc eſt,nigri,partibus quibuſdam in cœruleũ vergentibus,) ſicuti & duritiæ atq; ponderis eiuſdem. Forma differt. huius enim cuneus, illius malleus eſt figura. Perforati omnes. Prope arcẽ Iuliam (quæ nobis eſt Culenbergũ) terra effoſſus fuit, fulminis ictu per ingentem quercum deiectus. Sic ille. Videtur autem hic eſſe lapis, de quo Sotacus apud Plinium ſcribit, figuram habere ſecuri ſimilem: quoniam nimirum figura eſt lata, & in cuneum ceu aciem exit: & foramen adeſt, quod tanquam in ſecuri manubrió ve inſerendo factum videri poteſt, præſertim cum altiùs ſitum eſt.

C. Alia alterius figura.

D. Hunc lapidem (inquit Kentmanus) in pago Siplitz, impetu fulminis, intra terrã vineæ, per quercũ quendã deiectũ, ruſtici effoderunt, & quæſtori Torgenſi dono attulerunt.

Digitized by Google

Eſt præterea quintus, cuius figurã à Kentmano miſſam non appoſui: niger & aliorũ omnium maximus: ſphyroidi prædicto ferè ſimilis: de quo idem: Hunc grandem (inquit) lapidẽ præſentis formæ & magnitudinis (*pictum ipſe miſit digitos ferè decem longum, latum autem ſex,*) ciuis quidam Torgenſis fide dignus faber murarius effodit Viennæ in Auſtria, in cella quadam, vbi opus fecit, vlnis duodecim intra terram, fulminis impetu eò per teſtudinem iactum. Sunt qui omne hoc fulmineorum lapidum genus Germanicè Stralkeil, è fulmine & cuneo cõpoſito vocabulo: alij Stralpfil, id eſt, fulminis pilum aut ſagittã, quod nomen Belemnitæ maiori etiam tribuitur: de quibus nimirũ Cardanus quoque ſentit, cum ſcribit: Sunt & Ceraunij formâ, vt ferũt, pyramidis. Stralhammer verò, id eſt, fulminis malleũ, illum propriè qui cuneum referens perforatus eſt. Et ferunt aliqui, penes

quos

Digitized by Google

quos fides eſto, orgyiarum nouē profunditate hos lapides terrā ſubire fulminis impetu actos: & ſingulis poſtea annis ad orgyiam vnam aſcendere, ac ſic paulatim terræ ſuperficiei appropinquare. Hoc etiā accepi, colore viridi interdum reperiri genus illud cuneiforme primo loco exhibitum: veri autem Ceraunię experimentū eſſe, ſi lapis totus tenui filo, ita obuoluatur, vt filum nuſquam duplicetur, & lapidis nihil appareat, ſic prunæ impoſito lapide, ſi genuinus ſit, filum madeſcere, non vri, aiunt. Fulminis quidem figuram, qui pingendo exprimere conantur, veteres ac recētiores, longè aliam exhibēt quàm horum ſit lapidum. Lapis è cœlo delapſus, anno Salutis 1 4 9 2. qui Enſishemij in templo ſuſpenſus viſitur, pondere trecentarum librarum ciuilium, vt audio, (niſi fortè iam imminutus eſt multis fragmenta auferentibus,) nullam (puto) certam figurā habuit.

Particulam eius celeberrimus eius vrbis medicus Ge. Pictorius ad me miſit, à ſaxo arenario duritie parum differenté. In Capite de foſsilibus quæ Aquatilium animantium figuras referunt, lapidem Aſtaci fluuiatilis caudę non diſsimilem exhibebo, quem vir quidam eruditus Ombriæ nomine è Saxonia olim miſit. Hoc penè prætereram, in locis quibuſdam Heluetiæ Cryſtallum, Straalſtein, id eſt, fulminis lapidem vocari ab indigenis, ſiue à fulmine cadere gigni ve ipſum pſuaſis, figurâ lapidis ad id inuitante: ſiue abiecta prima Latini Græciq; vocabuli ſyllaba, facto nomine. Poſtremò Gallos audio, lignum in lapidis naturam conuerſum, (ſi modò lignũ id aliquãdo fuit: Petrus Bellonius enim putat nunquã hoc lignum fuiſſe: ſed tale ſtatim à natura factum) vulgò lapidem fulminis, *Pierre de foudre*, nominare. Inueniri aũt in quibuſdã Galliæ locis magna eius fruſta in agris, quæ ædifi-

dificijs etiam adhibeantur. Sunt qui Gloſſopetras etiam dictas, Ceraunijs lapidibus cognatas putant: nõ figura, ſed ſubſtãtia, duriſsima ſolidiſsimaq; vtriſq;, & ſplendida ſuperficie, ſed magis in Gloſſopetris: quas audio à Miſnenſibus etiam Donnerkeil vocari: ab Italis autem Saëte, id eſt, ſagittas.

Aſtrapiæ in candido aut cyaneo diſcurrunt è medio fulminis radij, Plinius libro 37. cap. 11. Senſus eſt radios quoſdam ceu fulminis è medio veluti centro lapidis aſtrapiæ dicti circũferentiam verſus extendi. Quærendum autem an Belemnitis fortè cõgener hic ſit: cuius ſpecies vna tales diffundit radios, quaſi fulminis, ſiue veri fulminis etiam radij quidam ſunt: ſiue alia eius figura eſt, qualis à pictoribus exprimit. Et vulgò etiã quibuſdam in locis Germaniæ Belẽnites hic radiatus, à fulmine denominat. Eius figuram dabimus infrà, cap. 6.

Chalazias grandinum & colorẽ &

Digitized by Google

figuram habet, adamantinæ duritiæ. Narrant etiam in ignem additæ manere ſuum frigus, Plinius: qui ipſum etiã Adamantem igni inuictum eſſe ſcribit, & nunquam incaleſcere. Chalaza quidem Græcis grandinem ſignificat. Idem fortè aut ſimillimus fuerit Alectorias, è ventriculis gallinaceorum, cryſtallina ſpecie, magnitudine fabæ: de qua infrà Cap. 14. Ad coniecturam accedit, quòd vt Chalaziæ adamantina eſt durities: ita & Alectoriæ fortè, hoc enim Milonem Crotonienſem vſum in certaminibus, inuictum fuiſſe videri volũt, vt ſcribit Plinius: tanquam è duriſsima eius natura in ictibus inuicta, ſicut & adamantis, geſtantem quoq; inuictum atque indomitum præſtare poſſet. Faciles enim ad ſuperſtitionem & credulitatem multorum animi, in ijs pręſertim quæ cupiunt & optant, friuolas huiuſmodi & magicas ab aliqua rerum ſimilitudine ductas facultates cõminiſcun-

niſcuntur. Quod autem Marbodæ-
us & Albertus Magnus, (in cuius li-
bris Galaſia vel Geloſia pro Chalazi-
as perperam ſcribitur,) addunt, non
incaleſcere igne hunc lapidem, & p-
petuò frigidũ eſſe, quis facilè credat?
cum ne cryſtalli quidem perpetui al-
pium frigoris alumnæ ignium calori
reſiſtant: nec Adamantes, quibus ni-
hil in rerum natura durius. Sed Mar-
bodeus ſimpliciter hoc ſcribit, Alber
tus dubiè: Tantæ, inquit, frigiditatis
eſt, vt vix vel nunquam caleſieri poſ-
ſit: quare & iræ & libidinis feruores,
& huiuſmodi calidas paſsiones extin
guit. Orpheus ſimiliter de Cryſtallo
canit, ab ea quidem Soli oppoſita in
lignis aridis excitari ignem: è quo ſi
mox rapiatur, frigidam adhuc eſſe: &
renibus (calidis nimirum & ad libidi-
nem pronis) appoſitã, eis mederi, Vn-
de apparet in multis Chalaziã & Cry-
ſtallum conuenire: ſed illum grandi-
nis figura & adamantina duritie ex-

cellere. Orpheus in poëmate, quo lapides contra ſerpentium morſus ſalutares deſcribit, vltimo loco meminit Chabazij: quod ego vocabulum planè deprauatum iudico pro Chalazio: vt carminis cauſa Chaláziũ pro Chalázia dixerit. Scribit autem ab eo refrigerari febrim, (ſic enim *νοῦσον πυρέσσουσαν* interpretor:) & ictus ſcorpionum ſanari.

Iris. Proximum Ceraunię nomen [inter candidas gemmas] apud Parthorum magos habet, quæ appellatur Iris. Effoditur in quadam inſula Rubri maris, quæ diſtat à Berenice lx. M. paſſ. cætera ſui parte Cryſtallus. Itaq; quidam radicem Cryſtalli eſſe dixerunt. Vocatur ex argumẽto Iris. Nã ſub tecto percuſſa Sole, ſpecies & colores arquus cœleſtis in proximos parietes eiaculatur, ſubinde mutans, magnaq; varietate admirationem ſui augens. Sexangulum eſſe vt Cryſtallum conſtat. Sed eſſe aliquas ſcabris lateribus

bus &angulis inæqualibus dicunt, in Sole aperto proiectas, radios in ſe ca dentes diſcutere: Aliquas verò ante ſe proiecto nitore adiacentia illuſtrare. Colores verò non niſi ex opaco reddunt, nec vt ipſæ habeant, ſed vt repercuſſu parietum elidant: optimaq; quę maximos arquus facit, ſimillimosq; cœleſtibus. Eſt & alia Iris ceræ ſimilis & prædura: quā Horus in Perſide naſci tradit. Similis eſt aſpectu, ſed non eiuſdem effectus quę vocatur Zeros, alba nigraq; macula in trāſuerſum diſtinguente Cryſtallum. Hæc Plinius lib.37.cap.9. ¶Cryſtallus (*Cryſtalli ſpecies*) quæ expoſita Solis radijs per ianuā, oſtium, feneſtrā, rimámve penetrātib⁹, figurā & varietates colorū arcus cœleſtis iacit in ꝓximū parietē, ex effectu Iris nominat. Talis autē eſt in primis cādida & lympida, ſuā natura lē habēs figurā.i. ſexāgulā. Etem angu li ī cauſa ſūt, cur Solis radios excipiēs arcū ī pariete faciat repcuſſu. quinetiā Zeros.

in eiuſdem vno aut altero angulo, ſi conſpicitur luci obuerſa, intus colores arcus cœleſtis vidētur. Reperitur hæc in iam dictis regionibus, (*alpibus Sedunorum & Germanorum, &c.*) vnà cū cæteris Cryſtallis. ſed præcipuè in Saxonibus ad Viſurgim, &c. in montibus inter Treuiros & Rhenum ſitis. Eſt altera Iris minùs candidi q̃ Cryſtallus coloris, quæ luci obuerſa, luteo citri colore fulget. atq; ob id à gemmarijs Citrina [Citrin] nominatur. Veteres eâdem de cauſa ceræ ſimilem eſſe dixerunt. Quia verò minùs candida eſt Cryſtallo, minùs pellucet, magisq́; ſpiſſos colores arcus cœleſtis in proximos eiaculatur parietes. Reperitur in Miſenæ & Boëmiæ metallis, ac ferè in ijſdem locis in quibus Cryſtallus: &, vt Horus ſcripſit, in Perſide: quæ cum prædura ſit, noſtra non multùm eſt dura, ſed ferè mollis & fragilis. Cryſtallus quidem in aliam quàm angulatam figuram formata, non arcus cœleſtis

leſtis colores, ſed ſui ſimiles iacit in proximum parietem. Hæc omnia Ge. Agricola libro 6. de natura foſsilium.

¶ Audio & aliam quandam gemmam Weſe Germanis dictam, (quo nomine tamen Agricola gemmas diuerſas interpretatur, Aſterium, Eriſtalim, & Opalum,) cœleſtis arcus colores ad parietes reddere. Video & in alijs quibuſdã albis ac pellucidis corporibus, vt lapidis Specularis & Salis gemmei, cum pars aliqua fatiſcit aut rimam habet, latentem fortè intus, ictu aut caſu aliquo conceptam, Iridis colores intrinſecus reddi. In Murrhinis vaſis ſunt qui maximè laudent extremitates, & quoſdam colorum repercuſſus, quales in cœleſti arquu ſpectantur, Plinius lib. 37. cap. 1.

Eſt inter Iaſpidis ſpecies, inquit Plinius, quæ nubem complectitur, & alia quæ niues imitatur. Et alibi, Leucopetalos candorem niuis ex auro diſtinguit. Iaſpis πελλαιὸς cognomine, Nubes. Nix.

Digitized by Google

ſimilis eſt niui, Epiphanius.

Ros. Droſolithus varij coloris lapis eſt: qui igni admotus velut ſudorem emittit, vnde nomen ei à rore: vt Camillus Leonardus libro ſecundo de lapidibus ſcribit, authore nullo nominato. Ego non vni lapidum generi proprium hoc putârim: ſed omnibus fortè qui valde ſolidi & læuiſsima ſuperficie ſunt, vt Ceraunio, Gloſſopetræ, &c. & qui aquam continent, vt Enhydro.

Fumus. Ad Meteora vapor etiam & fumus pertinent. Cum & in aëre conſiſtant, & aliquid in eo gignant. Inter Iaſpidis ſpecies eſt quædam veluti fumo infecta, quæ capnias vocatur, Plinius. Et alibi: Capnites quibuſdam videtur ſuum genus habere, plurimis ſpiris fumida, vt ſuo loco diximus: in Cappadocia & in Phrygia naſcitur, ebori ſimilis.

DE


DE LAPIDIBVS ET METALLIS, *quæ denominantur à rebus terreſtribus inanimatis.* Cap. IIII.

ARenarum ſimilitudo eſt in Ammochryſo, velut auro harenis mixto, Plin. De hoc paulò pòſt plura.

Hammites ouis piſcium ſimilis eſt, & alia velut nitro compoſita, prædura alioquin, Plinius 37.10. Eſt autẽ locus obſcurus, & (vt ſuſpicor) deprauatus, in his verbis, & alia velut nitro cõpoſita: quibus omiſsis, clarior eſſet ſententia. Quid ſi pro ijs ſubſtituas? & tota velut arenis compoſita, ſic enim etymologię ratio conſtaret, quũ ab ammo ſiue hammo, quæ Græca dictio arenam ſignificat, deriuetur. Aliq legũt Am̃onites, qđ minùs placet. neq; em̃ ab ἄμμ῀ος, ἀμμονίτης, ſed ἀμμίτης rectè formari poteſt. Ammonites, inqt Agricola, ex arenis ita cõponit̃, vt ouis piſciũ quod ad figurã attinet, ſimilis videat̃ eſſe: nitro † interdũ, qđ

† Quaſi [...]pud Plin[...] rectè ſic[...]gatur.

ad ſubſtantiam & colorem. Id genus lapides inueniuntur in Saxonibus ad Alfeldam & Hildesheimum, nucis iu glandis magnitudine, aliquando etiã maiores. Sunt eiuſdem generis ſaxa, quæ in ſeptimo libro perſequar. Hæc ille.



Ex tribus figuris hîc expreſsis, prima eſt lapidis ex multis veluti piſis cõcreti, quem Piſolithum vel Orobiam dixerim, (Germanicè Erbsſtein,) vel Ammoniten Ammitén ve maiorem. Vide infrà cap. 7.

Secunda Ammonitem ſiue Hammitẽ (aſpiratio n. addi vel omitti poteſt,

teſt,) minorem: qui oua piſcium minora, vel aranearum refert, aut papaueris milií ve ſemina conglobata: (vnde & Meconites & Cenchrites Plinij nominari poſſet:) Agricola Rogenſtein vel Ragenſtein interpretat̃, quod tamen nomen ſaxo arenario quoque tribuit. Hunc lapidē Berna ad me miſit vir doctiſsimus, ſacrarum literarū interpres Benedictus Aretius, duplicem: album, è Iura monte: ruffum ex Cinereis Bernenſium ditionis montibus, quos Aeſchepirg vocāt. Eundem autem (vel paulò maiuſculis granis) priùs miſerat nobilis medicus, Ioannes Kentmanus Dreſdenſis, ꝗ & alios permultos miſit. Videtur autem totus quaſi ex arenulis rotundis conflatus: ideoq; ouis piſcium ſimilis, quæ recentiores quidam arenida cognominarunt, hoc eſt, ψαθυρὰ & friabilia. Confriatur autem & reſoluitur facilè hic quoq; lapis in arenulas ſiue granula è quibus conſtat. quæ quidem ſin-

Digitized by Google

gula prædura ſunt, inſipida & inodora. Germanico nomine Ragenſtein interpretatur Agricola: nos oua piſciũ Rogen, (per o. in prima ſyllaba, non per a.) nominamus. Eodem verò nomine Saxum arenarium quoq; Rogenſtein (ibi n. per o. ſcribit) & Sandſtein appellat. Plura lege mox in Stalagmite.

Tertia Thermarum Carolinarum in Bohemia guttas, in lapideæ formæ veluti piſa cõuerſas, quæ gypſi aut calcis planè naturam, colore & ſubſtantia præ ſe ferunt.

Ammonitrum.

Ab hoc Ammonite, ſiue Ammite potiùs, plurimùm differt Ammonitrum à Plinio dictum, lib. 36. cap. 26. maſſa quædam ex harena alba & molliſsima, quæ pila molaq; teritur. Dein miſcetur tribus partibus nitri pondere vel menſura: ac liquata in alias fornaces transfunditur. Ibi (inquit) fit maſſa quæ vocatur Ammonitrũ. atq; hæc recoquitur, & fit vitrum purum,

Digitized by Google

ac maſſa vitri candidi. Iam verò & per Gallias Hiſpaniasq́ſimili modo harenæ temperantur. Sic Plinius. Hodie vitri loco cinerem herbarum quarundam, vt alkali dictæ, & ſilicis ſubſtitui puto. Aliqui tamen vitri loco ſalem foſsilem: aut ſi deeſt, marinum factitiúmve alium: aliqui etiam ex arboribus cinerem ponunt, Agricola teſte.

Stalagmites.

Cæterùm vt Hammites totus arenulis rotundis conſtat: ita Stalagmites, aptè ſanè à doctiſsimo viro Georgio Fabricio dictus, è guttis itidem rotundis, in lapidem gypſeæ ſubſtantiæ conuerſis, totus coagmentatur. de quo ſic aliquãdo ad me idẽ Fabricius ſcripſit: Hãmites alius eſt à Stalagmite. ſic em̃ noĩo q̃ è guttulis calidarũ in terra arenaria formatʳ: q̃ ꝓ qualitate terræ, modò cãdidꝰ, modò griſeus, (fuſcus:) ꝓ quãtitate aq̃ guttatim defluẽtis, modò piſorũ, modò coriãdri refert magnitudinẽ: & reperiunt̃ in vna maſſa plurimi quaſi fauis incluſi, &

eximũtur ea ceu grana. Hammitæ verò corpus vnum eſt, ſaxea duritie: & ex vna fit materia, aut ex ſola harena, qui coloris cinerei effoditur in Pruſſia, eo loco qui Hortus roſarũ nominatur: aut ex ſucco lapideſcente, qui eſt candidus. Vtriq; ſunt inſperſæ micæ coloris argentei. Stalagmites copioſiſsimus eſt in thermis Carolinis prope Schlacceualdam, Caſparis Pflugij oppidum in Boëmia.

Stalagmitæ iam dicto perſimilis eſt lapis quem ego Piſolithum aut Orobiam voco, quòd è multis ceu piſis vel eruis cõſtet, præduris, & quæ dentibus frangi nequeant, colore fuſco. Hic non malè Hammites maior appellaretur, Germanicè **groſſer Rogenſtein/oder Erbſſtein.** Plura vide infrà capite octauo.

Cæterùm vt Stalagmites è guttis ſuam formam ſeruantibus coit: ſic vbi deſcendunt in longitudinem guttæ, & veluti ſtirias efficiunt, (quales è

niuibus

niuibus liquatæ tectorum alibí ve á-quæ, rurſus antequam defluant gelu aſtrictæ pendent, pyramidum ſpecie, plures plerunq; pariter, magnitudine inæquali:) aut inæqualiter protuberantem chœradum ſiue ſtrumarũ ſpecie, lapides gignuntur, quos Wallſtein Germani vocant, ab eo quòd oſſa ferruminare credantur emplaſtris additi. dependent autem, ni fallor, à ſaxis ferè, per quæ craſsior aqua & frigidior, paulatim defluit: vt in arce Bruneggo nó procul Lenceburgo in Heluetijs: & prope catarrhacten Rheni inferiorem ad Lauffeburgum oppidum in proximo monte, qui planè ſtirijs ſimiles ſunt, oblongi, teretes, niſi quod in mucronem vt pyramis exeunt, albi, pellucidi. Inueniuntur & tofi ſubſtantia alibi, vt in Hungaria Dacico ſeu Septemcaſtrenſi tractu.

A metallis denominata foſsilia, & primùm ab auro.

Chryſites. Ad cotes, ad quas lapides cæteros atterunt, accommodatæ atq; vtiles ſunt cruſtæ ſaxi, inter Penicam oppidum & Roſeburgum arcem in Miſena reperti: vt quondã lapis Thebaic⁹ interſtinctus aureis guttis: & ex Chalazio Chryſites, Ge. Agricola lib. 7. de nat, foſsilium. Et alibi: Coticulam alij chryſitida nominant, quòd aurum ipſi attritum colore, tanquam, trutina examinet.

Phloginos, (id eſt, flammeus: ſic enim lego, non Philoginus) quoniam armatura aurei coloris obductus eſſet, Chryſites eſt appellatus. is verò oſtreæ Atticæ aſsimulatus inuenitur, vt Plinius ſcribit, in Aegypto, Idẽ lib. 5. de nat. foſsiliũ. Ego pro oſtreæ repono ochræ. hæc enim Attica probatur, & color aureus accedit. Pyritẽ in Cypro reperiri volunt, vnum argẽteo colore, alterum aureo.

Spuma

Spuma argenti optima, quã chryſitin vocant: ſecunda, quã argyritin, Plinius. Non igitur rei vnius appellatiuũ nomen eſt, ſed adiectiuũ, maſculino genere ὁ χρυσίτης: fœminino, ἡ χρυσῖτις. quare & terra chryſitis dicit̃, id eſt, aureola, vbi ſunt fruſta auri: & Polluci χρυσίτις λίθος, lapis Lydius quo aurũ explorat̃: & χρυσίτις ψάμμος Herodoto, arena quæ alijs ammochryſos.

Ab auro p̃terea denominant̃, Chryſocolla, Chryſolãpis, qui & Topazius, pallidi coloris die, & noctu ignei: Chryſolithus. Chryſophis gẽma aurum videt̃ eſſe, Plinius 37. 10. mihi Gręca hæc dictio nó arridet, malim χρυσοφαυὴς, aut χρυσοφαὴς, vt ἡδυφαὴς, id eſt, ſuauiter ſplendens, epitheton Succini apud Dionyſ. Afrũ, ſicut χρυσαυγὴς eiuſdẽ ibidẽ. Hęc Succini ſpecies auri inſtar ſplendida, Chryſolectrũ dicit̃ à Plinio, quaſi coloris aurei, 37. 3. hãc ex Calliſtrato ſcribit matutino gratiſsimi aſpect⁹ eſſe, rapaciſsimã igniũ, &c.

Aliqui chryſoelectrũ ſcribũt quinque ſyllabis: ſed meliùs ſcribitur chryſelectrum, χρυσήλεκτρον, vt χρυσήλατος, &c. Et apud Plinium eiuſdem libri capite 9. Appellant, inquit, aliqui (*malim aliquæ, ſcilicet chryſolithi, &c.*) & Chryſelectri, in colorem Electri declinãtes: matutinus aſpectus iucundior. Videtur autem ſui oblitus, gemmam propriè dictam, & chryſolithi ſpeciẽ hîc faciens, ſuprà autem Electri propriè dicti, id eſt, ſuccini: à cuius colore nomen etiam Electro metallo communicatum eſt. Topazij duo genera faciunt, Plinius lib. 37. cap. 8. praſoidẽ, atq; chryſopteron ſimilem Chryſopraſo: quorum alterum, id videtur eſſe cuius fulgor in auri exit colorem: cuius in pallidiorem, alterum, Agricola. Chryſopraſus quidem legitur Apocalypſeos cap. 21. Aliqui non rectè Chryſopraſiũ quinq; ſyllabis ſcribunt. Plinius lib. 37. cap. 5. cum de beryllis ſcripſiſſet, ſubdit: Proximi q

vocan-

vocantur Chryſoberylli: & ſunt paulò pallidiores, ſed in aureum colorē exeūte fulgore. Vicinum genus huic eſt pallidius, & à quibuſdam proprij generis exiſtimatur, vocaturq́ꝫ Chryſopraſus. Et cap. 8. Vilioris turbæ virídantium praſius eſt: cuius alterū genus ſanguineis pūctis obhorret: Tertium virgultis tribus diſtinctum eſt, candidum. Præfertur his (*ſic enim lego*) Chryſopraſus, porri ſuccū & ipſa referens, ſed paulùm declinans à Topazio in aurum. Et cap. 11. Colos appellauit Chryſopraſum herbaceus. Pro Chryſopraſo indocti Chryſopaſſum ſcribunt: χρυσόπαστος quidem Græcis auro vel aureis punctis conſperſum ſignificat: χρυσόπαστος τάπης, tapes auro intertextus, apud Chryſoſtomum legitur. Sapphirum regiam χρυσόστιγῆ Epiphanius cognominat: qui & Chryſolithon alio nomine Chryſophyllon vocari tradit. Coralloachates guttis aureis Sapphiri modo diſtingui-

tur, Plinius.

Arenarũ ſimilitudo eſt in Ammochryſo (*aliàs Hammochryſo,*) velut auro harenis mixto, Plinius. Vt Magnetis lapis eſt (inquit Agricola) argentei coloris, ita aurei Ammochryſos. arena tamen eſt magis quàm lapis, prorſus auri colore ſimillima, vnde nomẽ inuenit: non ex eo, vt Plinius ſcribit, quòd veluti auro arenę miſtæ ſint. Metallici noſtri appellãt nomine ex fele & auro ducto (Katzengold, vel Strãgold:) nihil enim auri in ſe continet. Hinc conficitur aureus puluis, quo q̧ ſcribunt, arenæ loco vtuntur. Hæc ille. Mihi hæc etiã Magnetis aurea dici poſſe videtur: quòd ita auro ſimilis ſit, vt Magnetis argento, de qua poſtea. Ego Ammochryſon in glebula habeo, quę in arenas facillimè reſoluitur, omnes ex æquo aurei coloris, vt non idem ſit Ammochryſos compoſito nomine, & ſoluto ἄμμος ſiue ψάμμος χρυσίτις, id eſt, arena aureola, vti apud

pud Herodoto appellatur: qualis nimirum in fluuijs quibuſdam reperitur. quos Latini auriferos cognominant. χρυσοῤῥόαι Gręcis fluuij aliquot, ceu proprio nomine dicuntur, quorũ aliqui non arenas modò aureas, ſed ramenta etiam & maſſulas auri deferunt. Huiuſmodi ψήγματα ſeu ramenta auri arenæ terræq; permixta, à chryſoplytis artificibus, vt Budæus nominat, in Chryſoplyſijs officinis lauando ſeparãtur. Eſt & chryſulca aqua Budæo, qua ita lauant res inauratas, vt nihil depereat. De Ammochryſo plura leges apud Georgium Fabricium in libello de Metallicis, capite de auro. ¶ Inter Chryſolithos ſunt & Melichryſi, veluti per aurum ſyncero melle tranſlucente, quas India mittit, quanquã ad iniuriam fragiles, Plinius 37.9. Fiunt & Leucochryſi (inq̃t ibidem inter Chryſolithos) interueniente candida vena. Leucopetalos candorẽ niuis ex auro diſtinguit, Idẽ.

Aurichalcum quoq; ab aureo colore nomen traxiſſe videri poterat, niſi ὀρείχαλκον ſcriberẽt Græci, vetuſtiores etiam. Auripigmento verò, color aureus qui inde pingitur, quin nomẽ dederit, dubium non eſt. Cornu Ammonis & alij quidam lapides, armantur interdum ita, vt eorũ arma ex auro vel orichalco polito plerunq; eſſe facta videantur, Agricola.

Argenti colorem imitatur Aſpilates altera, Plinio. Androdamas (gemma) argenti nitorẽ habet vt adamas, quadrata, & ſemper teſſellis ſimilis, &c. Eadem ſitan alia Argyrodamas, autores non explicant, Plinius 37.10. Galaicos eidem Argyrodamanti ſimilis eſt, paulò ſordidior. & Atizoë argenteo nitore fulget, &c. Argentum viuum, quod Græci ὑδράργυρον & ἄργυρον χυτὸν vocitant, omnibus notiſsimum eſt, λιθάργυρος, id eſt, ſpuma argenti, optima quam chryſitin vocant: ſecunda quam argyritin, Plinius.

nius. Argyrites colore argenti lapis eſt, habens ſtigmata aurea, Obſcurus.

Pyriten in Cypro reperiri volunt, vnum argenteo colore, qui & argyritis à Democrito cognominari videtur: alterum aureo, Hermolaus. Dicitur & ἀργυρῖτις terra, è qua foditur argentum: & ἀργυρῖτις ψάμμος, id eſt, argentei coloris arena, nominat Dioſcoridi libro 5. cap. 101. Et ἀργυριτίδων φλεβῶν venæ argentariæ, ab Ariſtide.

Cæterùm vt ſuperiùs in Auri mentione Ammochryſon & ἄμμον, ſeu ψάμμον ἀργυρῖτιν differre monui: ſimiliter circa Argentum, Magnetis ceu Ammochryſos fuerit, hoc eſt, corpus argento ſimile: Germani Katzenſilber appellant, & Silberweyß: alij Glimmer/Talk. Mica verò, arenæ inſtar, ἀργυρῖτις ψάμμος: quæ itidem à Germanis Glimmer vel Katzenſilber nominatur æquiuocè: cum Magnetidi veriùs hæc nomina quadrent: Mica verò cõpoſita à lapide aut arena nomine, me-

lius Steinglimmer vel Sandtglimmer diceretur. Conſtat Magnetis ex cruſtis vt lapis ſpecularis, argentei nitoris: nec eſt friabilis, vt foſsilium pleraque, ſed fragilis cum in partes duas diuidi poſsit: Multa de ea diligẽter Ge. Agricola libro 5. de natura foſsilium. Magneti (*Magnetidi lego, vt à Magnete lapide diſtinguã, etſi veteres nou ita diſtinxiſſe puto.*) inquit idem ibidem, colore ſimilis eſt mica, natura diſsimilis. Etẽm Mica. argẽtei eſt coloris, ſed igni conſumiť. In lapidib⁹, marmoribus, arenis lucet, ita his agnata vt ſepararı non poſsit.

Ab ære, quod Græcis χαλκὸς eſt, denominatur chalcanthum, χάλκανθον, quaſi æriflorem dicas compoſito vocabulo: quod ex ære aut metallis æris effloreſcere quodammodo videatur: vitriolum recentiores vocant, à quadam vitri ſimilitudine, viridis præſertim: ſimiliter enim pellucet. Germani vulgò Cupri aquam vocitant. Celſus atramentum ſutorium interpretatur.

cui

cui cognata eſt chalcitis, χαλκῖτις, ἡ. q
ceu lapis quidam rubicundus eſt, ex
quo æs ipſum excoquit. A chalcan-
tho aũt plurimùm differt χαλκοῦ ἄνθος,
id eſt, æris flos, duobus nominibus ap
pellatus, vt norunt medici. Aeris co
lorem imitatur chalcites, teſte Plinio
inter lapides, lib. 37. cap. 11. videtur au-
tem non alius lapis, quàm metallicus
ille, de quo iam dixi intelligendus: &
is ſiue χαλκίτης, ὁ. vt ſubaudiatur λίθος:
vel χαλκῖτις, ἡ. abſolutè, aut γῆ aut συ-
πτηρία ſubaudiendo, dici poſſe. nam a-
pud Hippoc. legitur γῆ χαλκῖτις, id eſt
terra æraria, nec aliud q̃ chalcitidem
ſimpliciter dictã ſignificat, teſte Gale
no in Gloſsis: & χαλκῖτις στυπτηρίη, pro
pro eadem ſimpliciter dicta Chalciti
de. Quanquã Plinius lib. 35. cap. 15. de
generibus Aluminis agens: Hoc quo-
que (inquit) fit ex lapide, ex quo & id
Chalcitin vocãt: vt ſit ſudor quidam
eius lapidis (nempe Chalcitidis) in
ſpumam coagulati.

Digitized by Google

¶ Balanitæ genus alterum, æris Corinthij colorem imitatur, vt Plinius tradit. Chalcophonos nigra eſt (gēma,) ſed illiſa æris tinnitum reddit, tragœdis, vt ſuadent, geſtanda, Plinius lib. 37. cap. 10. Sic & Pirnenſi marmori ſimile Hanoberanum, lapidi p̄cuſſum, tinnitum reddit, vt obſeruauit Agricola. In alpibus reperitur ſaxi fiſsilis genus rubicundum, quod mutua colliſione laminarum in quas ſoluitur, ſonū argutū æris propemodū lædit. Alabaſtritæ aut Phengitæ genus è quo ſpecularia fiant, & quod digito percuſſum vitri aut æris modo ſonet, quale ſit, iam ſuprà inter ea quæ ab igne denominantur dixi. Oſtracias quoq; digitis percuſſus, tanquā olla ſonitum edit, Agricola teſte.

Chalcedonius apud veteres nullus eſt: quod moneo ne quis putet, hanc quoque gemmam ab ære dictam eſſe. Apocalypſeos quidem cap. 21. inter gemmas xij. χαλκιδὼν numeratur, vbi Hie-

Hieronymus & Eraſmus Rot. vertunt Calcedonium: ſed Græca vox corrupta videtur, legendumq́ꝫ καρχηδόνιος, id eſt, Carchedonius: quæ ſpecies eſt Carbunculi gemmæ, Granati nomine hodie celebris, à Carchedone, id eſt, Carthagine, vrbe totius Africæ olim potentiſsima: à cuius opulentia Carchedonios fuiſſe vocatos, non quod circa Carthaginem inuenirentur, ſed quòd à Pœnis negociatoribus Romā afferrentur, author eſt Plinius lib. 37. cap. 7. Hanc noſtram ſententiam non dubito, quin doctiſsimus quiſqꝫ ſit approbaturus: ſi quis tamen moroſior Calcedonij vocabulum retinere velit, quoniam & Græce ferè in Apocalypſi ita ſcribatur, & hodie in multorum ore ſit Calcedonius lapis: fruatur ille opinione ſua: ſed ita quoqꝫ χαλκηδόνιος in Græco legendum foret: & Latinè Chalcedonius, c. aſpirato. Eſt autem Chalcedon vrbs Bithyniæ iuxta Boſphorum Thracium, ex oppo-

ſito Byzantij: à qua tamē ciuitate gēmam vllam denominari veterum nemo tradidit, quod ſciā. Qui verò hodie neſcio quomodo Chalcedonij vulgò dicuntur, ad Onychem & Murrhinam veterum ab eruditis referuntur. Iaſpidē turbidam Chalcidia mittit, inquit Plinius. Chalcoſmaragdos è Cypro adfertur, turbida æreis venis, Plinius li. 37. cap. 5. ¶ Chalcolibanon, χαλκολίβανον in Sacris, Apocal. cap. 1. dictio eſt compoſita ex ære & thure, vt quidam ſcribunt: aut fortè à Libano mōte. Suidas indicat eſſe genus electri, precioſius auro: Electrum autē eſſe ſui generis aurum, (χρυσίον ἀλλότυπον) conflariq́; ex vitro & lapide, (ὑέλῳ καὶ λιθείᾳ,) teſtans eius temperaturę fuiſſe menſam ſanctam magnę (vt ipſe vocat) Eccleſię. Videtur autem λιθείᾳ, nō quemuis lapidem, ſed precioſum ſignificare, & fortè ex vitro ac gemmis quibuſdam pellucidis in vnum conflatis, genus hoc electri, aurum

aliter

aliter ὁμωνυμως dictum, cōficiebatur.

Adamantis ſpecies Cypria vocata, vergit in æreum colorem. Armatura lapidum quorundam, ferro aut æri polito ſimilis eſt. Orichalcum ſecundum Grammaticos eſt æs aurei coloris, quod in montibus inuenitur, vnde nomē traxit. At noſtrum orichalcum, artis, non naturæ opus eſt: nec ex vllis montibus aut fodinis eruitur, ſed genere quodam cadmiæ æs ita tingitur, vt aurum præ ſe ferat. Cicero tertio Officiorum: Si quis aurum vendens, inquit, orichalcum ſe putet vendere, indicétne ei vir bonus aurum illud eſſe? Tibia vincta orichalco, Horatius de Arte, prima & ſecunda correptis. Sunt qui Aurichalcum ſcribant, ---Κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ, Heſiodus in Clypeo Herculis. vbi interpres: Ὀρείχαλκος, τὸ λευκὸν χάλκωμα, ἐν ὄρεσι γὰρ εὑρίσκεται. ἄλλοι δὲ φασὶν ὀρείχαλκον εἶναι ὕλην τινὰ μεταλλικὴν, χαλκοῦ τιμιωτέραν.

Ferrum, Græcis eſt σίδηρος. Ferrugo, rubigo ferri, ἰὸς σιδήρου. cuius color foris quidem, è fuſco ruſſoq́; mixtis ad cœruleum tendit. vnde ferrugineus color in hyacinthis & violis celebratus. hodie violaceum colorem vocant, vt quibuſdam placet. mihi paulò nigrior, vel cœruleo ſaturatior in hyacintho quàm in viola videtur: etſi apud Claudianum 2. de raptu Proſerpinæ legimus,

——— *dulci violas ferrugine pingit.*

Proximus quidem, ſi non idem, color eſt, & à violis ianthinus, ab hyacinthis (quos Vergilius ferrugineos cognominat, Hyacinthinus dicitur. Sunt q̃ eundem caſtaneæ colorem faciunt, (vulgò Keſtenenbraun / Nägelefarb,) q̃ tamen paulò plus ruffi, minùs autem cærulei habere videtur. Raſæ verò ferruginis color alius eſt, & nigredine remiſſa ruffeſcit magis, vt xerampelinus. Σιδηρῖτις dicitur aut cognominatur potiùs terra vbi fodit, vel è qua

coquitur

coquitur ferrum. Magnes quoque, Heraclius vel Herculeus lapis aliter dictus, (quod nomen tamē etiam Coticulæ aliqui tribuunt,) Siderites (Plinio etiam teſte) meritò vocatur. nam ferrum facie ac pondere naturaq; repræſentat, & eiuſdem ſcobem particuláſque minores, vt acus, annulos, ſumma cum admiratione ad ſe trahit.

Orites globoſa, (aliâs gleboſa, meliùs) ſpecie, à quibuſdam & Siderites vocatur, ignem non ſentiens. Plinius lib. 37. cap. 10. Eiuſdem verò libri cap. 4. Adamantis (inquit) duritia inenarrabilis eſt, ſimulq; ignium victrix natura, & nunq̃ incaleſcens. Huius ſpecies Cypria vocata, vergit in æreū colorē: poſt hūc eſt Siderites, ferrei ſplē doris, pondere ante cæteros, ſed natura diſsimilis. nam & ictibus frangitur, & alio Adamāte pforari poteſt, quod & Cyprio euenit: breuiterq; vt degeneres, nominis tantùm autoritatē habent. Sic ille. vnde Oriten, & Sideri-

ten, Adamantum generis eſſe aliquis conijciat: ſed cũ capite decimo ignibus hanc gemmam (Sideriten) cedere neget: quarto, optimo Adamâti ſolùm id tribuit, ſicut & inuictam ad ictus vim: ſideritem degenerem ictib⁹ frangi ait, vnde & ignibus eundem cedere veriſimile fuerit: ſi modò non omnis adamas cedit, eatenus ſaltem vt incaleſcat. Orpheus inter lapides theriacos, vt ita dicam, id eſt, ſerpentium morſibus reſiſtentes, Oſtriten numerat, ὀστρίτην, ſi modò rectè legitur in lẽmate ſimul & carmine:

Νῦν δὲ καὶ ὀστρίτην οἴνῳ λίθον ἐντρίψαντες.

Fortè autem ὀρίτην legendum, vel ὀρείτην, aut ὀρίτην, propter carmẽ. Inferius enim legimus,

Τοῖον γαῖα βροτοῖσιν ἀρηγόνα τίκτεν ὀρείτην.

[aliâs, ὀφείτην, quod non probo.]

Eundẽ verò & Sideriten nominat: & lapidem facit ſubaſperũ, nigricantẽ, denſum, ſolidũ, circundantib. eum vndiq; fibris quibuſdam rugoſis.


Ἀμφὶ

Ἀμφὶ δέ μιν κύκλῳ πυρί τ' ἀμφί τε πάντα
θηρῶν ἰνδῶν
ἴκελοι ῥυτίδεσσιν ὑπογράβδην τανύονται.

Agricola hæc nõ conſiderauit, nec alius quod ſciam. Cauẽdum aũt nec-vbi Magnes & Adamas, cum vterque Siderites dicatur, cõfundantur: quod fortè fecit Plinius cum Oriten glebo-ſa ſpecie eſſe tradit, quod cõuenit Ma gneti ſeu Magnetidi: & ignẽ nõ ſenti-re, quod Adamãti tribuit. Orphei cer tè Orites Magnetidi potiùs q̃ Adamã ti cognatus fuerit, cum intra corpus ſumatur cõtra ſerpentiũ morſus: Ada mas autẽ veneni rationẽ habeat intrò ſumptus: Quin & tritũ è vino bibi iu bet, cũ Adamas nõ teratur: & in ignẽ proijci, vt odore ſuo ſerpentes fuget: Adamas autem ignibus inuictus, nul lum proculdubio halitum odorém ve emittet. Obijci poteſt, Orpheum de Magnete ſtatim antea egiſſe: vt hic Magnes eſſe non poſsit. Re-ſpondeo, De Magnete poëtam priùs

egiſſe vltimo loco inter lapides dijs gratos & ſacrificijs adhibendos: Oriten verò, non ipſum Magnetem ſimpliciter, ſed eius ſpeciem, primum facere inter illos qui morſibus venenatis aduerſentur. De fibris illis rugarũ ſimilibus, quæ lapidem vndiquaque ambiant, quærendum. Sunt autẽ fortè nihil quàm lineę quædam aut ſtrię, quales in Schiſto lapide viſuntur: qui ſpecies eſt hæmatitæ, vt hæmatites Magnetis, (vnde & Hæmatites Magnes pro Hęmatite ſimpliciter à Plinio dicitur,) etſi nõ eâdem attrahendi ferri natura præditus. Quod ad nomen ipſum, Magnes à Latinis ſcribitur, Plinio & alijs: à Græcis ferè *μαγνῆτις, ἡ*, (*ἡ μαγνῆτίς τε καὶ ἡρακλεία καλουμένη*, Galenus lib. 9. Simpliciũ,) vt ſubaudiatur *λίθος*, ab Orpheo etiam *μάγνησσα*. A Magneſia enim vrbis nomine, (quarũ altera Macedoniæ, altera Aſiæ eſt: ab vtraq; autem hunc lapidem mitti Plinius è Sotaco repetit,) Magnetes vel Magne-

Magneſij populi dicuntur, maſc. genere. nam & regio ipſa Macedoniæ Magneſia vocatur. μαγνῆτις verò & μάγνησσα, gẽtilia fœminini generis ſunt. Longè verò alia eſt Magnetis illa lapidi ſpeculari ſimilis, de qua ſcripſi ſuprá. Libuit & picturam Magnetis hîc addere, quæ cũ per ſe rectè exprimi nó poſſet, ferri ſcobem qua trahit, ab eo hærentem expreſsi, ſicuti & acum, vt ferrum eſſe intelligeretur.



Redeo ad nomen ὀστίτης: quod etſi iam dicto Orphei loco malè pro ὀρίτης mihi poſitum videtur, & ipſum tamen lapidis oſtreo ſimilis nomen eſſe non negârim: vt ab Oſtreo deriuetur ὀστρείτης, ſyllabis quatuor: vel ὀστρείτης tribus, carminis gratia. Nec tamẽ hunc eſſe putârim Philoginon (*vbi for-*

tè phloginon legendum à colore flammeo: aut philogynon per y. in penult.) dictum aliter gemmam, quam & Chryſiten vocant, inquit Plinius, oſtreæ Atticæ aſsimulatam in Aegypto. vbi ochræ, non oſtreæ legendum cenſeo, vt ſuprà etiã monui. Oſtraciti oſtrea nomen & ſimilitudinem dedere, Plinius: quem in hoc deceptum dixerim, quòd oſtracum pro oſtreo accepiſſe videatur: cum & res ſint diuerſæ, & qui denominantur ab vtraq; lapides, plurimũ differant. Ab oſtraco enim, id eſt, teſta figulina (cui quidem etiam teſtæ concharum & turbinatorum in mari animantium comparantur. quæ ab hoc ipſo etiam ὀστρακόδερμα generali vocabulo, & ὄστρεια per ει diphthongũ in penultima, appellantur: ὄστρεα enim eorum ſpecies vna ſunt, per ε. nudum in penult.) oſtracias vel oſtracites deriuat: quæ duo nomina legunt apud Plin. lib. 37. ca. 10. Oſtracias ſiue oſtracites (inqt) eſt teſtacea, durior: altera

Acha-

Achatæ ſimilis, niſi ꝙ Achates politu ra pingueſcit: duriori tanta ineſt vis, vt aliæ gēmæ ſcalpant fragmētis eius. Idē lib.36. Oſtracitæ ſimilitudinē teſtę habēt: vſus eorū pro pumice ad læuigandā cutē. Agricola Oſtraciten Germanicè interpretat, Topffſtein: Oſtraciam alterā verò, Lurſaffyr. quo nomine mihi oſtenſa eſt gemma ſaturatiſsimi Indici colore: qui oſtendebat gemmarius magni precij eſſe dicebat, præduram, ita vt alias gemmas incideret. maioris autem precij eſſe in eo genere, cui aurei coloris aliquid mixtum eſſet. Germanicum nomen, à Lynce an aliunde ei factum ſit, neſcio: cum Lyncurio quidem nihil ei commune video. Ex Oſtracite (inquit idem) natura in Hildeshemio tractu inter antrū & charadrā; facit Hæmatiten, ars ex Magnete. vtraꝗ vrēdo. Et alibi: Ad cutē læuigādā & pilos amouēdos cōuenit oſtracites, ita dictus ꝙ teſtæ ſimilis ſit. Eū iuniores Græci λιθόστρεον

videntur nominaſſe, vt ab oſtracorũ teſtis diſtinguerent: veteres & Ceramiten, cum teſtæ habet colorem: & cheramidē, maximè cum eum cœruleæ bullæ cingunt. Ex cruſtis conſtat: facileq; findi poteſt. digitis percuſſus, tanquam olla ſonitum edit. Hodie reperitur in Hildeshemio circa antrum à nanis appellatum, colore ſubrubēs. Eum tractum, vt dixi, quondam arſiſſe, multa indicant. Exiccat oſtracites, & aſtringit, &c. Quod ad remedia quidem fortè non multùm intereſt Oſtraciten teſtis ſimilem, & Oſtreiten lapidem ſimilem oſtreis confundi. Cęterùm vt oſtreorum quæ propriè ſic dicuntur teſta ſuperficiem valdè aſperam & inæqualem habet, vt ea ratione pumicis vicaria eſſe poſsit, ſic & Oſtracites vel Oſtreites potiùs lapis. [De oſtracodermis quidem varijs in lapides conuerſis, infrà ſuo loco dicemus.] Oſtraciæ alteri tranſlucida viriditas eſt mixta nigrore. Eius fragmē

tis

Digitized by Google

tis quidam noſtris etiam temporibus alias gemmas ſcalpunt, Agricola. A Siderite prædicto vtroq; differre vide- Siderites. tur is cuius ſimiliter lib. 37. cap. 10. meminit Plinius, his verbis: Siderites ferro ſimilis, & litigio illata diſcordias facit: quæq; naſcitur in Aethiopia Sideropœcilos ex ea fit, variātibus guttis. Pyriten quoq; (inquit Hermolaus Barbarus) ſunt qui Sideriten vocitent. Siderites deniq; alius, idem qui Baſaltes videtur Agricolæ initio libri 6. de nat. foſſ. vbi paruas quoſdam lapides, gēmis ferè adnumeratos, à magnis quibuſdā ſola magnitudine differre ſcribit. ¶ Idæi dactyli in Creta ferreo colore pollicem humanū exprimunt, Plinius. Baſaltes ferrum colore & duritie æmulatur: vnde & nomen inuenit, vt Capite 1. oſtendi. Aſbeſtos in Arcadiæ montibus naſcit, coloris ferrei, Plinius. Machæra lapis ferro ſimilis, proximo capite mox dicetur. Armatura quorundam la-

pidum dicta, ſimilitudinem gerit ferri aut æris.

Poſtremò à plumbo, quod Græcis μόλυβδος eſt, nominatur lapis plumbarius: plumbago, quæ Græcis μολύβδαινα eſt, & alio nomine Galena. itē Lithargyri, id eſt, Argenti ſpumæ ſpecies tertia ac viliſsima, ab eodem Molybditis cognominatur. Lapidis è quo plumbum candidum fit, colore eſt quæ dicitur Lupi ſpuma, Agricola. ¶ Hæmatiten quarti generis, coctum, Miltiten vocari Sotacus tradit.

Boleniæ nimbo inueniuntur glebę ſimilitudine, Plinius.

DE FOSSILIBVS REBVS quæ natura ſimiles ſunt rei alicui artificioſæ, ordine literarum.

Caput V.

ARmatura. Ea quam metallici vocant Armaturam, (inquit Agrico-

gricola: ein Harniſch Germanicè,) ꝙ ferri politi aut æris ſimilitudinem gerat, at neutrum metallum non modò eſt, ſed ne tantillum quidem illius ex eo poteſt confici. verùm eſt veluti naturæ rudimentum ea metalla facere diſcentis. Lapis verò qui tandem fuerit hac armatura indutus, Hoplites Græcè dici poteſt. Armari autem ſolet ſaxum ſciſsile: vnde interdum alterum venæ latus ad longitudinem ſex pedum, aut ampliùs, ferri politi modo ſplendeſcit. Similiter cornu Ammonis & alij lapides armantur: ſed eorum arma ex auro vel orichalco polito plerunq; videntur eſſe facta. Hoplites.

Μάχαιρα, id eſt, culter vel gladius dictus lapis, reperitur in Berecynthio monte Phrygiæ, ferro ſimilis: quem ſi quis inuenerit quo tempore myſteria Matris deûm peraguntur, in furorem incipere fertur, Plutarchus in libro de fluuijs.

Eſſedorum & ſtaticulorum ſpeciem Achatæ aliquando reddunt, Plin.

Molæ figurã repræſentat lapis molaris Vulſinijs inuentus, Agricola.

Ollæ alicubi effodiuntur, natiuæ, molles in terra, foris lapideſcunt, vt Ge. Agricola tradit: & Germanicè interpretatur **Erdtöpff**: ſicuti Oſtracitẽ **Topffſtein**. Nonnullis in locis Germaniæ effodiuntur etiam vrnæ fictiles, in quibus cineres mortuorum cóbuſtorum conditi fuerãt, antequam religio Chriſtiana recepta fuerat, eas imperitum vulgus intra terrã eſſe natas ſibi perſuadet, Idem.

Pani ſimilis eſt lapis rotundus: quẽ Dæmonis panem nominãt prope Roteuillam Heluetijs finitimũ oppidũ.

Hephæſtites.

Patinæ in modum excauati. Plinius dicit Hephæſtiten in Coryco natum ſpeculi naturam habere in reddẽdis imaginibus, quanquam rutilum. Nomen ex eo inuenit, quòd in Solem additus (*poſitus*) aridam materiam accen-

cen-

cendat, non aliter ac ſpeculum concauum ſulfurata, ſtramina, ſarmenta. Id genus lapides in rubro nigri coloris reperiunt Hildeshemi in foſſa mœniorum, qua ſpectat Septentriones. in modum verò patinæ excauati ſunt, & aurea armatura rutilant. quare & reddunt imaginem, & ob Solis radios obuerſi aridam materiam accendunt, Agricola.

In Rotæ figuram formãtur Trochitæ ab ea ipſa dicti. De quo idem Agricola: Cum lapide Iudaico (inquit) cognationem habet Trochites. Etenim cum ei natura dederit tympani figuram, eius pars rotunda læuis eſt, vtraque verò lata habet quendam quaſi modulum, (modiolum:) à quo vndique radij ad extimam orbis partem, quæ ipſis eſt loco canthorum, procedunt ita eminentes, vt ſtriæ fiant. Multùm variant quantitate: ſed minimus adeò paruus eſt, vt maximus decuplò maior ſit. Maximus verò eſt latus digi

tum tranſuerſum eſt: craſſus tertiam eiuſdem partem, aut ampliùs. Differt colore. nam aut cinereus eſt, aut nigricat, aut luteus eſt. ſed is magis ꝓpter contagionem terræ talis eſſe ſolet. intus enim cæteris candidior. Omnis fractus lapidis Iudaici inſtar læuis eſt, & nitet. Frangitur autẽ ſimiliter vt ille, in longum, latum, obliquum. In acetum impoſitus, vt Aſtroites, bullas agit: atq; etiam reperitur interdum q̃ ſe tanquam Aſtroites moueat de loco. At ex trochitis nondum ſeparatis conſtat Entrochos: modò ex binis, modò ex ternis, modò ex quaternis, nũc verò ex pluribus: viceni enim ſic inueniuntur coniuncti. Eius duæ ſunt ſpecies: aut enim æqualiter teres eſt, aut teres quidem, ſed pars eius media tumet, vtrũque caput ſtrictius eſt. Cuius autem trochitæ radios habent eminentes, in eo, qua parte duo committuntur, ſemper ineſſe cingulum retortum videtur: at cuius humiles, carent

Entrochos.

Digitized by Google

rent cingulo; totiq; læues ſunt. Trochitæ verò ſic coniunguntur, vt vnius radij ingrediãtur in alterius ſtrias. En trochi quidem tumidi trochitæ, plerunq; humiles admodum habent radios. quin ſępenumero lapis informis reperitur vnà cum trochite & entrocho, rotæ in ſe continens figurã: quæ in eo quaſi quædam radix, trochitis iam abruptis, remanſit. Hos autem lapides gignit Saxonia ad Hildesheimũ vltra montem Mauricij, in commiſſuris marmoris in cinereo candidi, & in terra glutinoſa, &c. Hæc Agricola: qui Trochiten interpretatur Spangen oder Rederſtein. Ego quem à viro quodã nobili accepi, ſequenti pagina expreſsũ apponã: tũ ſingularẽ, tũ ternos iũctos. Lapis eſt fuſcus, ſatis durus, in medio centrũ habet cũ leui iudicio modioli: in circuitu radij eminẽtes apparẽt, interuallis medijs cauis. ſi cohærẽtes ſepares, ſingulis vtrinq; veluti ſigillo impreſſa rotę ſpecies videt:

vt Rotæ ſigillum non ineptè hic la
pis vocari queat. Figura autem eiu
hæc eſt.

Belemnites Sagittæ (quæ βέλεμνον Græcis dicitur) effigiē repræſentat. quare Saxones eum vocabulo ex ephial

. 1.



2.



te & ſagitta cōpoſito (Alpfeſſcht/ Alp
ſchoß,) nominant: potumq; contra ei
iuſmodi ſuppreſsiones & noctis lud
bria valere dicunt, ac faſcinationibu
occurrere. hunc lapidem hodie qui
dam medici pro lyncurio habent &
vtuntur, qui ex vrina Lyncis non cō
creuit: nec enim vllum tale fuit Lyn
curium. ſed veteres ſcriptores ſucci
num, vt dixi, ſic appellarunt, quòd i
pſis opinione perſuaſum eſſet ex vri
na lyncis fieri. Si quis tamen vnquam
Lyncuriū. Græcorum Lyncurium, quod nó e
ſe

ſet Succinum, vidit, hos belemnitas, opinor, vidit. nam ex eis quidam ſuccini Falerni habent colorem, & pellucent: quidam paleas aliasq; res minutas, tanquam Succinũ ad ſe alliciunt. reperitur autem belemnites in pluribus Germaniæ locis. Belemnites eſt aut cinereus, aut candicans, aut in rubro niger, qui omnes inueniuntur Hildesheimi: aut Succini Falerni colore, vt Pruſsicus & Pomeranicus. vſtus vel candidus fit, vel in candido cinereus. vterque reperitur inter vrbem Hildesheimum & arcem Marieburgum in marmore antri, quod à nanis appellant, ad ſiniſtram. nam locũ illum quondam arſiſſe alia multa, præter huius lapidis odorem, indicant. quin aurea armatura non modò belemnitem Hildesheimi in foſſa mœniorum generatum ortu, ſed eius etiã radicem conueſtit extrinſecus: quæ armatura ſine arte mirificè nitet, atq;


Digitized by Google

imaginem inſtar ſpeculi reddit. belénitæ autem ſi confricentur, ex eis quidam olent cornu bouis limatum aut vſtum, vt Hildesheimi in marmoris eiuſdem odoris commiſſuris nati: aliqui ſine odore ſunt, vt reliqui. diuerſa verò eſt ipſis magnitudo. cum em̃ maximis eſſe ſoleat digiti longitudo & craſsitudo, Hildesheimijs in foſſa mœniorum, quà ſpectat ad Septentriones, repertis, eſt interdum ſeſquipedis longitudo, brachij craſsitudo. at figura omnibus eſt ſagittæ ex ampla radice deficientis in tenuiſsimam aciem: omnibus à natura ineſt quædã quaſi rima, qua fit ut faciliùs in longitudinem diffindantur, ſed ea pellucidis magis quàm cæteris eſt cõſpicua. eadem interdum aurea armatura veſtitur intus. in alijs præterea ineſt terra, in alijs arena, in alijs lapis, qui non ipſe ſolum vt Belemnitæ in conum acutum eſt turbinatus, ſed etiam are-

Digitized by Google

na & terra. verùm lapis quem continet Belemnites aurei coloris armatura tectus, plerunque conſtat ex cruſtis, tanquam membranis quibuſdā primo latis, mox magis ac magis ſtrictis. quoniam verò Belemnitæ exiccant, Pruſsicis & Pomeranicis chirurgi curant vulnera: ijſdem medici, & Saxones ſuis, non aliter ac lapide Iudaico frangunt calculos. Hæc Agricola.

Belemnitæ icones hîc poſitas, ſecundum numeros deinceps enarrabimus.



Digitized by Google

1. Belemnites, vel Dactylus Idæus, maior: ſic dictus à figura ſagittæ: vnde & Germani quidã Alpſchoß, hoc eſt, ſagittam Incubi appellant. Nigricat, & radios à centro diffundit, vt apparet: ſolidus, excepta baſi: ſicut etiam cornua animalium aliquouſq; caua ſunt, inde ſolida. Accedunt autem odore quoque ad cornu vel os vſtum, aut felium ferè vrinã. Subſtantia friabilis ferè eſt, colore nigricat. Quidam ex eis fracti fuiſſe videntur, & rurſus ſponte coagulati.

2. Eiuſdem baſis cõcaua in medio, terram vel lutum continens.

3. Eiuſdẽ alia ſpecies, intus atra & læuiſsima, nullis radijs, foris albicãs, tanquam cruſta è creta inducta: ſubſtantia ei duriſsima, vt & ignem emittat tanquã Silex. fœtoris nihil habet, magnitudine & figura, cacuminis etiã modicè inclinati, pollicis articulũ ſuperiorem referens.

4. Belẽnitæ radiati ſpecies minor,

lineа

linea per medium diuiſa, & ad lucem perſpicua: minus nigra, è fuſca candicans, vel etiam ſubruſſa, obſcuriùs radiata: nec ita fœtida: quã multi pharmacopolæ habent pro lapide Lyncis: eam præſertim ſpeciem, quæ parte altera pellucet, & ſubruſſi coloris eſt, linea mediam ſecundum longitudinẽ diuidente. Hic in Boruſsia prope Regiomontem magna copia ex monte effoditur, à veteribus ob perſpicuitatem, vt Io. Kentmanus ad me ſcripſit, Lyncurius appellatus. Sagittæ nomine Italos audio, non Belemnitem noſtrum, ſed Gloſſopetram nuncupare, vulgò Saëta: in qua quidem non totum ſagittæ telum, ſed mucro ferreus tantùm repræſentatur, cum ſuis barbulis, vt ita vocem, quas Græci ἀκίδας vocant. has enim aliqui ὄγκους τοῦ βέλους καὶ πώγωνας apud Hippocratem interpretantur: (Galenus ſimpliciter ferrũ teli:) ego non ὄγκους, ſed ὀγκίνους, (id eſt, vncos) legerim. βέλους δ' ἀκίδων ὄγκοι

καὶ πώγωνες καλοῦνται, Pollux. ſed alibi meliùs: καὶ τῆς ἀκίδος ὄγκινοι μὲν: αἱ πρὸς τῷ καλάμῳ. Lapis Belemnites omnis plerunque conſtat cortice, & parte interiore ceu carne: nonnullis etiã medulla ineſt mollior. Germani quidam hunc lapidem vocãt Luchsſtein, id eſt, Lyncis lapidem: [etſi pharmacopolæ quidam, non quamuis huius ſpeciem, vt dixi, ſed minorem, ſubruſtam, & aliqua ex parte pellucentem, pro Lynceo lapide vſurpant:] alij Schoßſtein, à ſimilitudine teli qđ ſchoß vocamus, vnde etiam ad vulnera prodeſſe conijciunt, & ad pleuritidem, quæ veluti telum quoddam internum vno in loco pungit & affligit, tanquam ex ipſis rerum formis ac figuris vſum earum & remedia indicante natura. Alij Rappenſtein, id eſt, Coracian aut Coruinum lapidem, ſiue à colore nigro, quo ſpecies eius quædam colorantur: ſiue, vt quidam nugantur, à coruini veretri ſimilitudine.

Digitized by Google

dine. Ad renum calculos in Hiſpania eius vſum eſſe accepi. vſtus quidem videretur mihi vtilior, ſaxifraga præſertim & alijs admixtis: aut potiùs liquor, in quo macerata hæc fuerint, colatus. Dentes etiam vſtus expurgat: poſſet autem odoris gratia aliquid iridis miſceri. Malleo percuſſus, per tranſuerſum plerunque frangitur, & graue olet intus vt dictum eſt: & ne vſtus quidem virus illud deponit. Sunt qui oculis equorum ad exterendas cicatrices, vſtum inflent. Audio & ad vitrum neſcio quem eius vſum eſſe, & Alabandicum neſcio quàm rectè appellari. Reperitur circa Siblingam pagum, qui Scaphuſia Heluetico oppido, itinere duarum horarum diſtat: & in vicinia, ſupra Hallouiam, & iuxta Aezingam, in agris aſperis, lapidoſis, & ſoli rubentis, ni fallor. aliquando etiam in aruis, vbi franguntur aratris. Integros etiam reperiri aiunt, fuſi quadã

Digitized by Google

ſeu rhombi oblongi vtrinq; mucro-
nati ſpecie, aut pyramidis potius du-
plicis iunctis inuicem baſibus, mucro
nibus autem oppoſitis. Sed tales vide
re nondum mihi contigit. Is qui ter
tio loco pictus à nobis exhibitus eſt,
præ cæteris videtur dactyli Idęi nomi
ne dignus, à dactyli, id eſt, digiti, pol-
licis præſertim, humani ſimilitudine.
nam & craſsitudine ferè pollicis eſt,
& in terete figura latiuſculus ad late-
ra, & obtuſior in extremo: & inſtar
pollicis porrecti in ſummo inclina-
tur modicè in obliquum: & cute can
dida veſtitur. Idæi Dactyli, inquit Pli-
nius, in Creta ferreo colore pollicem
humanum exprimunt. Ferreus quidé,
ſi pro nigro accipiatur, his etiam ma-
gis conuenerit: ſicuti & durities ferri.
Idæi autem ab Ida Cretæ monte dicti
videntur: in quo nimirum naſcuntur:
à cuius montis, aut alterius fortè co-
gnominis iuxta Ilium nomine, naſcé-
tes in eo, aut etiam in alijs, ſed altiſsi-
mis

Digitized by Google

mis tātùm, quales ſunt Alpes noſtræ, medici veteres Græci Idæas quaſdam plantas cognominarunt. Ab eodem quidem Cretæ monte, Corybantes etiam olim ſimiliter Dactyli Idæi dicti ſunt. hos Iouem nutriuiſſe fabulātur: & ne vagitu puer proderetur, nouo luſus genere excogitato, clypeolis æneis inter ſe concurſantes, æris tinnitu & numeroſi pedis compoſitione, qui dactylus inde dictus eſt, Saturnū fefellerunt. Petrus Bellonius Singularium ſuorum lib. 1. cap. 15. tradit hūc lapidem, Dactylum Idæum ſeu Belemniten (non enim diſtinguit) in monte diui Iohannis dicto prope Lucemburgum oppidum naſci tanta copia, vt cum Gallorum rex Franciſcus munimentum eo in monte extrui iuſsiſſet, foſſores cum tres paſſus profunditatis exegiſſent, nihil vberius his lapidibus inuenerint. eoſdemq́ falſo lapidum Lyncis nomine pharmacopœis diuendi. Pæoniam tum alijs nomi-

nibus diuerſis, tum Dactylum Idæum quoque olim vocatam obſeruauimus: ab eo nimirum, quòd Pæoniæ fœminæ radices, bulboſæ ferè ſeu nodoſæ, & huic lapidi figuræ ſimiles, ſicut & Haſtulæ regiæ radices, naſci ſoleant. In horum lapidum genere maximum aliqui Ceraunitē vocant, vti ſuprà etiam monui: ego Plinij Aſtrapiam eſſe puto. Vnum ex eis depictum diligentiſsimus Kentmanus ad me miſit, nouem digitos longum, diametro in baſi (quæ radijs diſtinguitur) duorũ pollicum, colore fuſco in cinereo: his verbis adſcriptis: Hic maior lapis, vulgò Ceraunites vocatur: ſed malé. nam Hildeshemi in foſſa circum mœnia reperitur: & alterius lapidis reíve attritu, vt cornu vſtulatum olet. ſed alij ibidem inueniuntur odoris expertes. Idem Geppingæ in ducatu Vvirtembergenſi, quatuor miliaribus à Tubinga, in magna copia ex agris inter

arandum eruitur. Differentiæ eius plures ſunt. Inuenitur enim cinereus, qui olet vt cornu bouis vſtum: Alius cinereus, qui non olet, lapidem in ſe continens: Alius eiuſdem coloris, ſine odore, terram continens: Pellucidus: Albus: Niger radiatus: Cineraceus & lucidus, quem audio in Italia nonnullos Pnigitin, (neſcio quàm rectè,) & lapidem Alabandicum nominare. Ego in arce prope Roteuillam apud baronē Vvilhelmum Vvernerum, lapidem Belemnitæ ſimilem vidi, pedalem ferè, non radiatum: in cuius ſuperficie animalcula quædã, vt lacerti, eminebant. Cum Dactylo Idæo ſimilitudinem aliquam habet lapis, quem Steatitæ nomine infrà exhibebo, arte fortaſsis ita ſectus: vnicum enim vidi.

Androdamas argenti nitorem habet, vt Adamas, quadrata, & ſemper Teſſellis ſimilis, Plinius. Sic & Pyritæ quidam.

Digitized by Google

A Teſtæ figlinę ſimilitudine Ceramites, κεραμίτης, lapis à Græcis dictus videtur: ſicut & Oſtracites: quem tamē Plinius pro Oſtreite (id eſt, Oſtreo conchæ marinæ priuatim dictæ, ſimili lapide, aut Oſtreo ipſo in lapidem conuerſo,) accepit: vt pluribus ſuprà Cap.4. in Sideritæ lapidis mentione indicaui. Ceramites eadem eſſet quā Oſtraciten vocant, niſi quòd hāc cœruleæ interdum bullæ cingunt, Plinius: qui Cadmiæ etiam ſpeciem Oſtracitin vocat, totam nigram, & cæterarum ſordidiſsimam. Κέραμος Græca dictio teſtam vel tegulam ſignificans, ad Germanicum Scherb accedit: & κ. literam Græci quidam, tanquam Sch. proferunt. Plinij quidam codices habent Cheramides, ego Ceramites vel Ceramoides (κεραμοειδὴς) legerim: vt pro Cepionide, κηποειδῆ in eodem.

Tigni erecti ſimilitudinē habet Baſaltes Miſenus & Syenites: Trabis (*trāſ-*

uer-

uerſæ) ſaxa in Hildesheimio, Agricola. Vide infrà cap. 10.

Vitrea ſpecie naſcitur gemma Belus dicta in Arbelis, nucis iuglandis magnitudine, Plinius.

DE REBVS ARTIFICIOſis ſeu arte factis; ex metallis, lapidibus ac gemmis. Cap. VI.

De rebus foſsilibus quæ natura ſimiles ſint rei alicui artificioſę, præcedenti capite dictum eſt: in hoc verò de artis operibus quæ ab homine fiunt ex metallo, lapide, aut gemma dicemus: ſed paucis duntaxat, & ſpeciminis gratia: omnia enim perſequi nimis prolixum foret. Sequemur autem hîc quoq; literarum ordinem.

A. Ad ædificia & ſtructuras lautiores adhibētur Marmora diuerſa, pręcipuè ad columnas, & incruſtandos parietes, & ſepulchra, &c. Marmora (inquit Agricola) non habent ſingu-

Digitized by Google

laria nomina: ſed vel ex coloribus qui eis inſident, vel ex regionibus in quibus naſcuntur, nominantur. De Alabaſtrite, quod nomen ſuum ſeruat in pleriſq; linguis, Latina, Græca, Germanica, alijs, (ſicut & ipſum commune Marmoris nomen) nonnihil diximus ſuprà: item de Baſalte. Marmor in metallis repertum Agricola Spat interpretatur. Aedificijs etiam alij lapides, ſaxa, calx & arena neceſſaria ſunt: de quorum ſingulis multa Vitruuius, & Plinius. Gemmæ etiam ad eam aliquando magnitudinem perueniunt, vt pro ſaxis aut marmoribus ferè, ædibus ſacris præcipuè ornandis accedant. Harum enim parietes Iaſpide incruſtatas vidit Eraſmus Stella. Iaſpide (inquit idem) multùm nobilitatur noſtra Cygnea Tubantinorum, vbi tanta copia eruitur, vt ædificijs publicis (rudi tamen forma) à veteribus ſit incluſa. Et rurſus: Iuba author eſt Smaragdum, quã Cho

lam

lam vocant, ædificijs includi: idq́ videmus in pleriſq́ Germaniæ templis. nam & illic in argenteis metallis inueniuntur. Pſeudoſmaragdi Theophraſtus meminit: Eius fortè generis eſt, qui in Bohemia Pragæ in diui Viti ſacello conſpicitur, parietibus illic ex eo incruſtatis. Alabaſtra ſiue pyxides vnguentariæ fiunt ex Alabaſtrite & Lygdino, iam inde à vetuſtis têporibus. Agricola.

Annuli. Annulorũ alij ſine gẽma fiunt ex quouis metallo. alijs, aureis præſertim, gẽma includitur in ea quã fundũ (Græci σφενδόνην ſimiliter, vel πύελον, πυελίδα, σφραγιδοφυλάκιον,) vocant. eaq́ vel figurã habet aliquã, vel nullam. figurarũ autẽ aliæ cauæ ſunt: aliæ extant, quas ectypas, ἀπὸ τοῦ ἐκτὸς αὐτῶν ἐξέχειν τὸν τύπον appellant. Et quia gẽmas aut ſculpturas ectypas apud authores aliquando legimus, paulò plura de his dicamus. Seneca de beneficijs libro 4. Paulus, inquit, Præto-

rius in conuiuio quodam Tiberij Cæ ſaris habens imaginem ectypa & eminente gemma. Vnde liquidò apparet ectypon dici, cuius figura prominet, ideoq́; manifeſtior eſt: τὸ κατ᾽ ἐξοχὴν τε τυπωμένον. quare etiam Grammatici Græci ἐκτυπώτερον interpretãt φανερώτερον. Solent autem ferè plaſtarum, aliorumq́; artificum, primæ imagines ſeu exẽplaria, οἱ τύποι, τὰ πρωτότυπα, αἱ σφραγῖδες, cauæ effingi ſcalpíve: ab ijs verò impreſsis in molliorẽ aliquã & cedentem materiam imagines (εἰκόνες, ἀπεικάσματα, ἐκσφραγίσματα, ἐκμαγεῖα, ἐκμάγματα,) expreſſæ, extantesq́; redduntur, quæ protypas ſeu prototypos ſuas ideas, (τὰς περὶ τῶν πολλῶν, vt Platonicè loquar,) omnino imitãt, vnde & imagines dictæ, & referunt. Sic & in annulis ſignatorijs figura caua, τὸ πρότυπον eſt: cera verò ſignata, ἔκτυπον σχῆμα. Plaſtæ ad ſuos typos, argilla, gypſo, & alijs vtuntur. Gemmarij verò ſeu ſcalptores gemmarũ,


οἱ λιθο-

οἱ λιθογλύφοι, gemmas minùs duras ad hoc deligunt: vt quas Germani vulgò à leni mollitie puto, Speckſtein appellant, & Gammenhüt. ſed aliter Agricola: Lapidis (inquit) quem, quia eius color candidus, pinguior videtur eſſe, Germani ex lardo nominauerunt, (quidam vocant Gemmã huiã, limes albus diſtinguit modò nigram, modò cineream materiam. Eius pars potiſsimùm candida latior, & Sarda, noſtris tẽporibus omnium maximè aptantur ad ectypas ſcalpturas. Natura quidem totum huius lapidis corpus viciſsitudine quadam nigroris & candoris ornauit. Eraſmus Stella Gémohuidas nominans, eaſdem veterũ Pæantides non rectè facit. De eis etiã ſunt Meſomelæ (*Meſomelanes, aut fœminino genere Meſomelænæ*) nigra vena quẽ libet colorem ſecante per medium. Vidi albicantes inſculpta facie humana, ad magnitudinem & figuram denarij. Sic ille.

Digitized by Google

Annulis ſequenti pagina adiungemus figuram, qua annuli duo, & gemmæ in circuitu duodecim repræſentantur. Annulus minor gemmam cótinet Adamantem. Maior totus Electro cóſtat, eóque Falerno, ſiue Chryſelectro, id eſt, aurei & pellucentis coloris, in quo animalculum quod in hortis reperitur cimicum ſpecie, rubro nigroq́ colore diſtinctum, natura inhæſit. artifex maſſula tornata animalculo palę locum dedit. Hunc dono mihi miſit è Polonia Antonius Snebergerus meus. Gemmæ in circuitu duodecim è nobilium numero ſunt, quæ annulis includi ſolent: quas licebit duodecim Gemmarum in Pectorali ſiue Oraculo ſummi Pontificis in Vetere Teſtamento nominibus appellare, & ſuum cuique colorem addere: ſicut nos in Corollario ad Epiphanij de Gemmis libellum monuimus.

An-



Annulus cum Callimo lapillo, duplici facie humana inſigni, infrà ponetur cap.11.

C. Capulis cultrorum & enchiridiorum aptātur Cryſtalli, Iaſpides, & aliæ forſan gemmæ.

Cochlearia fiunt è Succino perquā elegantia. Item ex marmore Zeblicio,(vt Agricola nominat ab oppido Miſenæ iuxta quod effodit̄: videt̄ aūt

Ophitæ cognatum eſſe. nam vulgò etiam Serpentariã nominant,) cochlearia, & pocula faciunt Miſeni: quòd veneno reſiſtere perſuaſi ſint: atq; etiam globos, quibus mulieres ſiccãt linea capitis velamina, cũ ea lauerint: præterea cruſtas planas & conuexas, quibus calefactis noſtri hyeme, cum in lecto cubiculari ſunt, frigida fouent mẽbra: & illis quidem pectus & ventrẽ: his latera, pedes, brachia. Ex hoc lapide facti cochlearis iconem reperies infrà hoc in capite in V. litera cum Vaſis.

Corollæ precariæ figuram torqui ſimilem, infrà in O. litera poſui.

Corpus metallicum, montis quadam ſpecie, ex omni variorum metallorum & lapidum genere, ab artifice aliquo, maltha ſeu lithocolla tenaci, ſumma induſtria coagmentato, additis etiam ex argento inſtrumentis quibuſdam fodinarum, & Metallicorũ, hoc eſt, in fodinis laborantium operarum,

rarũ,imaginibus aliquot ſparſim, res admiratione & contemplatione digna, confici poteſt. Quale pulcherrimum & maximè varium, Ge. Fabriciũ illuſtris Scholæ Rectorem Miſenę, virum multifaria doctrina conſummatum, habere audio. quale etiam mihi is idem ex omnibus ferè foſsilium rerum Ioachimicæ vallis differẽtijs, ſua & clariſsimi apud Fribergenſes Senatoris Valentini Grauij liberalitate ante annos aliquot fieri curauit. Quæ mihi ſanè prima ferè & primaria, vt aliquid temporis ſtudijq́ ſuccisiui in his rebus cognoſcendis ponerem, occaſio extitit.

Cos. Cautes & Cotes in plurali numero ferè, ſunt ſaxa dura & aſpera. Cos in ſingulari, lapis quo cultri & alia ferramenta acuuntur, à Græco ἀκό
νη nimirum per aphæreſin. Earum plures ſunt differentiæ. Olearijs dictis oleum, quo trahãt aciem, illinitur. his tonſor nouaculas exacuit. Aquarias

aqua madefaciũt. Colore ſunt nigræ, virides, fuſcæ, quædam album & nigrum alternant. Figura quadratę ſunt aut fiunt: quædam è marmoribus, vt è Naxio, Naxiæ. Cotes autem magnæ tympani figura è lapide molari duro fiunt, quas vel homo vel rotula verſat. Aquariæ quædam fiunt etiam ex ligno in lapidem verſo in Boëmia, ad Cracauicium arcem, in figuram ferè triangulam formatæ. Hæc Agricola: apud quem plura leges libro quinto de natura foſsilium. Extat de Cote Ge. Pictorij carmen.

HAEC SEQVENTI figura exhibentur.


Cos duplex aquaria & olearia: quarum differentiā vel in tonſtrinis facilè eſt audire.

Coticula, cum lineis auri graduum, & argenti ærisq; colorum.

Pugillaris è laminis Saxi nigri fiſsilis, cũ ſtylo ex eodem.

Coti-

Digitized by Google



Coticula à Cote diminutum nomē eſt: ad cotis enim qua cultri acuuntur figuram, quadrata formari ſolet, naturæ alioqui longè diuerſæ, vt Capite 1. in Baſalte diximus: è quo duriſſimi & ferrei marmoris genere fieri ſolet aut poteſt. Quādoq; tñ etiā ꝑ parua cote accipitur, quam Greci ἀκόνιον

ad collyria terenda in vſu medicis. Contra ſuffuſiones oculorum cum lacte in coticulis teritur, Plinius lib.31. Coticulam qua aurum & argentum probatur, Græci *βάσανον* nominant, aliqui *χρυσῖτιδα*, Lydium lapidem alij vel Heracleum à locis vbi reperiebantur. Lege Agricolam lib.5. de nat.foſſilium. Ouidius Indicem:


--- periuraq́; pectora vertit
In durum ſilicem, qui nunc quoque dicitur Index.

Icon eius proximè retrò cum Cotibus habetur.

F. Facies hominum, imagines rerum, ſigna & literæ in varijs rebus foſſilibus, funduntur, imprimuntur, ſcalpuntur. Exemplaria protypa fiunt in argillis quibuſdam, vel gypſo, aut maſſa aliqua artificioſa, cui & ſpecularem lapidem aliqui addunt: quoniã non comburitur. His cauis metalla infundũt, vt imagines ectypæ exprimãtur. Ectypæ etiam fiunt in argilla aut

alia

alia molliore materia, quæ typos ca-
uos habeant, imprimendo. Sic ex-
preſſam faciẽ ſuam in argillis & mar-
gis aliquot diuerſis orbiculari figura,
in alijs verò inſignia familiæ Ioannes
Kentmanus ad me miſit: quarum ſpe
cimen ſequenti pagina exhibeo: etſi
facies non ſatis probè expreſſa eſt, me
liùs facta à principio Catalogi rerum
foſsilium ab eo ęditi: vbi familię quo-
que inſignia nonnihil variant, orna-
mentis quibuſdam Ferdinandi Cæſa-
ris liberalitate additis, corona nempe
capiti, & brachio armilla, vt viri vir-
tus & doctrina merebãtur. [Sic à Tur
cis terra Lem-
nia alięq́;, Ara
bicis literis in
ſigniuntur: vt
in appoſita fi-
gura apparet,
cui etiã Horo
logiũ additũ
eſt, ꝓpter Magnetẽ à nobis delineatũ]





Addidi & effigiem reſurgentis Domini argillæ Syriacæ impreſſam: quá nuper Iohannes Kentmanus pro rariſsimo munere ad me dedit, his verbis in Epiſtola adſcriptis: Mitto ima-

gun-

gunculam quandam ex iſta terra factam, quam ipſe filius Dei, pedibus ſuis calcauit, cum pro nobis miſeris victima fieret. Quam imaginem dono accepi à viro nobili Volrado à Vvatzdorff. is ſecum ex terra Sancta attulit: & mihi retulit, Monachos eius loci nonnullos, qui ad Sanctam terram accedunt, cum magna teſtificatione amoris ſui peregrinatores eiuſmodi dono ſolere ornare. Hęc ille.





[*Adiunximus & aliam rutilam, Capræ icone inſignem, quam pro vera Lemnia Fr. Calceolarius Veronenſis pharmacopœus ſummè induſtrius ad me miſit.*]

Digitized by Google

Eius terræ Syriacæ color in albo ad roſeum vergit perparum. modicè arenoſa videtur guſtanti, non aſpera tamen: nec glutinoſa vt aliæ argillæ. ab altera parte Crucifixi imago eſt.

In mótibus apud nos, Vocetio pręſertim, & viciniore nobis Albio, argillæ genus cinereum & duriuſculum, vt lapideſcat fermè, reperitur, quod aliqui vulgò Hepatiten lapidem (Läberſtein) à mollitię puto, nominant: alij Mergel quaſi margam: eam & ad prototypas, ſic vt formis eius cauis infundantur metalla, cum induruit: & ad ectypas imagines, cum adhuc mollis ipſa prototypis imprimitur, idoneam eſſe audio. Græcè λιθάργιλλον dixerim, compoſito ex lapide & argilla vocabulo. Nonnullis in locis hoc argillæ genere agros etiam ſtercorari audio. Entalium quoq; officinis dictũ, alijs Amentum, (eſt autẽ lapis albus, ſplendidus, totusq; fibris ſeu filamentis cóſtat, Amianto cognatus & Alumini

mini plumeo vulgari,) in calcem redi gitur: è qua cum aqua fit quaſi pulticula ſpiſſa niuei candoris: cui imagines ectypæ imprimuntur: quales ſanè pulcherrimæ Antuerpia ad me miſſæ ſunt. Scalpuntur autem non ſolùm metalla, & lapides gemmæq́ꝫ, ſed etiã Conchæ & Cochleæ marinæ, ſpiſsiores præſertim & elegantiores, vt Porcellanæ dictæ.

H. Horologij ſciaterici (Compaſſum vulgò nominant) picturã exhibui paulò ſuperiùs, cuius gnomoni ferreo illitus eſt Magnes, vt Septẽtrio nẽ verſus à quo trahitur, ſicut ab ipſo ferrum, gnomonem dirigat.


I. Imagines. Vide Facies ſuperiús.

Incudes fabrorum è ferro fiunt, apud Miſenos etiam è Baſalte ferri coloris & duritiæ lapide.

Inſtrumenta varia diuerſorum artificum, è diuerſis metallis fiunt.

Stylus inferius depictus, ad ſcribẽdum factus eſt, plumbi cuiuſdam (fa-

ctitij puto, quod aliquos Stimmi Anglicum vocare audio) genere, in mucronem deraſi, in manubrium ligneum inſerto.



L. Lateres è luto finguntur & coquunt, ad ædificiorum parietes, pauimenta, caminos: item ad furnos, aliosq́; vſus.

Lithoſtrota dicuntur loca lapidibus ſtrata: vt apud Varronem pauimenta nobilia lithoſtrota. fiebant autem è cruſtis paruis, marmoreis præcipuè, quibus ſolum pauimẽti incruſtabatur. Vide Agricolam libro 7. de nat. foſsilium.

M. Menſæ fiunt nõ ſolùm è ligno: ſed etiam lapidibus & marmore, ſiue ſolidæ: ſiue marmore aut lapide fiſsili incruſtatæ duntaxat.


Molaris lapidis icon poſita eſt Capite

pite 1. adiũcta lapidi cuidam ex aqua nato. Græci μυλίτην & μυλίαν vocant. eum carmine celebrauit Georgius Pictorius. E molari duriori Cotes tympanorum figura fiunt, vt ſuperiùs dictum eſt.

Mortaria ſeu pilæ ex diuerſis metallis fiunt pro vſu diuerſo, medico præſertim, vt ęre, orichalco, plumbo: quę dam ex marmore duro alijsq́ue lapidibus, vt Aethiopico ſubuiridi, Thyite à thyijs, id eſt, mortarijs dicto apud Aegyptios: cui figura eſt rotũda, &c. fit autem ex Merocte etiam dicto, teſte Agricola. Item ex Alabaſtrite Aegyptio, & Ophite albo. Nunc ex noſtra Iaſpide & Onyche conficiuntur mortariola: in quibus Smiris & cæteri lapides duri, quorũ arenis vtũtur hi qui poliunt gemmas, conteruntur.

O. Ornaméta varia. Appẽdi aut geſtari in corpe q̃dã ſolét ornatꝰ gratia. Cóijcio aũt etiã ea q̃ à prĩcipio ſpe ſanitatis appẽdebant, ceu amuleta, ſup-

ſtitioſe quidem pleraq; omnia, in lu-
xum & oſtentationem mox abijſſe a-
pud gentiles: in noſtra verò religione
earum nonnulla, vt monilia & armil-
las, ad pietatem aliquos trahere cona
tos, globulos precarios in vſum pro-
duxiſſe. Nos hîc globulorum ſeriem,




figuris eorũ diuerſis exhibemus: quo-
niam in alijs aliæ effingi ſolent figuræ:
rotundæ, læues, angulatæ, rhombis di-
ſtinctæ. inter cæteros vnus magna ex
parte eroſus apparet: quem idcirco
addidi, quoniã talem ex gẽmis quas
Chalcedonios vulgò nominãt, in Gal
linacei ventriculo reperi, tẽporis mo
ra calore eius, vt conijcio, ea parte cõ-
ſumptum. In duobus muſcæ apparẽt,
qui

qui è ſuccino ſunt: cui ſępe inſecta innaſcunt: & ego corollas è Succino ab amicis donatas aliquot habeo, quarũ ſinguli ferè globuli ſingula animalcula continent. Fiunt autẽ hi globuli ex materia diuerſa, Iaſpide, Chalcedonio vulgò dicta, Cryſtallo, Amethyſto, Silice cãdido, Corallio, Succino, Gagate, &c. Galenus de viridi Iaſpide ſcribens, ὁρμάθιον ἐκ λιθιδίων, huiuſmodi ſeriem appellat, à collo ſuſpendendam, ita vt os ventriculi contingat, ad eam partem & ſtomachum roborandum. ¶ Gemmæ ſimpliciter dictæ plerũq; annulis (de quibus ſuprà diximus) includebãtur, rotunda, aut quadrata figura. Alię verò ornamentorũ figuræ, auro argentóve exceptis gẽmis, à collo ſuſpendi aut aliter geſtari ſolebant. Ex Beryllis quibuſdam Indi cylindros facere malunt, quàm gemmas, Plinius. Tympana, Elenchos, Priſmata, figurarum in Ornamentis nomina nunc prætereo. Ad

Digitized by Google

Ornamenta pertinent etiam ſubiectæ icones.



Iaſpidum ſpecies quatuor:


1. *Cordis effigie, rubicunda, albicãtibus maculis.*
2. *Rotunda, vario linearum & macularũ ductu elegãtiſſima, & ſpeculi inſtar imagines reddens.*
3. *Indica, viridis, rubentibus maculis, maioribus: vt ſequens minoribus, ipſa etiam viridis.*
4. *Iaſpis viridis orientalis. Vide quæ cũ tertia ſcripſimus.*


Iaſpis

Digitized by Google

1. *Iaſpis ruffi vel xerampelini coloris, maculis diſtincto fuſcis.*

2. *Alia pellucida: & magis qui dē ſuperiori parte: glauci vel cornu ferè coloris, tribus lineis rubentibus incincta.*





1. *Carneolus vel Carneola vulgò dicta, in qua arboris effigies, & Lunæ eclipſim patientis, conſpiciuntur, Hieronymi Cardani munus.*

1. *Alectorias, gemma candida, puriſsima,*

translucida, globoſa: qua Dominicus Mō-theſaurus Veronēſis medicus me donauit.

3. *Chelidoniæ dicti lapilli, lentium ſimilitudine & magnitudine, ruffi in ſubflauo, ſed inferior pars plana eſt: ſuperior modicè conuexa lenticulæ inſtar,* Schwalmenſteinle.

4. *'Ophthalmici vulgò in Gallia circa Gratianopolim, vbi in fonte quodam reperiuntur dicti lapilli, quod cum læuiſsimi lubriciq; ſint, in oculos facilè indi voluiq; poſſint ad eos expurgandos Chelidoniarum inſtar, minimi videlicet ex eis & rotundiores. incerta enim eis figura eſt: nec vna magnitudo, minimi ferè lenticulis pares ſunt, alij multo maiores. Color eis fuſcus, durities mira, ſplendor ceu oleo inunctis.*

1. Lapis ſeu gemma viridis, quo Indiæ occidentalis incolæ vtuntur. inſerūt autem pertuſis labijs, ita vt pars craſsior in ore hæreat, reliqua prominens dependeat. Oripenduli nomen ei fingi poteſt, vt Filipendulam herbā dici-

Digitized by Google

dicimus. Hoc lapide me donauit vir ſummæ doctrinæ Io. Ferrerius Pedemōtanus: cuius in epiſtola hęc ad me verba ſunt: Mitto viridi coloris lapillum teretē ad longitudinem digiti in manu hominis medij, & in altera extremitate duabus anſulis munitum, quem nobiliores Breſsillienſes cùm in publicū prodeunt, ad labia eorum ab adoleſcentia perforata applicant, vnum vel plures pro ſingulorum dignitate, & comedentes aut quoties volunt de loco vbi hærent viciſsim detrahunt.

1



2.



2. Molochites vulgò Germanis dictus lapis, Cyaneo cognatus, viridis, opacus, politus, ſplendidus: quo Achilles Pyrminius Gaſſerus medicus Auguſtanæ Reipubl. clariſsimus, me donare voluit. Sunt qui Turcoim

Germanicam nominent.

P. Pauimenta viliſsima fiũt ex intrita,(quam vulgò emplaſtri nomine, Pflaſter vocamus:)ex lateribꝰ alia: rara & magni precij paruis Marmorum cruſtis incruſtantur, vt in Lithoſtrotis diximus. Pauimentum Germani Eſterich vocant, Itali Eſtrico: vtrunq; autem à Græco Oſtracon factum videtur, quod teſtam ſignificat.

Pocula fiunt ex Metallis diuerſis, auro & argento præcipua: vulgaria è vitri materia funduntur, vel ex luto argillá ve à figulis tornantur. Ex gemmis verò, Murrhina, Iaſpide, Cryſtallo: item è Marmoribus, Alabaſtrite in primis, quę pellucent:[quale pulcherrimũ doctiſsimus medicus ciuis meus Caſpar Vvolphius Venetijs olim emptum dono mihi dedit:] ex Ophite quoq;, & ei cognato apud Miſenos Zeblicio marmore.

Pugillares è lapide fiſsili nigro elegantes fiunt. ſicut & tabellæ ſingula-

Digitized by Google

res, quæ ad parietes ſuſpenduntur. Pugillarium ex hoc lapide icon paulò ſuperiùs cum Cotibus exhibita eſt.

S. Salina. Vide inter Vaſa, inferiús.


Serra qui ſecantur lapides ad varios vſus, πριστοὶ à Græcis dicuntur: vt qui in laminas ſcindi findíve poſſunt, χιστοὶ, id eſt, ſciſsiles. Cruſtas marmoreas, cum lapicidinæ ſponte naturæ non ſuppeditant, arte facere ſolent, ſecando glebas. Arena hoc fit, inquit Plinius, & ferro fieri videtur: ſerra in prætenui linea premente arenas verſando, tractuq; ipſo ſecante, &c. Lege Agricolam lib. 7. de nat. foſsilium, qualis arena in hunc vſum optima ſit. Baſaltes ſerra quidē diuiditur, ſed difficillimè: vt Cap. I. expoſitum eſt.

Sigilla varia è Gagate efformātur: qualia qui diui Iacobi Compoſtellani reliquias viſunt, in ſuis pileis affixa ferre ſolent.

Specularia, quę vulgò feneſtras vo-

Digitized by Google

cant, è vitro maximè fiunt: aliquando è Phengite, de quo ſuprà Cap.2. diximus. Sæpius etiam è Speculari lapide: qui ab his ipſis nomen tulit. Solet autem rhombi figura marginibus



ęreis includi, nõ plumbeis vt vitrum: ſicut appoſita figura oſtendit. Plura de hoc lapide, ſi lapis eſt, leges ſuprà Cap.2.in Selenite.

Specula è vitro præcipuè fiunt, & ex chalybe hodie. olim etiam ex alijs metallis, argentea maximè: & Brundiſina, ſtanno ac ære mixtis. Lege Pliniũ libro 33. capite 9. vbi etiam pocula ita figurari ſcribit, expulſis (*expreßis*) intus crebris ceu ſpeculis, vt vel vno intuente, populus totidem imaginum fiat. Hodie etiam conſpicilia dicta parãtur, angulis referta, quæ rem viſam

mul-

multiplicant. Specularis lapis,à ſpecularibus vt iam dictum eſt, non à ſpeculis nomen habet. Catopyrites in Cappadocia prouenit, Plinius libro 37.capite decimo,vbi conijcio legendum Catoptrites, (nam Catoptron Græcis ſpeculum eſt: & eundem eſſe de quo ſtatim ſubijcit: Cepites, ſiue Cepocapites,candida eſt,venarũ nodis coëuntibus,candore imaginẽ regerens.Et ijdem fortè de quibus paulò inferiùs:Cepionidæ(inquit)in Aeolide Atarne,nũc pago,quondam oppido, naſcuntur, multis coloribus tranſlucentes, aliâs vitreæ, aliâs Cryſtallinæ,aliâs iaſpideæ. ſed & ſordidis tantus eſt nitor vt imagines reddant ceu ſpecula. Cêpus Grȩcis hortus eſt: vnde & Cepo quadrupedi nomen à colorum varietate: & gemma nimirũ Cepites vel Cepoides, κηποειδὴς, (nõ Cepionides,)vel Capites(non Cepocapites,) quod Aeolicum eſt, η. in α. conuerſo. conuenit autem in Aeoli-

Digitized by Google

de naſcenti gemmę Aeolicum nomẽ.
Fiunt Venetijs vitrei quidã globi perforati, vario colorum genere pulcherrimi, quos non immeritò λυχνάδας dixeris. ego ſimile ſegmentum globi ex Iaſpidum genere vidi. Heliotropium gemma ſpeculi modo Solem accipit, deprehenditq́; defectus ſubeuntẽ Lunam oſtendens, Idem ibidem. Hephæſtites quoq; ſpeculi naturam habet in reddendis imaginibus, quanquam rutila, Ibidem. nos plura de eo ſuprà capite 5. patinæ enim ſimilis eſt. Nitentium quædam, imagines rerum reddunt, vt Carbunculus ex Orchomeno Arcadiæ: & omnes lapides duri, ſi politi fuerint, Agricola. E Smaragdis illæ quarum corpus extenſum eſt, ſupinæ rerum imagines reddunt. ob id Nero princeps gladiatorum pugnas Smaragdo ſpectauit.

Tabulis aleatorijs aptantur Iaſpides, Eraſmus Stella.

Tectis adhibentur tegulæ & imbri-

ces

ces è luto: aut laminæ è lapide fiſsili.

Torno formari lapides qui ſint apti, τορνευτῶν Græcè dixeris, qui nimirum ferro cedũt, ijdemq́; τμηκτοὶ ſunt, id eſt, ſectionem admittunt, mox in V. litera dicetur.

V. Vaſa (ſicut & pocula, de quibus iam ſuprà diximus) diuerſa ex omni metallorum genere fiunt, fundẽdo, aut malleis ducendo. Plura è luto argillaq́; à figulis finguntur, & fictilia dicuntur.


Fictilibus cœnaſſe ferunt Agathoclea regem.

Alia verò è lapidibus & ſaxis diuerſis excauatis cædendo à lapidicidis ſeu latomis fiunt. Alia torno ex ijſdẽ.

1. *Cochleariũ ex Ophite, vel marmore Zeblicio. Vide ſuperiùs de Cochlearibus.*
2. *Salinum ex Alabaſtrite: ex quo etiã pyxides vnguentariæ, quas alabaſtra vocant, fiunt.*
3. *Lebes tornatus è lapide lebetũ dicto, cum anſa ferrea.*

Digitized by Google

.1.



Plurij,qui pagus eſt Rhætorum e-
gregius vltra Alpes, proximè Clauen-
nam oppidum lacui Lario (quem Co-
menſem hodie vocant) vicinũ, in mó-
te proximo effoſsi lapides quidã pul-
li coloris, & molliuſculi, ad lebetes &
varia vaſa tornantur: & inde in diuer-
ſas Italiæ vicinasq́ regiones exportã-
tur. Io. Auguſtinus Pantheus chemi-
ſta, hunc lapidem Lebetum vocat, &,
ni fallor, alio nomine petram Colum-
binam, neſcio quam ob cauſam. In
Siphno (inquit Plinius lib.36.cap.22.)
lapis eſt, qui cauatur, tornaturq́ in
vaſa coquendis cibis vtilia, vel ad e-
ſculen-

Digitized by Google

ſculentorum vſus: quod & in Comēſi Italiæ lapide accidere ſcimus. Sed in Siphnio ſingulare, quòd excalfactus oleo nigreſcit dureſcitq́;, natura molliſsimus. Horum & Agricola meminit lib. 7. de nat. foſſ. E ſaxis mollibus, inquit, & in opere tractabilibus, fabri ærarij faciunt formas ad ęs fundendū aptas: quia ignem ſuſtinēt. qualia ſunt apud Chattos ſaxa in fuſco cineracea, in quorum formas quoduis metallū liquidum funditur. Hoc genus in Siphno, & in Italia circa Comum excauatur, tornaturq́; in vaſa coquendis cibis vtilia, quæ circundantur circulis ferreis. Sed dura ſaxa, quàmprimū ex lapidicinis exempta fuerint, ferro ſunt tractanda. nam in aëre magis dureſcunt. Ex his fiunt & mortaria pharmacopolarum, & cotes, &c. Hepatiten lapidem ſuprà (in F. litera huius capitis) à quibuſdam Germanis vocari dixi, qui inter argillam & lapidem ferè medius ſit: is quoq; tornari ſimili


ter vt Comenſis iam dictus poteſt: & quidem faciliùs, cum eo mollior ſit: & fortè quòd nimium mollis ſit in vſum vaſorum nondum venit: ego tamen vaſcula quædam ex eo mihi parari feci. Tornatur & Gagates ad minora quædam vaſcula, vt ſalina: & in eodem genere Succinum ad crepundia quædã precioſa, vt lagenulas paruas, &c. ❧ Ex Ophite albo veteres vaſa & cados faciebant.

Noſtra ætate (inquit Eraſmus Stella) miramur Catinũ è ſmaragdo apud Genuam ciuitatem Liguriæ, quo nullus precioſior viſus vſquam, nulla gẽma nobilior, nulla ſpecies vaſis mirabilior, quo dicunt Chriſtũ in vltima cœna ſua vſum fuiſſe ex apparatu Herodis regis, qui à Galilæa Hieroſolymã ad agnũ Paſchalẽ cõmanducandũ venire decreuerit: ſed diuina ꝓuidẽtia conſilio mutato aliò diuerterit. In Gallia Narbonenſi in cœnobio quodam Lugdunenſis agri, alia paropſis

cer-

cernitur, qua ſimiliter vſum Chriſtũ volunt in ea cœna, ſed minor multa ſuperiori, nobilitateq́ inferior.

Icon adiuncta hic eſt vaſis, pateræ inſtar, quod alij Porcellanã, alij â Maiorica mediterranei maris inſula denominant.



Eſt aũt teſta ſiue materia figlina, albo cœruleoq́ diſtincta, figlina arte: ſubſtantiæ duræ ſolidæq́ & albæ per totum. Nos de huiuſmodi vaſis plura ſcripſimus in lib. de Aquatilib. Corollario de conchis, pagina 336. & ſeq. ☞ De poculis, ſuprà leges in P. litera huius Capitis.

Verticelli dicti ſeu ſphondyli, quibꝰ ſuos fuſcos onerant mulieres, ex iiſdẽ oĩbꝰ fieri poſſũt, è quib. vaſa. vulgares teſtacei ſũt, aut vitrei. Vidimꝰ & è Succino. Hactenꝰ de varijs rerũ figuris, q̃ ex lapidib. aut metallis arte fiũt, ad aliquẽ vſũ vitæ vtilẽ. De ſuperſtitioſis aũt Figuræ ſuperſtitioſæ.

figuris, notis & characteribus, quæ pinguntur aut exprimuntur quoquomodo in gemmis aut alijs foſsilibus, cum eas ex religionis noſtrę inſtituto nequaquam approbemus, quòd vel ridiculæ, vel impiæ ſint, vtræq; vanæ, nihil addemus. Multa de ijs Kiranides magus, & Plinius interdum obiter ac irridens, alijq;. De ijſdem Camillus Leonardus Piſaurenſis in Speculo lapidum toto ferè libro tertio agit.

Iaſpis viridis, Galeno teſte, appenſus ſtomachũ & os ventriculi iuuat. quare & annulis inſeritur, inquit, inſculptum gerens draconem radiantem. Talem ego etiam memini me vidiſſe Lauſannæ olim apud ciuẽ quendam ſcribam. Ego tamen, inquit Galenus, efficaciam eius etiã ſine hac ſcalptura probaui, facta torque ex eiuſmodi lapillis, ita vt collo ſuſpenſi os ventriculi contingerent.

DE

Digitized by Google

DE LITHOPHYTIS, ET rebus foßilibus illis, quæ plantas imitantur, in genere primùm: deinde priuatim quæ herbarum ſimilitudinem aliquam præ ſe ferunt, ordine literarũ.

Caput VII.

LIthophyta quædam ſunt, ſeu lapides φυτώδεις, (ſicut zoophyta dicimus,) inter plantas & lapides media: vt Corallium, Iuncus lapideſcẽs, & alia quædã, præcipuè marina. Hæc autem, ni fallor, & quæcunq; in lapidibus radices agunt, cum imperfecto aut ſicciore alimẽto alantur, nec caulem propriè dicendum, nec florẽ nec ſemen proferunt: ſicut inter herbas non lapideſcentes, quæ lapidibus & muris plerunq; innaſcuntur Adianti genera, Phyllitis, Hemionitis, & huiuſmodi. ſed hæc radices habent manifeſtas, & Filici in terra naſcenti affinem naturam. quæ verò ad lapidum formam accedũt, exteriori ſaltem par

te, radicibus carent, & imam ſui partem, qua adhærẽt ſuper lapidibus aut conchis, qui adnaſcuntur extendũt patellarum inſtar inhærentes. Radices, ſtipites, rami, cortices, folia, flores, fructus, mutãtur in lapides in his fontibus & fluuijs: quos cómemorauit lib.2. de natura eorũ quæ effluũt ex terra, Agricola. Sunt quæ non tam forma vel ſubſtantia, quàm accidente aliquo, vt colore, odore, ad aliquã ſtirpem accedant. Telirrhizos cinerei coloris aut ruffi, candidis radicibus ſpectatur, Plinius. Ex marinis aut maritimis plantas aliquas, quę lapideæ videntur in ſuperficie potiſsimùm, (pleriſq; enim lignum ſubeſt,) in Hiſtoria ſtirpium exhibebimus ſpero. Gemmas aliquot à plantis denominatas Plinius lib.37.cap.11. enumerat, quas nos hîc etiam, ſuo quanque loco, non omittemus. Cepiten vel Cepoidem, ab hortis nominatam ob colorum varietatem, præcedenti ca-

pite

pite memorauimus, inter illas quæ ſpeculi inſtar imagines regerunt. Lapilli quidam alba criſpaq́; ſpecie, ſeminibus aut alijs rebus quas pharmacopolæ ſaccharo incruſtant, & vulgo confectiones vocant, ſimiles, iuxta balneum Bulicame vel Oche dictum in agro Viterbienſi reperiuntur.

A. Arundinis Indicæ in lapidem verſæ, Corallij ferè naturæ ſimilis, meminit Theophraſtus in libro de lapidibus. Calamites nomen habet à calamo: feruntq́; plures ſimul coniunctos inueniri, Plinius. Inuenio & lapidis calamo ſimilis mentionem factam. Græci arundinem, calamum vocant, & ſpeciem eius vnam ſyringiam faciunt. Syringites ſtipulæ internodio ſimilis, perpetua fiſtula cauatur, Plinius.

C. Corallinã vulgò nominãt medici herbulã maritimã, q̃ & è ſaxis ſine radice naſcit̃, & ſubſtãtiã foris tanq̃ è limo quodã albicãte circũnato fermè

lapideſcentem habet. Eius iconẽ quę-
res paulò pòſt cum Fungulis marinis.

Coriandri ſemina magnitudine & forma interdum refert Stalagmites à nobis dictus, qui è guttis thermarum Carolinarum Bohemiæ cócreſcit: aliâs verò piſorum. Iconem quære in P. litera mox.

Croci color appellauit Crociã lapidẽ, Plinius. Et alibi: Sunt & vitreis ſimiles Chryſolithi, veluti croco refulgentes. Fuerint autem ijdem fortè Crociæ.

Adamantis ſpecies alia eſt Macedonica, Cucumeris ſemini par, Plinius.

F. Fabæ magnitudine Alectorias eſt. Cyamea nigra eſt, ſed fracta ex ſe fabæ ſimilitudiné parit, Plinius. Conſtat ea fortè è pluribus quaſi fauis: vt alij quidam lapides è piſis, &c. in quę reſoluuntur: vt frangi pro reſolui Plinius dixerit. Lapis (niger, vt Stobæus habet, Plutarchus non habet) fabę ſimilis in Nilo naſcitur: quo viſo ca-

nes

nes non latrant. Idem optimè facit ad vexatos dæmonio. aiunt enim quàmprimum naribus appoſitus fuerit, dæmonium egredi, Thraſylus apud Stobæum Sermone 98. & Plutarchus de fluuijs. Syluatico Lithodæmon eſt lapis dæmonis, qui dicitur Gagates, & ipſe niger, & ſuffitu dæmones fugare fertur. ſed figuram certam is nullam habet. Fortè ſcriptorum aliquis, fabæ de eo magnitudinem, ὅσον κύαμος, ſuffiri iuſsit: & aliquis pro ὅσον legit οἷον vel ὅμοιον. Chriſtophorus Encelius ſcribit ſe habuiſſe lapidem, qui à bufone vulgo denominatur, nigrum, notulis liuentibus nigris, mediocris fabæ magnitudine & figura. Fabã marinam aliqui vocant conchæ cuiuſdã marinæ operculum lapideũ: de quo infrà inter Conchas. Encelius capite vltimo libri 3. de lapidibus & gemmis, Porcellanam conchulam, in ſuo genere minimã, Fabę marinæ & Vmbilici Veneris nomine accipere videt.

Filices & alia in quibuſdam fontibus, vt Sarni in Italia, lapideſcũt, Pontanus in Meteoris.

Flores. Gaſidanem Medici mittunt coloris olorini, veluti floribus ſparſum, Plinius. Idem alibi ſcribit Achates reperiri in Thracia alibiq́; ſimiles limitum floribus.

Folia Græci φύλλα & πέταλα vocãt. Eupetalos quatuor colores habet, cęruleum, igneum, minij, mali, Plinius.

Χρὴ δὲ καὶ εὐπέταλον πετράκεα λᾶαν ἐχοντας
Ἀρᾶσθαι παρὰ βωμὸν γεραιρομένης ἑκατόμβης,


Orpheus de lapidibus. quorum verſuum ego lemma, non πετράκης vt codex Aldinus habet, ſed Εὐπέταλος fecerim. Leucopetalos candorem niuis ex auro diſtinguit, Plinius.

Galeazius Mundella Veronenſis, ſummi medici Aloiſij patruus, lapidẽ habuit, q nihil aliud videbat repręſentare, q̃ grana frumẽti inuicẽ connata.


Fungos exiguos lapideos colore cã-

didiſ-

didiſsimo exprimit, herbula maritima hîc exhibita, cui Corallina etiam ſuperiùs à nobis memorata ſubijcit. Hos fungulos, qui Androſaces dictam à Græcis herbã faciunt, vt primus (q̃d ſciam) Anton. Muſa Braſauolus, & poſt eũ Matthiolus Senenſis, illorum ſententiam nõ probo.



.1.



.2.

Theophraſtus libro 4. cap. 8. Hiſtoriæ ſtirpiũ, tradit in mari ad colũnas Herculis, (*ſic citat Athenæus lib. 2. Theophraſti codex habet, in mari rubro*) cũ abundauerit aqua, fungos iuxta mare naſci, q à Sole in lapidis ſubſtãtiã vertantur. ¶Lapis fungifer admirabilis, & apud Romanos magno in p̃cio eſt.

Vnum vidimus Neapoli, quo in regno tradũt inueniri. Cruſta craſſa eſt. Ea terræ dodrante operta, aſperſaq; tepida irroratione, quarto poſt die fungos edit, Iulius Cęſar Scaliger. Hermolaus in Corollario 698. è lapide Lyncurio vel Lyncis vulgò dicto, hos fungos naſci ſcribit, vnde & nos repetiuimus in Lupi ceruarij hiſtoria C. Quærendum autẽ an idem huic fungifero lapidi ſit is qui à pharmacopolis quibuſdam pro Lyncurio vendit, gleba quædam pumicoſa, &c. vt pluribus eodem in loco ſcripſimus.

H. Hyacinthus gemma, nomen à colore floris nimirum accepit.

I. Iuncos lapideos apud mare rubrum prouenire, quos nemo viſu à veris poſsit diſcernere, retulêre qui ex India miſsi ab Alexandro id mare nauigarunt: item plantas marinas illic, quoad in aqua ſint, colorem algæ minutæ habere: cum verò exemptæ ad Solem ponuntur, mox ſali ſimiles fieri

ri narrauerũt, Theophraſtus. Hiſtor. ſtirp. lib. 4. cap. 8. vbi etiam ſcribit in ſinu eiuſdẽ maris Heroo cognominato, Laurum eſſe, & Oleam & Thymũ: verùm non viridia, ſed lapidis ſpecie, parte è mari eminente: ſimilia tamẽ viridibus, tam folijs quàm germinibus. colorem quoq; floris in thymo, tanq̃ nondum perfectè floruerit, liquidò deprehendi. Iunci in lapidem verſi genera duo Vlyſſes Aldrouandus medicus excellentiſsimus Bononiæ habet. Lapidem in iunco amicus quidam meus Monſpelij inuenit, in radicis quodam veluti nodo totum abditum & innatum, quem à viro quodã docto lapidem Cyperi vocari aiebat, & ad amuletum aduerſus epilepſiam, ſi rectè memini, magni fieri. Laurus. Olea. Thymũ. Cyperi lapis.

L. Leguminum ſpecie lapides quidã inueniuntur, piſis (de quibus mox in P.) aut lentibus ſimiles: partim coagmentati ex pluribus ceu granis aut ſeminibus, partim etiam grana ſingu-

Digitized by Google

la & ſeparata: quæ ſua foris tunica teguntur, vt intus etiam planè referunt legumina vera, duritie ſumma, & ne validorum quidem dentium morſui cedente. Lithoſprea dixeris Græcè. Huiuſmodi granis audio agros quoſdam alicubi plenos, veluti ſatos, reperiri. Figuram exprimit lentis arena Africæ, & calculi in colle Cappadociæ, Agricola. Galenus lib. 9. de ſimplicibus medic. in Argæo Cappadociæ (qui mons altiſsimus eſt Straboni, & ſemper in ſummo niues habet) lapides quoſdam naſci ſcribit, qui ſimiliter vt Spongiarum lapides, contra calculos renũ vtiles ſint, & in ſuccum colore lacteum ſoluãtur. Plinius lib. 37. cap. 10. Capniten ait in Cappadocia & in Phrygia naſci, ebori ſimilem: qui nimirum ſuccum etiam eiuſdem coloris reddiderit. ego hunc nõ Capniten plurimis ſpiris fumidũ eſſe puto: ſed Cepiten ſiue Capitẽ (de quo ſuprà dixi, hoc in capite) eundemq́

Digitized by Google

Catoptriten dictũ, in Cappadocia, & in Aeolide quoq; prouenientem, colore candido, &c. Hæc obiter. nam Cappadocici illi lentium figura lapilli, à Capite Cappadocico nimirũ differunt. Strabo lib. 17. de pyramidibus Aegypti ſcribit his verbis: Ex tritura lapidũ (ἐκ τῆς λατύπης) acerui quidam ante pyramides iacent: in quib⁹ lapilli & forma & magnitudine lẽtis inueniunt, (ψήγματα καὶ τύπῳ καὶ μεγέθει φακοειδῆ:) quibuſdã etiã veluti corticis particula, vt lentis ſemidecorticatę, ſubeſt. (ἐνίοις δὲ ἐστὶ ὡς ἂν πτίσμα, οἷον ἡμιλεπίστων ὑποτρέχει. interpres malè vertit, quidã vt hordei grana (quæ ſemidecorticata excurrunt.) Dicũt reliquias ciborũ, quib⁹ operæ veſcebant, in lapidẽ induratas. Quod quidẽ ſatis veriſimile eſt. nam & apud nos collis quidam eſt oblongus, in campo ſitus, qui tofi calculis in modũ lẽtis plenus eſt, [ἔστι δ᾽ ὅσι μεσὸς τῆς ψήφου φακοειδῶν λίθου τῆς ψήφου πορείας, lego πωρείας.] Sic Strabo. Aldrouãdus Bononię talẽ è pyramidib⁹

lapillum habet, & Chelidoniæ vulgò dicto ab hirundinibus, perſimilem eſſe ait. Atizoën gemmam in India, & in Perſide ac Ida monte naſci tradit Democritus, argenteo nitore fulgentem, magnitudine trium digitorum, ad lenticulæ figuram, odoris iucundi, Plinius.

Encrinos. Lilia. Vt Entrochos diuiſus rotarum effigiem repræſentat, ita Encrinos liliorũ. cum enim angulata pars vna ab altera ſeparatur, vtraq; quina lilia oſtendit. nam alterius eminentię ingrediuntur in alterius ſtrias. quælibet verò talis pars quinos habet angulos, latera totidem, vtrinq; quina lilia: vnde Pentacrinos Græcè poteſt dici. Conſtat autem ex pluribus interdum coniunctis. Agnaſcitur lapidibus in rubro nigri coloris, ipſe rufus. Fractis ſingulis intus eſt lapidis Iudaici color, læuor, ac ſplendor. quare obtinet eandem vim medendi. Reperitur in foſſa mœniorum vrbis Hil- [illegible] deſ-

Pentacrinos.

deſheimiæ, Agricola. Germanicè interpretatur **Lilgenſtein.**

Linum asbeſtinum, idem quod Amiantus Agricolæ. In Acheloo fluuio naſcitur lapis liuens Linurgus (λινουργὸς) dictus ab euentu. linteolo enim ſi imponas δι' ἱδρῶτος γνῶσιν, τὸ σχῆμα λαμβαίνει καὶ ἄργυρον γίνεται, Plutarchus de fluuijs. Videtur autem locus deprauatus. Fortè homines ſuperſtitioſe creduli, lapidem in linteolo ligabant, cuius colorem (χρῶμα non σχῆμα) ἄργυρον vel ἀργυρὸν, id eſt, candidum ſi acciperet lapis, liuore depoſito, bene ominabantur & ſperabant de ſuis amoribus.

Lithoſpermon herba, à ſemine lapideo nomen tulit. durum enim id, & fragile candidumque, margaritis magnitudine, figura & colore ſimile habet. Sunt qui eandem herbam Leontion, & Leoninum lapidem nominẽt: hodie vulgò milium Solis: & eius ſemen fortè Lapidis Solis nomine intel

ligitur apud Haliabatbē Practicæ lib. 10. in Antidoto de Caphura. Herba à nonnullis Lachryma Iobi vocata, folijs arundinaceis, ſimilia Lithoſpermo ſemina profert, niſi quòd multo maiora & naturâ pertuſa ſunt: quare filo ea traijciunt plebeij, & pro globulis precarijs alicubi vtuntur. Alia eſt Leontice, quæ alio nomine Cacalia vocatur, cui ſemen margaritis minutis ſimile, inter folia grandia depēdet, apud Plinium & Dioſcoridem.

M. Maluam Græci malachen, aliquando molochen vocant, vnde gēmæ nomen. Non traſlucet Molochites ſpiſsiùs virens, à colore maluæ nomine accepto, reddendis laudata ſignis, & infantium cuſtodia quadā, innato contra pericula ipſorum medicamine, Plinius, Agricola Moloſchit interpretatur, nomine etiam apud Germanos ſeruato. Vide ſuprà Capite 5.

Cenchriten milij granis veluti ſpar-

ſis

ſis inſignem Plinius nominat. Fuerit autē idem fortè Ammonites vel Ammites minor, ouis piſcium ſimilis, &c.

Et idem fortè, aut ſimilis, Meconites. Vide iconem mox in P. litera.

De Lithoſpermo, quod hodie Milium Solis vocitant, paulò antè dixi.

N. Narciſsitæ lapidis meminit Dionyſius Afer: quo teſte in Colchide ſunt petræ, αἳ φύουσιν ἀφεγγέα ναρκισσίτην. Euſtathius Narciſſo plantæ (flori) colore ſimilem & pellucidum interpretatur, vt ἀφεγγέα fortè pro πολυφεγγέα accipere oporteat.

Ciſsites in candido collucet ederæ folijs, quæ totam tenent: Narciſſites venis etiam ederæ diſtinguitur, Plinius libro trigeſimoſeptimo, capite vndecimo. reliquit autem dubitandi locum, ne Narciſsiten cum Ciſsite fortè confuderit, ederæ, à qua Ciſsites denominatur, ſimilem vtranque faciens, nulla Narciſsi in Narciſſite mentione.

Digitized by Google

P. Papauera exprimit Meconites, Plinius. Vide paulò antè in Meconite, qui milij grana repræſentat. Eſt autem milij & papaueris ſeminibus eadem ferè tum magnitudo tum figura.

Smaragdi Medici rerum imagines complectuntur, vt verbi gratia papauerum, aut auium pinnarumq́ꝫ, &c. Plinius. Mecon Græcis papauer dicitur, vt eodem nomine arenæ quædam ſpecies Polluci, ſubtilioris nimirum.

Phycites ex algę ſimilitudine appellatur, Plinius.

Piſorum & lentium ſimilitudinem lapides aliquos habere ſuperiùs in L. litera dictum eſt. *Iconem eius poſui ſuprà paulò poſt principium Capitis quarti.*

Vide ſuperiùs in Coriandro. Piſa lapidea multa inueniri audio in agro prope oppidum Bernenſium Heluetiorum ad Arulam, à ponte per id flumen denominatum. Piſolithum ad me miſit Io. Placotomus medicus eximiè

mię doctus, hoc tempore Dantiſci: Mitto (inquit) lapidem ex multis granis quaſi compactum: qui copioſè in oppido Alſleben inuenitur, & ex mōtibus effoditur ad muros extruēdos Eius ſpecies vna friabilis eſt, altera nō item. Erbßſtein vocant.

Porri, quod Græcis praſon eſt, color Praſium gemmam nominauit. Viridantium gemmarum, inquit Plinius, plura ſunt genera, vilioris eſt turbæ Praſius: cuius alterum genus ſanguineis punctis obhorret. tertium virgulis tribus diſtinctum eſt, candidū. Pręfertur his Chryſopraſius, porri ſuccum & ipſa referens: ſed hæc paululū declinat à Topazio in aurum. Orpheus petram vocat,

Τῆς ὄνομα χροιὴ τε πέλει χλοεροῖο πρασοῖο:

& contra aſpidis venenum prædicat.

De Chryſopraſo lege ſuprà in Auri mentione Capite 5. Recentiſsimi authores Topazij duo genera faciunt,

Digitized by Google

Praſoidem atq; Chryſopteron, ſimilem chryſopraſo. eius enim tota ſimilitudo ad ſuccum porri dirigitur, Plinius.

T. Thyrſites Corallo ſimilis, in potu ſomnum inducere fertur, Camillus Leonardus.

V. Violam Græci ion vocãt. Ion (gemma) apud Indos violacea eſt, ſed rarò ſaturo colore lucet, Plinius. Imitatur Iaſpis & violas, Eraſmus Stella: de colore nimirũ ianthino, id eſt, violaceo ſentiens. Ego lapidem à Georgio Fabricio iam olim, qui violas etiam odore præ ſe ferret, accepi. At Geodes Miſenus & Berningeri lapis, inquit Agricola, non ipſi olent violam, vt nec Aldenbergij ſaxi fragmenta: ſed muſcus qui eis adhæreſcit. Muſcus.

Violaceis fluoribus pictores pingunt, Agricola.

DE FRVTICIBVS IN LApides verſis, & Fruticum, eorúmve partium aliqua cum Foſsilibus ſimilitudine. Caput VIII.

FRutex in lapidem verſus Tiburti, apud Vlyſſem Aldrouandum Bononiæ. Virgæ, frondes, aliáque, in quoſdam fontes immerſa lapideſcũt, vt Capite 1. retulimus. Argentum & alia quædam metalla ſponte naturæ in fodinis aliquando ceu fruticis aut capillorum ſpecie naſcuntur. Silices quidam reperiuntur ramoſi in modũ Corallij, Encelius. Vide mox ſequenti Capite de Stelechitis. In genere.

H. Ciſsites ab hedera denominatũ. Vide præcedenti Capite, in Narciſsite: cum eo enim confundere Plinius videtur libro 36. cap. 11. Videntur autem lapides duo diuerſi: & alius fortè ab eis Ciſsites ille fuerit, quem eiuſdẽ libri capite decimo circa Copton naſci tradit, candidam, & videri intus Singillatim.

habere partum, qui ſentiatur etiã ſtrẽpitu. ex quibus verbis ad Aëtitas hũc referendum eſſe apparet, & fortè non à ciſſo, id eſt, hedera, ſed aliunde deriuari. Κισσᾶν quidem verbum pro concipere, in ſacris Carminibus à Septuaginta tranſlatis legitur: Ἐν ἁμαρτίαις ἐκίσσησέ με ἡ μήτηρ μου. Κυεῖν verò in eadem ſignificatione poëticum videt.

Hederæ folium in lapidis naturam verſum, Aldrouãdus Bononię ſeruat.

P. Lapis piperis eſt, qui reperitur inter grana piperis, colore & magnitudine non diſsimilis, Andreas Bellunenſis.

R. Rhodites à roſæ ſimilitudine (in colore nimirũ: nam & Melites Mali coloris ſequitur) dictus memoratur Plinio. Cæterùm vt Aſtrites multis depingitur ſtellulis à natura, Sigſtein Germanicè dictus: ſic ſpeciem aliam reperiri audio, multis inſignem roſis.

S. Polia (πολιὰ) caniciem quandã

Sparti

Sparti indicat: eandem duriorem, nigra Spartopolios, Plinius. Agricola hos lapides nihil ab Amianto differre putat. Sunt ſanè fiſsiles quidam lapides, quos Amenti nomine pharmacopolæ vocitant: qui & fiſsili rectaq́; & denſa exilium fibrarum ſpecie, & colore cauo ſplendidoq́; capillos ſenũ præ ſe ferunt.

DE ARBORIBVS EArumq́; partibus, & rerum foßilium cum eis affinitate. Cap. IX.

NEmorum ſimilitudinem exprimit Achates, (Plinio etiam teſte) & Marmor viride, Agricola. Dendrites lapis ab arbore ſuum nomẽ eſt mutuatus: interpretantur autem Corallium. Vide Capite mox ſequenti.

Dendrachates velut arbuſcula inſignis, Plinius lib. 37. cap. 10. Vbi Viſtula exonerat ad læuam in littore Pucici ſinus, &c. reperiuntur concreti bi-

Digitized by Google

tuminis glebæ ſatis duræ, diuerſorũ colorum, quæ accenſæ ardent, ſed nõ ſuaui odore. His adnaſcuntur arbuſculæ pallidæ, & q̃ piſces olent: Quercus ſcilicet atque Buxi: altæ tres, aut ſummùm quatuor palmos. Carent verò radicibus, & ſicut Patellæ, λεπάδας vocant Græci, ad glebas adhærẽt. Tales eſſe videtur lapides, quibus in mari, vt Theophraſtus ſcribit, adnaſcuntur Quercus, & Abietes. tametſi ille eaſdem oſtreorum teſtis dicit adnaſci, Agricola libr. 4. de nat. foſsilium. Germanicè autem interpretatur, kleine Meerbôumle, id eſt, arbuſculas paruas marinas. Et eiuſdem operis libro 7. Cum natura (inquit) lapides arborum ſimiles procreet, diligenter videndum eſt an corticem & medullã aliaq; habeant. quæ ſi abſunt, non ſtipites in lapides conuerſi ſunt, ſed natura fecit lapides ſtipitum ſimillimos, quales ſunt trabes iſtę Hildesheimię, &c. paulò antè autem dixerat in tra-

Quercus. Buxi.


ctu Elbogano inuẽtas eſſe permagnas Abietes in lapides vnà cum corticibus verſas, &c. Lege plura ibîdem.

Gemmam Sardam, in quâ natura arborem & Lunæ eclipſim expreſsit, exhibui ſuprà Capite ſexto inter Ornamenta. Ioannes Kentmanus miſit ad me portiunculam arboris effoſſæ in Valle Ioachimica: quam ſcribit integram cum ramis & folijs inuentam eſſe, conuerſam in lapidem, in fodina, loco ad menſuras quas vocant *Lachter*, (quarum vnaquæq; altitudinem hominis equo inſidentis continet) ſeptuaginta: nec arbor ſolùm, ſed etiam terra circunquaq; ad vnã eiuſdem altitudinis menſuram, in lapidẽ induruerat. Ab eodem accepi, ligna, carbones, folia, cortices, oſſa, cõchas, quæ obducuntur materia lapidoſa, è fonte Francfordiano ad Oderam. De lignis in lapidẽ mutatis, plura deinceps afferent in Abietis, Alni, Quercus, & Vlmi montanæ mẽtione.

Digitized by Google

De Silicibus ramoſis, ſcripſi ſuprà Capite primo. Stelechites ſtipitis ſpeciem oſtendit, cuius rami ſunt mutilati: colore cinereus reperitur in Chartis ad Spangebergum arcem, Agricola. Iconem dabimus infrà Cap. II. cum Oſteocollis. Stelechitæ etiam (à ſimilitudine ad truncos arborum, quos Græci στελέχη vocant,) dici poſſunt lapides, quorum mentionem faciam infrà Cap. II. qui etiam ramorum rudimenta habent.

Figura ſubſequens ad numerum 1. portiunculam arboris in lapidem verſæ, de qua paulò antè ſcripſi, repræſentat. Numerus verò 2. lapidem oßi Mali perſici ſimilem.



Lignum

Lignum ſubterraneum, quod aliqui è ligno in lapidem verſum arbitrantur, in Gallia vulgò lapidem fulminis appellant: vt ſcripſi ſuprà Cap. 3. Eſt vbi adeò induretur lignum, vt vel Cotes ex eo fiant, aut fieri poſsint.

Samothracia inſula eiuſdem nominis gemmam dat nigram, ac ſine pondere, ligno ſimilem, Plinius. Fortè autem Gagates hæc fuerit. Lignum in Bôlum Armeniã conuerſum, Aldrouandus Bononiæ habet. Orbis (σπεῖρα) dictus in lignis, iniquior, tractatúque difficilior quàm nodus artifici obſtat: ſimiliter autem vt in lapidibus qui ſtimulus (κέντρον) vocatur, naſci videtur, Theophraſtus hiſtor. libro 5. cap. 3. Inueniuntur etiam lapides & alia interdum plantis, (arborum precipuè lignis,) incluſa: Lege Theophraſtum loco iam citato, & Scaligerum Exercitationis 137. parte 1. Lapis qui trũco arboris pro cunei more impingi ſolet, fœtus retinet, Aëtius.

A. Abies Græcis ἐλάτη eſt, vnde Elatitæ lapidi nomen. Hæmatiten quarti generis Elatitē vocari Sotacus tradit apud Plinium. fortè autē Abietis lignum aliquo modo refert pectinum aſpectu, alitérve.

Alni lignum in lapidum conuerſum, Clethrites à quibuſdā hodie vocatur. nam clethram Græci Alnum dicunt. Tale ad me miſit Ge. Fabricius cum innato pyrite. Pontanus in Meteoris cap. 44. de amaris fontibus:

———Videas lapideſcere Sarni
Cæruleo ſub fonte alnum, filicisq; maniplos:
Et paleæ intortos lento cum uimine culmos.

Amygdaloides dici poteſt lapis amygdali oſsi perſimilis, qualem Verona miſſum accepi. inuenitur etiam eidem fructui idem ſaccharo incruſtato ſimilis.

B. Belzoino lachrymæ ſimilis, Bononiæ apud Aldrouardum.

C. Ceraſum repræſentat Crocallis, Plinius 37.10. Eidem globulus è Co-

ral-

rallio tornatus ſimilis eſt. κρόκαλον & κροκάλην Grammatici interpretantur calculum, lapidem albicantem, arenam litoralem. Sunt autem ij calculi fermè rotundi, ceraſi quadam ſpecie ſi color adeſſet.

E. Ebenus arboris peregrinæ nomen, Græcis & Latinis vſitatum, Hebraicæ originis eſt, à nomine eben, quod lapidem ſignificat. lapidem autem ebeni lignum ſuo pondere refert.

Sed aliud eſt Ebenum foſsile, quod Agricola Germanicè Erdſtöckſtein interpretatur, (quaſi dicas ſtipitem vel truncum paruum ſubterraneum,) & inter res foſsiles leues cum Gagate, Pumice & Tofis numerat. Et ſub finem libri ſeptimi de nat. foſsiliũ: Hildesheimi, inquit, intra terram aluminoſam, ad (iuxta) lignũ in lapidẽ mutatum, & in eius cõmiſſuris, reperitur Ebenũ foſsile: quod etiã ſparſum in aliorũ lapidũ cauernis, tanquã in aluo, latêre Theophraſtus non ignorauit.

Stirps eſt nigra, folijs & fructu carẽs, cornu politi modo ſplendida, ſolida: ſed leuis omninoq́; aſpectu ſimilis Gagatæ lapidi, ſed natura admodum diuerſa, vt quod ignem nõ ſentiat. Hoc Ebenum ramoſum Venetijs olim quidam mihi pro Corallio dedit. De hoc Pauſanias accepit à Cyprio medico, radicem eſſe terra cõditam, &c. ¶ Ab hoc differt Exhebenus, quam (gemmam) Zoroaſtres ſpecioſam & candidam tradit, eaq́; aurifices aurum poliunt, authore Plinio. Eundem lapidẽ Agricola Samium vocat: vel è Samio candido (nam & alterius coloris inuenitur) hãc gemmam fieri tradit. Vide ſuprà Cap. 2. in ijs quæ de Aſtere Samio ſcripſimus.

Exhebenũ

F. Fagum arborẽ recentiores vocant, Oxyam Græcorum, Germani Büch: & à triquetra huius arboris fructuum figura Büchle, ſimiles eis maſſulas auri, quæ in montibus Bohemię inueniuntur. ¶ Sycites lapis à fici colore


lore nominatur Plinio lib.37.cap.11.

G. Glandem Græci balanon vocãt, vnde Balanitæ lapidi nomẽ. Balanitæ genera duo habẽt, ſubuirides, & Corinthij æris ſimilitudine. Illa à Copto, hæc ex Troglodytica regione veniunt, medias ſecante flammea vena, Plinius. Vide inferiùs in Phœnicite. Phœnix enĩ palma eſt, cuius fructum etiam balanum vocant Græci.

¶ Glandem lapideam in porco inuentam, olim me vidiſſe memini: & rurſus aliâs non diſsimilem lapidem, quem è Suis mactati veſica exemptũ aiebant.

P. Phœnix Græcis Palma eſt, cuius fructum etiam balani, id eſt, glandis nomine appellari dixi. Phœnicites ex balani ſimilitudine appellatur, Plinius. Lapides quidam è marmoribus, aut ſaxis fiunt. quod genus ſunt lapides Iudaici, Trochitæ, Dactyli Idæi, & conſimiles. Lapis autem Iudaicus à Dioſcoride dictus, Syriacæ ab

Aëtio vocatur: & ab alijs Phœnicites: vel ab oliuæ nuclei ſimilitudine Pyrene: vel Tecolithus, à vi lapidem (renū aut veſicæ) liquefaciendi. Nonnullis Eurrhœus, quod, quia comminuit calculos & mouet vrinam, facilè fluere videatur, &c. Hæc ferè Agricola libro quinto de natura foſsilium. Nos hîc quatuor eius differentiarum figuras poſuimus.



1. Minimus & rotundior, oui ferè figura: fœmina, vt conijcio, exiſtimatus à veteribus: frequenter & communior pharmacopolis. Reliqui tres, oblongi, rariores, maſculi, & cætera

ter-

tertium ſtriatum cognominare licet. In eo quidem & ſecundo principium quoddam, è quo lapis enaſci videtur, anſæ aut vmbilici inſtar apparet, vt in Aëtitis nonnullis.

Sunt qui Cyſteolithon vocent, id eſt, veſicæ lapidem: quòd calculos eius comminuere crederetur: Galenus id negat, in ſolis renum calculs comminuendis efficacem faciens. Tecolithos quidem etiam Spongiarum lapides à ſimili effectu, à quibuſdam vocari Plinius tradit: vbi aliqui Cyſteolithos legũt, quod minùs probo. Eu reos nucleo oliuæ ſimilis eſt, ſtriata concharum modo, nõ adeò candida, Plinius. Galeno Iudaicus lapis eſt εὔρυθμος κατὰ τὸ σχῆμα, (id eſt, ſcitè concinnatæ figuræ, quod vocabulum ad Eureos videtur accedere:) & lineas habet veluti torno factas: quod tertio ex quatuor illis, quos delineauiuimus, conuenire videtur.

Pyrene ab oliuæ nucleo dicta eſt,

Digitized by Google

huic aliquando ineſſe piſcium ſpinæ videtur, Plinius. Et alibi: Tecolithos oleæ nucleo ſimilis videtur: neque eſt gemmę honos, ſed lingentium calculos frangit pellitq́;.

L. Laurum Græcia daphnen nuncupat. Daphniam (lapidem) zoroaſtres morbis comitialibꝰ demonſtrat, Plinius. Ad Lutetias Pariſiorum ſaxum nuper diuiſum coronæ laureæ ſpeciem reddidit, Agricola.

M. Mali Cydonij ferè odore lapis quidam albus & friabilis eſt, is Cydonites dici poteſt, ex Oſteocollis, qui oſsium hominis ſimilitudine naſcuntur, eademq́; fracta ferruminant. Indicam (gemmã, quæ politur) mali colore aut olei viridis, oẽs improbant, Plinius: qui & Meliten à mali colore dictum commemorat. ſolent autem Græci malum cum ſimpliciter nominant, Cydonium intelligere. ❧ Meſpileus lapis, inquit Cardanus, ſeu Pentexoche, apud me eſt, colore fuſco,

Meſpileus.

durus,

durus,magnitudine meſpili,quod in lapidẽ tranſiſſe dicas. Vbi ſtriæ è vertice deſcendunt,lapis buxeo eſt colo re,quòd partes illæ attritæ ſint. Vires autem ei ineſſe exiſtimat nõ leues,ſed nobis ignotas. Ego ſi ex characterib. naturæ vires ſunt æſtimandæ, vt quidam putant, Meſpileũ lapidem plus ad Meſpilos arbores fortè tutandas q̃ ad homines virium habere coniecerim. ¶ Myrrhites myrrhæ colorẽ habet,faciemq́ minimæ gemmæ, vnguẽti odorẽ:attrita,etiam nardi, Plinius: Eidem Aromatitis in Arabia naſcit̃, & in Aegypto circa Piſas, vbiq; lapidoſa,& myrrhæ coloris & odoris,ob hoc reginis frequentata. Antachates etiam cum vritur, myrrham ei redolet. Antipathes lacti immiſſa ſi in eo coquatur, facit id myrrhæ ſimile, Idem. ¶ Myrſinites melleum colorẽ habet,myrti odorem,Plinius. Myrrhites.

N. Nucis iuglandis magnitudine, ſpecie vitri, naſcitur gemma Belus di-

Digitized by Google

cta in Arbelis, Plinius.

O. Olea ex fuluo, nigro, viridi ac candido colore lapis, Camillus Leonardus ſine authore. ¶ Oliuæ nucleo ſimilem Pyrenen & Eureon, & Tecolithon, ſuprà in Iudaico diximus, litera G. ¶ Indicam (gemmam) Mali colore aut olei viridis, omnes improbant, Plinius.

Oſtryæ arboris (quam nos Carpinũ Latinè vocamus, Germanicè Hagenbůch) lignum in duriſsimam ſiliceamq́ꝫ cotem mutatum iuxta Francofurtum ad Mœnum fl. & in Vvirtenbergenſi Sueuia, à ſe viſum Val. Cordus prodidit.

P. Palmati lapides circa Mundam in Hiſpania, vbi Cæſar dictator Pompeium vicit, reperiũtur, idq́ꝫ quoties fregeris, Plinius. Videntur quidem tales eſſe illi, quales Trochitæ & Aſteriæ à nobis exhibiti, hoc eſt, plures inuicem connexi, ſimiles inter ſe omnes: Palmati verò vnde dicantur, non

faci-

Digitized by Google

facilè dixerim. De Ceruis palmatis in Hiſtoria animalium diximus. ❧Phœnicites lapis dictus eſt à ſimilitudine balani, id eſt, fructus palmæ arboris, quam phœnicē Græci vocant. ❧Circos piris ſimilis eſt, Plinius.

Q. Dryn Græci nominant Quercum, vnde Dryitæ lapidi nomē. Dryites trūcis arborum ſimilis eſt, & ligni modo ardet, Plinius. Etſi autē lignū quernum ſub terra, vt & alia multa, tēporis longinquitate aut alia vi, lapideſcere poteſt, & Dryites appellari: videtur tamen alius eſſe Plinij Dryites, nō ex ligno mutatus, ſed à natura ſic factus. Ex eo quidem quòd ligni modo ardet, bituminis nonnihil ei miſceri vel totum eſſe bituminoſum & Gagatæ cognatum coniecerim. Pyriten è querno ligno Io. Kentmanus habet: qui Dryiten etiam ad me miſit, titionis ſpecie, nigrum, friabilem, guſtu atramentoſum: fumo, ſi vras, ſulfureo.

Quernum lignum aquis merſum,

nigreſcit dureſcitq́; adeò vt pro Ebe-
no quidam venditent.

T. Thuris Libanochrus ſimilitu-
dinem (colorem) oſtendit, ſed ſuccū
mellis, Plinius.

V. Dionyſias nigra ac dura, mi-
xtis rubentibus maculis: ex aquâ trita
ſaporem vini facit, & ebrietati reſiſte-
re putatur, Plinius.

DE CORALLIO.
Caput X.


Corallium maris planta ex ſucco
lapideſcēte, ſicut & Antipathes.
Hic enim dureſcit cum ex profundo
maris extracta planta à circunfuſo aë-
re, veluti candēs ferrum in aquam im-
merſum, temperatur & ſolideſcit, A-
gricola. Idem ſub finē libri 4. de nat.
foſsilium: Theophraſtus (inquit) Cu-
rallium vocat: alij Lithodendron par-
tim ex eo quòd in lapidem conuerta-
tur, partim quòd arbuſcula ſit. quā-
obrem & Dendrite vocatum, [*à Plinio*

Lithoden-dron.

Dendritis.

Den-

Dendritis fœminino genere,] nam, vt res i-
pſa demóſtrat, frutex eſt ſub aqua ma
rina, viridis, baccas habẽs ſimiles cor-
nis natiuis ſpecie & magnitudine, etc.
Reliqua breuitatis cauſa omitto. Gor
gonia nihil aliud eſt q̃ Corallium. no Gorgonia



Digitized by Google

minis cauſa, quod in duritiã lapidis mutatur, Plinius. Iconem eius, qualẽ habui, ſuperiùs adieci: non quòd omnes eandem omnino formã præ ſe ferant. ea enim in diuerſis variat. Radice caret, ſed vt aliæ pleræque marinæ plantæ ſaxis patellarum inſtar adhæret. Rubrum, album & nigrum inuenitur: in ſingulis autem coloribus rurſus multæ ſunt differentiæ. Eſt quod albicat foris, intus rubet. Sexu etiam diſtinguũtur. Rubri mas rubentior, fœmina dilutior eſt. Ad hominis ꝓceritatem aliquãdo accedere audio.



1. Gypſum qd' coralloides cognominari poteſt. eſt enim Corallio albo ꝑſimile, ramoſa ſeu fruticãte ſpecie.


2. Corallij ſpe-

cies, quæ maior vel verrucoſa nominari poteſt, quam Petrus Coldebergus pharmacopola Antuerpia ad me pictum miſit, & in epiſtola deſcripſit: Corallium tale (inquit) habeo, ea qua vides magnitudine, [*quatuor ferè palmorum minorum, etſi partes duæ ſupremæ mutilatæ ſunt: latitudo in trunco picto, quæ nimirum circumferentiæ dimidium ferè implet, palmus ferè, vbi latißima eſt: colore roſeo propè, hoc eſt, in albo modicè rubente:*] color intus, vt in fracturis apparet, cinereus. Durities & pondus, Corallij rubri. Parte infima rupi adhæſit. Superficies tota lineis inæqualibus ſcatet, quæ in huius picturæ ramo infimo tantùm, qui læuo ſpectantis lateri opponitur, aliqua ex parte exprimuntur. Vndiq; etiam frequentes habet verrucas: ex quibus nos pauculas expreſsimus: in ijs ſtigmata quæ vides, pori ſunt aperti. Hæ verrucæ veſiculas, cum in mari ſunt habent, quas Congri ſugunt. In mari Hiſpanico piſcatorum retibus

Digitized by Google

adhæſit dum piſcarentur Congros. Audio & maiores multò huius generis plãtas reperiri. Hæc Coldebergus.

3. Pſeudocorallium album, videtur hoc, aut fungoſum nominari poſſe. Sunt autem ceu cylindri quidam breues, inæquales, tuberoſi, & veluti leuiter articulati, fragiles, pennæ anſerinæ ferè craſsitie. Conſtant autem ambiente cruſta albida, & parte interiore tota fungoſa ac friabili, plena radiolis exilibus & crebris, qui à communi centro incipiunt, & in cruſtam deſinunt. Subſtantia aſperiuſcula, & dentifricijs apta videtur. de qua dixeris quod de Halosachne & Alcyonio Ariſtoteles: ferro licet acuto ſecãti non citò cedere, citò autẽ, ſi quis ſimul digitis terat, cõfriari. Sapor manifeſtus ei nul-



ei nullus. Pictum ſuperiùs poſitum, Corallium album verum eſt, (aut eſſe putat apud pharmacopolas paſsim,) quod à rubro vero ſubſtantia nō differt, ſed colore tantùm: etſi quidā Corallium album non reperiri putant, aut ſi reperiatur, inutile eſſe. Polo in Hiſpania vulgò vocari audio, id qđ paſsim apud pharmacopolas pro Corallio albo receptum eſt. inueniri autem in Catalania Hiſpaniæ à piſcantibus Corallium rubrum, & in litus abiectum, à prætereuntibus legi pro Corallio albo. libram eius drachmis argenteis ſeptem vel octo haberi poſſe, cū Corallij albi veri vel vna vncia eo p̃cio emēda ſit. Polo dictū carere cortice, & creſcere in fundo maris: vera Corallia in ſaxis deorſum tendentia naſci. Polo autem per fundum dilatari, in ijſdem quidem locis vbi Corallia creſcunt. Hæc an ita ſe habeant, conſiderandum. Corallium quidem albū pharmacopoliorum, exiguus quidā

Polo.

Digitized by Google

trunculus eſſe videtur, ceu Stelechites marinus, meatibus per totum cauis, (cum verú fortaſsis ſolidum ſit,) ſolidiſsimum læuiſsimumq́ue, cum ramis paucis ac breuibus ceu mutilis.

Antipathes. Antipathes Plinius gemmam nigrá non tranſlucentem eſſe ſcribit. Dioſcorides Corallio gentilem facit, ramoſiorem, &c. Hodie rariſsimum eſt. audio tamen viros quoſdam rerũ naturalium ſtudio deditos id habere, vt Peucerũ Vitebergæ, Aldrouandũ Bononiæ cum ſuo cortice ſaxeo. Nigrum verum in Gallicia Hiſpaniæ inueniri audio: ſpurium è Barbaria vel Aphrica mitti, Saualia vulgò dictum, de quo mox ſequenti Capite dicam, & exhibebo iconem. Corallij nigri nomen Ebeno foſsili aliquos tribuere, ſuprà dictum eſt.

Corallis. Corallis minio ſimilis eſt, gignitúrque in India & Syene, Plinius. Coralloachates. Coralloachates ſimilis eſt Corallo aureis guttis diſtinctæ, Idem. Alibi verò

guttis

guttis aureis Sapphiri modo eam diſtinctã eſſe tradit. qualis, inquit, copioſiſsima eſt in Creta, ſacra appellata.


Thyrſitis Corallio ſimilis eſt, Camillus Leonardus ſine authore.

Alcyonij genus aliqui putant eſſe, ſpongioſum aut potiùs fiſtuloſum quiddam, corallij rubri colore. paralleli enim & recti ſunt meatus, ſeu canaliculi, inanes, internodijs quibuſdam diſtincti: quæ dum inter ſe coaleſcunt, ſuperficies aliquot per interualla conſtituunt. Dentibus facilè fragile hoc genus eſt, inſipidum ferè, ſubſalſum. Hoc quidam puto Alcyonium petræum vocant. lapidea enim ei ſubſtantia eſt. Petris quidem an innaſcatur haud ſcio.

DE ALIIS QVIBVSDAM plantis Marinis quæ lapideſcunt. Caput XI.

INter plantas quæ in mari, aut maritimis locis, ſaxis, teſtis, aut alijs, na-

ſcẽntes lapideſcũt, nobiliſsimum eſt Corallium. de quo & cognatis ei, ꝓ-ximè dictum eſt. ignobiliores verò ac minùs notæ aliæ quædam ſunt, de q̃-bus deinceps paucis agemus. ¶ De Buxo & Quercu quæ glebis bitumi-noſis adnaſcuntur, vide ſuprà mox à Capitis noni principio. Corallina, Iuncus, Laurus, Olea, Phycites, Thy-mum, Capite 7. memorantur.



1. *Lithophyton marinum, cũ ſpongiola enaſcente ab eadẽ radice.*

2. *Lapis ſpõgiæ cũ folio herbæ cuiuſdam marinæ per cauũ eius trãſeũte.*

Arbuſculam hanc marinã à Io. Bauhino F. medico

Digitized by Google

medico diligentiſsimo accepi: vide-
ram autem priùs & collegeram ſimi-
les in mediterranei maris Galliæ litto
re. Species eius duæ ſunt: quæ hîc re-
præſentatur, omni ex parte albicat ſo
ris, hoc eſt, cruſta quadã è limo: quæ
ad lapideam ferè, ſed molliorem & a-
renaceam, ſi dentibus mandas, friabi-
lemq́ ſubſtantiam accedit. Alterius
cruſta in quibuſdam partibus, rubri
ſeu purpurei coloris eſt: vnde nonnul
li Corallijs cognatam eſſe plantam ſu
ſpicati ſunt. Conſtãt autem partes il-
læ purpureæ cruſta multò craſsiore,
& tuberoſa. Vtraq́ lignum intus ni-
gricans, duriſsimum, & ſine medulla
habet, Cytiſi ferè ligno ſimile. Cruſta
aſpectu aſpera eſt, vt Piceæ rami, cui
folia deciderunt, relictis veſtigijs. Ve-
ſtigia hæc in priori ſpecie prominent
modicè ab omni ramulorum parte,
rotunda cum puncto cauo ceu cen-
tro, acetabulis minimis ſimilia: ineſt
autem ſingulis minimũ quid ruffum,

Digitized by Google


ceu vermiculus multipes. In altera, ſi bene memini, caua ſunt, ſiue natura, ſiue quod defluxêre. Cortex non alius præter cruſtam quam dixi. Ligni duritiem ſi ſpectes, Quercum marinam dixeris aut Ebenum, Cytiſúm ve: ſi aſpera virgarum veſtigia, Piceam aut Ericam marinam. Huius generis arbuſculæ, aliæ ſuas virgas rectà in ſublime tendunt: aliæ in tranſuerſum etiã. Ponemus autẽ alias quoq; icones in Hiſtoria Stirpium. Hæc dum ſcriberem, epiſtolam ab amico accipio, de hac ipſa planta in hæc verba ad me ſcribẽtis: Fruticem hunc marinum in litore Baiano, incolæ vocant Parmã ſua lingua: quem cum res herbariæ peritiſsimis viris oſtendiſſem, alij aliter, Corallium imperfectum, Adarcen, Antipathes, Autolides Ariſtotelis appellabant. Sic ille. Sed cum aliæ etiam ſimiles multæ huiuſmodi plantæ reperiantur, quæ licet in ſuperficie lapideſcere videantur, intus tamen ligneam

Parma.

aut

aut herbaceam naturam perpetuò retinent, vel omnes illæ Corallio (cuius & Antipathes ſpecies eſt) cognatæ e-runt, quod non probo: vel potiùs ſua cuiuſq; generis, forma fuerit, & ſingulæ facultatibus inter ſe differentes, cruſta ſingulis è limo aliáve cauſa externa, innaſcente. Corticem an huiuſmodi arbuſculæ initio habeant, qui cruſtæ poſtea concorporetur & ab ea corrumpatur, quærendum eſt diligẽtiús. Cæterùm Autolides Ariſtotelis quiſquis nominauit, ſomniaſſe mihi videtur. ego in eius libris tale nihil legiſſe memini. In altero quidẽ ex duobus de plantis, qui ei adſcribuntur libris, vbi de ſtirpibus ſaxorum incolis agit, his verbis: [τὸ φυτὸν τὸ ἐν τοῖς λίθοις τοῖς στεῤῥοῖς γινόμενον, μακρῷ χρόνῳ συμβαίνει, &c.] nec huius nec alterius ſtirpis nomen ponit, ſed in genere tantùm de ijs loquitur. Poſtremò Adarce, planta non eſt, ſed plantis, vt arundinibus & algis lacuum (marinorũ) ad-

hæret: cruſtæ potiùs plantarum, de q̃bus nobis ſermo eſt, quàm ipſis cognata. Theophraſtus Hiſtoriæ lib. 4. cap. 7. Ficum marinam ait carere folijs, non magnam eſſe, eiusq́ꝫ cortici colorem puniceum. Hæc igitur videri poteſt, quam exhibuimus, ſecunda præſertim ſpecies: aut illi ſimillima: ſicut & illa cuius è lapide enaſcentis iconem hîc ſubijcimus.




1. *Lapis è quo planta marina ſuperiori eadem fortè, aut cognata enaſcitur, aut innaſcitur potiùs, baſi in latum ſe ſpargẽte radicis loco. Prodit ex eodem & muſcus quidam.* 1

2. *Oſtrei marini cuiuſdam teſta, eidẽ lapidi adnata*

adnata, vel quaſi agglutinata.

3. *Oſtrei priuatim dicti teſta lapidea è Pruſſia. Lithoſtreum dixerim.*



Pſeudocorallium nigrũ hanc plantam dixeris. intus enim lignum trãſit per omnes partes. foris ſubſtantia ferè lapidea eſt, craſſa & tenaciſsimè in Pſeudocorallium nigrum.

Digitized by Google

nata, non ita mollis ac friabilis vt precedentium. Cutem extimã ſi adimas, & expolias, nigro colore pulchrè nitebit. Accepi à rhopopola quodam, qui ex Italia attulit. is aiebat Coralliũ nigrum aliud verum eſſe: aliud verò ſpurium & ὑπόξυλον, hoc ipſum ſcilicet: idq́; è Barbaria ſiue Africa adferri
Saualia. Saualia nomine. adhærere ſaxis in mari. extrahi autẽ è profundo ad orgyias ferè ſexaginta. Interior pars, vt dixi, lignum eſt: inde partim cornea quædã & tenacior cruſta, partim lapidea, hoc eſt durior fragiliorq́;, non tamen friabilis, circumnaſcitur. Color cutis è fuſco, luteo & ſubuiridi cõſtat. Sed cruſta illa craſſa & nigredine alióve colore ſplendens, ſi polias, in minoribus tantùm ramis eſt, qui ſuperiores ſunt & prominent, minimo intus ligno. Craſsiores partes pleræq́; (ni fallor, aut inferiores ſaltẽ) cute tantùm teguntur: quam ſi radas, marinus quidam & piſcoſus odor ſentitur: & mox

lignum

lignum ſubeſt. quod ipſum quoq; po
litum nitet. Planta quam habeo, quin
que ferè palmos longa eſt. Radix ſeu
baſis potiùs plana ferè lataq; eſt, ſed
inæqualis, & aſpera tofaceâ quadam
ſubſtantia & cauernoſa, lata digitos
quinq;, longa ſeptem. Truncus & ꝓ-
cedentes ab eo partes quædam latæ
ſunt, & in ramos vt vola ſeu palma
manus in digitos finduntur: vnde Pal
ma marina non immeritò nominari
poſſet. Alia quidem videtur, ſed co-
gnata Palma marina Theophraſti (Hi
ſtoriæ 4.7. vbi de alijs etiam marinis
plantis agit) cui ab intensè rubro ſeu
puniceo colore nomen Palmæ com-
municatum videtur, potiùs quàm à fi
gura: etſi ea quoq; vt alia pleraq; (prę-
ter colorem & folia) conuenire ei vi-
dentur. Caulis medius, inquit, tranſit
per totũ. pelagica eſt: caudice admo-
dum breui: virgis rectis, quæ ab infe-
riore parte ſurſum tendunt, nõ in am
bitu, ſed velut in latitudinẽ, &c. Hoc

Digitized by Google

notatu dignum eſt hac in plāta, quod ſimiliter vt in Corallio rami aliqui, veluti ex aduerſo inuicem occurrētes in vnum coaleſcunt. Suſpicatus ſum aliquando Agricolam hanc plantam pro Ebeno foſsili deſcripſiſſe. vide ſupra Capite 9.

DE LAPIDIBVS, QVI AB *homine aut quadrupede aliquo denominantur, aut in eis reperiuntur. Cap. XII. quod in partes tres diuiſimus.*

PARS PRIMA, DE LA- *pidibus qui ab homine denominantur, aut in eo naſcuntur.*

ANdrodamas argēti nitorem habet vt Adamas, &c. Plinius.

De calculis qui in corpore humano naſcuntur, librum admirabilē mihi dicatum Io. Kentmanus edidit. De lapidum in animalibus generatione lege Alexandrum Benedictum, cap. 846.

Digitized by Google

846.vbi de calculis. Lapides aliquot à membris hominum, & ab animalibus nominatos recenſet Plinius libro 37.cap.11.

Partium corporis humani aliæ ſimplices ſunt,aliæ cōpoſitæ. Nos à prioribus ordiemur, inter quas ſunt pili, caro,oſſa,vngues. Capillorum figuram exprimunt, Amiantus, Alumen, Argentum rude purum, Agricola. Vide plura de hiſce Cap.1. in linearum mentione. Capilli.

Argenti fruticatione ſua pilos criſpos & cincinnos referentis,figuram hîc appoſui.



Veneris crines nigerrimi nitoris continent in ſe ſpeciē ruffi crinis,Plinius. Polythrix in viridi capil

Veneris crines.

Polythri

latur, ſed (lego, & ad) defluuia comarum facere dicitur, Plinius. Sic & Polytrichum, id eſt, Adiantum: quod & Veneris capillos vulgò vocant: quod herba quidem eſt, ſed in lapidibus & parietibus naſcitur. Coliculos autem habet nigros ac nitentes, capillis ſimiles: vnde Ebenotrichon, Terræ capillos & Cincinnalem vocāt aliqui. Hāc herbam ſi fortè Plinius pro lapide accepit, & Polytricha, & Veneris crines appellauit: contrarium fecit quàm in Leucographide, quæ cum lapis ſit, ab ipſo inter herbas recenſetur. Boſtry-

Boſtrychites.

chiten Zoroaſtres vocat, crinibus mulierum ſimiliorem, Plinius: malim, ſimilem. nam Botryitis, quæ præcedit, non capillis ſed vuis ſimilis eſt. Pyriten ſunt qui & Sideriten vocitent, & boſtrychiten, Hermolaus Barb. Puto autem pyritæ ſpeciem inueniri, quæ referat pilos: aut Βοστρύχους, hoc eſt, cirrhos, concinnos, vel plexos mulierū crines. Ad Boſtrychitæ nomen accedit

dit Borſycites, neſcio quis aut vnde dictus: de quo Plinius etiam dubitaſſe videtur: Ratio nominũ, inquit, non eſt in Borſycite, in nigro ramoſa, candidis aut ſanguineis frondibus. Idémne Sycites ſit, à fico dictus, quęrendũ. Borſycites.

In ſanguine craſſam aliquando ſaburrã deprehendimus, Scaliger. Sardam vel Sardium gemmã, vulgò Carneolam vocant, (aliqui non rectè Corneolam,) à viuo & roſeo carnis humanæ colore. Carneola. Sarcophagus, qui & Aſſius, carnes & cadauera hominũ exedit: à quo fortè Germanicum nomen Sarch factum eſt. Onyx Græcis eſt Onyx. vnguis, vnde & gemmæ nomẽ. In Onyche Sudines dicit eſſe candorẽ vnguis humani ſimilitudine, Plinius. Taſẽ Aldenburgi in Miſnia inueniri ſcribit Vale. Cordus. Murrheus Onyx, Propertius. Cadmia quædam onychitis cognominatur apud Plinium.

De Enoſteis & Oſteocollis, in ſecũda huius capitis parte dicam.


Pyrrhus, qui aduerſus Romanos bellum geſsit, habuiſſe traditur Achaten, in qua xj. Muſæ & Apollo citharam tenens ſpectarentur, nó arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, vt Muſis quoq; ſingulis ſua redderentur inſignia, Plinius. Scaliger Exercitatione 117. contra Cardanum negantem hæc ita caſu contigiſſe: Cur (inquit) aut Apollinem aut Muſas in Achate pictas credere voluiſti? Maculas in lapidibus multas cóſpeximus: quibus vidi potétiores pro ſuo quenque ſupercilio varia imponere nomina. Marmoris fruſtum ſectum ad lateritium parietem incruſtandum, edidit effigiem barbati ſenis: quã ad Paulum primum Eremitam vno conſenſu omnes referebant. Sanè pingunt eiuſmodi, ſtantem, palmacea amictum ſtorea. Eum lapidem Leonardus Craſſus ciuis noſter afferendum curauit ad Maximilianum, cum eſſemus Ratisbonæ. Hæc ille. In Pario marmore mi-

re mirabile proditur, gleba lapidis v-
nius cuneis diuidentium ſoluta, ima-
ginem Sileni intus extitiſſe, Plinius. In
Sagari fluuio Phrygiæ gignitur lapis
Autoglyphus dictus, ab eo quòd na- Αὐτόγλυ-
tiua ei Matris deûm imago inſit, Plu- φος.
tarchus de fluuijs. Et rurſus: In Ta-
nai fluuio Scythiæ, naſcitur lapis Cry
ſtallo ſimilis, humana effigie, corona
tus, &c. Conſtantinopoli in Sapien
tiæ templo ſunt duæ candidi marmo
ris diſſecti cruſtæ: quarum vtriuſque
maculæ nonnihil cinerei coloris, ita
ſponte naturę diſcurrunt, vt totam di
ui Ioãnis Baptiſtæ, veſtiti tergore Ca-
meli, imaginem, repræſentent, præter
alterum pedem quem non ſatis expri
munt, Agricola. Cercopes apud Eu
ſtathiũ alicubi ἀπολιθωθέντας legimus,
id eſt, in lapides conuerſos: poëtæ in
Simias mutatos fabulantur: vt Oui-
dius Nioben aliosq́ Gorgonei capi-
tis aſpectu in ſaxa diriguiſſe: & in Sa-
cris vxorem Loth in ſtatuam Salis.

Digitized by Google

Callimus.

Callimo inuento in Geode, miræ imagines impreſſæ fuerunt: quarum Ge. Fabricius & figurã in annulo, quę hîc exprimitur, & deſcriptionem ad nos miſit.



Callimus hic, inquit, ferè lupini eſt magnitudine, forma eius rotunda & oblonga, corpus partim pellucidum, vt cryſtalli: partim nebuloſum, vt Sardæ, aut gemmæ quam vocant huiæ. Inuentus lapillus eſt in Geode grandi, qui incluſos ſuores varios habuit, ſed in medio iacuit ſeparatus: ita vt argentum capillarę aut in lapide, aut in pyrite inuenitur, quaſi impoſitum ſit, & pars corporis integri non ſit. Igitur & forma, & trãſluciditas, & locus παραδόξως per ſe admirationem mo-
uent:

uent: ſed multò magis ſunt impreſſæ
à natura imagines admirandæ. ex vna
enim parte lapillus, in latus ſiniſtrum
verſus, duas refert facies, & tertiæ ve-
luti vmbram: primam monacho ſimi-
lem cum cucullo, alteram viro gran-
di imberbi, tertia vt vmbra nõ cogno
ſcitur. Verſus in latùs dexterum, vnã
tantum faciem habet priori non diſsi
milem, quæ cucullata eſt: quâ vultum
conuertit, ea pars lapilli pellucet in-
ſtar lunæ gibboſæ, ſeu (vt Lactantius)
concauæ, quæ Græcis ἀμφίκυρτος di-
citur. Curaui autem includendum e-
iuſmodi fundæ, quæ in annuli ſupre-
mo inuerti poteſt, ita vt vtrinq; conſi
derari poſsint inſculptæ naturæ artifi
cio imagines. Geor. Agricolæ deſcri-
ptio, in lib. 5. foſsilium editionis po-
ſterioris, paulò eſt alia. Verùm & ipſa
conuerſo alijs modis lapillo, à vero a-
liena planè non appâret. Hanc in exi-
guo corpore varietatem, nullus arti-
fex ſatis expreſſerit. Hæc ille.

Corſoides. Corſoides caniciei hominis ſimilis eſt, Plinius. Κόρσῃ & κόῤῥη Græcis caput ſignificat, vnde κορσοειδὴς, capiti ſimilis. Idem fuerit Κορσιόεις ſiue Corſiûs Orphei, quem contra morſus & ictus venenatos, ſcorpij præſertim commendat:

†Orion. οὐδ᾽ † ὄγε κορσιόωντα λίθον κλύεν, οὕνεκα μιχθεὶς
Δειμὸς ἐν σκορόδλοιο καρήατι, ῥεῖα τέρα
Ἠπεδανῶν ὤκιστα βελέμνων σκορπίου ἔργα.

Coniecerim autem Achatæ cognatum eſſe. in eo enim variæ imagines reperiri ſolent: & ſpecies eius quædam contra araneorum & ſcorpionũ ictus laudatur. Si cui tamen non capitis figura, ſed color & canicies in Corſoide eſſe videtur, idem eſto cum Polia ſequente. Polia. Polia [πολιὰ, ſubaudi λίθος] caniciem quandam Sparti indicat: eandem duriorem, nigra Spartopolios, Plinius libro 37. cap. 11. mihi in verbis illis, eandem duriorem, locus eſt ſuſpectus. Agricola tum Poliã, tũ Spartopolios.

Spar-

Spartopolion pro eodem lapide ac-
cipit, & Amiantum interpretatur.

Ex ora palpebræ, vbi hordeolorũ collectiones fiunt, lapillum eximi iuſſimus, tritico figura, colore, magnitudine parẽ, duritia ſuperiorẽ, Scaliger.

Beli oculus albicans, pupillam pingit nigram, è medio aureo fulgore lucentem. Hæc propter ſuam ſpeciem ſacratiſsimo Aſſyriorum deo dicãt, Plinius. Agricola lib. 6. de nat. foſsilium: Iuniores (inquit) corrupto vocabulo, Belloculum (Beloſel) vocant: etſi ipſi ita ſe hanc gemmam appellare aiunt, quòd pulchra ſit, & aliquam ad oculũ ſimilitudinẽ habeat. Adadunephros, (νεφρὸς renem ſignificat,) eiuſdem oculus dicitur. Deus & hic colitur Syris, Plinius. poteſt autem lapis idem partim renis, partim oculi ſimilitudinem præ ſe ferre, rotunditate figuræ præſertim. Leucophthalmos oculi humani ſpeciem exprimit, Agricola. At Plinius li. 37. cap. II. Leucoph-

Beli ocul⁹.

Adadunephros.

Leucophthalmus.

thalmus,inquit,rutila aliâs, oculi ſpeciem candidam nigramq́; cótinet. Et mox ſequēti capite: Lycophthalmos quatuor eſt colorum,ex rutilo & ſanguineo in medio nigrū candido cingitur, vt Luporum oculi,illis per omnia ſimilis. Vnde apparet eandem eſſe gemmam,& præcedenti quoq́; capite, Lycophthalmon, non Leucophthalmon legi oportere, deceptumq́; Agricolam qui humani oculi ſimilitudinem ei tribuit. Triophthalmos verò Plinio dicta Ionace naſcitur, & tres hominis ſimul oculos exprimit.

Lycophthalmus.

Triophthalmos.

Auriculæ ſimilitudinem exprimūt lapides interdū gēmis ſimiles, Agric.

Vidi ego lapidem generatum ſub lingua cuiuſdam viri,prohibentem ei locutionem,& eo remoto,redijt ei loquela,Abynzoar.

In pulmonibus quæſtoris Albretici,lapides aliquot duriſsimos & ęquabili ſuperficie, argillaceo colore deprehendimus,Scaliger. Nuper amicus

cus quidam meus, medicus doctus in
Sueuia, his verbis ad me ſcripſit: Lapis.
(quem mitto) proximè ex thorace cu
iuſdam monialis cum maxima tuſsi
prodijt per interualla, ſemel vel bis
in anno, ſanguinis reiectione ex reſpi
ratorijs partibus cum tuſsi erumpen
te. laborat, ambulat hinc inde, & per-
egrè proficiſcitur. colorata & elegãs
eſt, nec de vllis doloribus conquerit̃,
niſi quòd anhelitus fœteat, & difficul
tatem ſpirandi ſentiat. tuſsis rara, ſic-
ca. phthiſim vix effugiet. Matthiolus
& alter medicus in Epiſtolis adſerunt
nullum ex vetuſtioribus authoribus
de lapillis hepatis ſcripſiſſe. Imò & de
hepatis & pulmonis quoq; calculis,
Nicolus diſſerit: quamuis in animali-
bus mactatis idem etiam conſpiciat̃.

Monſpeſſuli in diſſectione iuuenis
cuiuſdam, plurimos lapides pulmo-
num ſubſtantiæ infixos fuiſſe animad
uerſum eſt.

De calculis quibuſdã corporis hu-

Digitized by Google

mani, ex thorace, hepate, inteſtinis, felle, deq; tophis in articulis & inteſtinis, lege Vuierum De præſtigijs libri 3. cap. 11. Item Io. Langium in Epiſtolis medicinalibus Tomo 2. epiſt. 57. de calculis genitis in pulmone, folliculo fellis, renibus & veſica. Salfeldæ in Thuringijs ex puteo vigintiduas orgyias alto effoſſus eſt lapis, qui ſolidi pectoris ſpeciem præ ſe ferebat, longus ſeſquipedem, latus palmos tres. craſſus anteriori parte, vbi coſtæ terminabantur, digitos ſex. ſed ſpina vacua erat ab eo, quod medullam exprimeret, Agricola.

In ventriculo hominis calculos rotundos, duros & albos colore inuentos Norimbergę, amicus quidã meus anatomes peritus mihi retulit.

In iecore & aliorũ olim, & poſtremò Senatoris inuentos lapides atros: qui in aquam iniecti intumuêre: & in remigis hepate lapidem duriſsimum inuentum, carnei coloris diluti, Iul.

Cæſar


Cæſar Scaliger refert. Auguſtinus Barbadicus patritius Venetus, cũ incerto morbo obijſſet, in eius diſſecti iecore inuẽtus eſt lapis iuxta fellis veſicã, grandior oliuæ nucleo: &, quod magis mirum eſt, viridis ad nigredinẽ declinans: qui colos durioribus lapidibus ſolùm ineſſe ſolet, Cardanus in Varijs. De lapidibus in iecore & fellis meatu, lege in Epiſtolis Matthioli 323. 324. per totam illam paginam, & ſequentem.

Deſperata ab omnibus valetudinẽ ſenem, ſummo dolore inteſtinorum, cum videremus carere febre, neq; tumorem extare quempiam: quotidianis deiectionibus aluum exonerare: pondus in ipſis inteſtinis ſentire, fatali quadam coniectura lapidem ſubeſſe rati, enemata ex Bdellio & oleo noſtro Telino, croceo malagmate, butyro, certo decocto infundi iuſsimus. Tertio clyſmate magna vis lapidum educta eſt, Scaliger. In inteſtinis ali-

quando retinentur fæces omnino ꝓ-
pter craſsitiem & duritiē ſuæ ſubſtan-
tiæ, in tantum quòd efficiuntur quaſi
lapides, Abynzoar.

Adadu nephros (hoc eſt, ren) dictꝰ
lapis: vide ſuprà in ijs qui ab oculo
denominantur.

Subſequens figura tres lapides ex-
hibet: primum ex veſica hominis ex-
tractum, qualis ac quantus ferè appa
ret, aſperum, racemi quadam ſpecie.
Secundum, itidem è veſica, minoré,
læuem. Tertium è renibus, qué ad-
natum fuiſſe apparet.



Lapides è veſica deprehendi mul-
tos, ceparum modo lamellis incruſta
tos, inferiore ſubinde coloris diuer-
ſi. Duo

ſi: Duo præter haſce genera. Vtrunq; apud me eſt. Ex Bouillis oppidanus noſtris adiutus medicamentis eminxit vitreum, ſanè ex illa nobili Praxagoræ pituita: dum mingeretur, albuminis mollitie, emiſſum nitri duritia ac ſplendore. Senatoris filius eiecit, pultis modo multos, ac maximos: q; aëris cōtactu poſtea in gypſeam tum ſpeciem tum firmitatem concreuêre. Hic quoq; nunc rectè valet, Scaliger.

Toforum & capillorum qui concreſcunt in renibus, par eſt generationis modus, Galenus Commēt. 1. in lib. 6. Epidem. cap. 5. In renibus Ferdinandi Imperatoris defuncti, calculos multos reperunt medici, ſicut & in veſica: & dum viueret interdum ſupra triginta, ſine vllo dolore, cum exiguo ardore emingebat. Non tamen hoc morbo conſumptus obijt, ſed maioribus cauſis. nam dum medici poſtridie à morte inteſtina atq; viſcera eximerent, omētum aliqua ex parte cor-

Digitized by Google

ruptum, ac ſine omni adipe, ſicut & inteſtina & ſtomachum deprehenderũt: & pulmonem magna ex parte putridum ac grauiter fœtentem, cum pituita & ſanie ita membranis pectoris in ſiniſtro latere adhærente, vt difficulter auelli poſſent.

Monſpelij in cadaueris cuiuſdam diſſectione, teſticuli lapillis pleni inuenti ſunt.

Diphris (*lego Diphyes, διφυὴς, cum Agricola, à ſexu duplici*) duplex, cãdida ac nigra, mas ac fœmina, genitale vtriuſque ſexus diſtinguente linea, Plinius.

In diœceſi Treuerenſi, cum cemento pro reparandis ſtructuris, quæ vitium fecerant, arcis Erebreiteſteinenſis eruerentur, inuenti ſunt lapides nigricantes & duri, qui muliebre pudẽdum exprimerent, Agricola. Cardanus lapidi huic Hyſterapetra nomen finxit, non rectè: neque enim ὑςέρα, τὸ γυναικεῖον μόριον ſignificat. addit & Mariæburgi inueniri.

Ratio

Ratio nominum nó conſtat in Borſycite,&c: nec in Gemite, velut in petra candidis manibus inter ſe cóplexis, Plinius. Ego aliquando conieci Plinium pro Gemite, legere debuiſſe Gamite, vt ratio nominis & origo cóſtaret à nuptijs, quas Græci *γάμον* vocant: in quibus ſponſi & ſponſæ manus, tanq̃ fidẽ inuicẽ dãtiũ, copulant. γαμῖτις.

Idæi dactyli in Creta ferreo colore pollicem humanum exprimunt, Plinius. Vide ſuprà Cap.5. Pyritæ quidã digitis ſimiles inueniuntur.

Ex podagricorũ iuncturis, muria, & caſeo vetuſto, & Pyritæ vſti ſcobe, rupta cute, plurimos lapides extraximus, cãdore ſteatis, duritia inuictos, Scaliger.

Myrmecias nigra habet eminentias ſimiles verrucis, Plinius: in quo nó probo, quòd terminationem Græcorum in ias, fœmininam facit, quaſi gẽmam ſubaudiat. cum Græci ſimpliciter λίθον ſubaudire ſoleant, genere ma Myrmecias.

ſculino inflexione prima. Sunt qui à ſimilitudine quadam ſtrumarum in gutture hominis Kropffſtein, id eſt, Strumei lapides appellentur, de quibus ſub finem Capitis primi diximus. Fluores etiam dicti Germanis, & Cryſtalli interdũ, eâdem ſpecie naſcunt.

CAPITIS XII. PARS II.

De illis quæ à quadrupedibus denominantur, &c. & primùm in genere à cõmunibus quorumuis animalium partibus, tum ſimilaribus, tum compoſitis.

ANimalia quædam lapidibus aut ſaxis incluſa viuunt, vt bufonũ genus, quod Ranam venenatam foſſilem Agricola vocat: de quo nos in Hiſtoria Quadrupedum ouiparorũ pag. 74. Oſtrea etiam quædam viuentia in ſaxis medijs reperta conſtat.

Albertus Magnus de rebus metallicis libri 1. tract. 2. cap. 9. Admirabile, inquit, omnibus videt, quod aliquando

do lapides inueniuntur, qui intus & foris habent effigies animalium. Foris enim habent lineamenta, & quando franguntur, inueniuntur in eis figuræ inteſtinorum. Cuius rei cauſam dicit Auicenna eſſe, quòd animalia ſecundum ſe tota aliquando mutantur in lapides, & præcipuè in lapides ſalſos, nó duros vt plurimùm, &c. Tofi gignuntur in animalium corporibus ex purulento humore, vel ex hoc cũ pituita commixto: quales fiunt in articulari morbo, Galenus Comment. 1. in lib. 6. Epidem. cap. 5.

Hæmatites lapis ſanguinis colorẽ exprimit, medicis & pharmacopolis notus. Ein blůtſtein Germanis, Agricola interpretante. Speciem eius alteram Schiſtum, id eſt, ſciſsilẽ aut fiſsilem nominant. Nigri turriti in hoc genere, Val. Cordus meminit. Hæmachates ſanguinei coloris Achates eſt, apud Plinium lib. 37. cap. 10. Vulgò quidem noſtri Iaſpidis ſpeciem e-

Hęmatites

Hęmachates.

Digitized by Google

iuſdem coloris, Blütſtein appellant, à perſuaſione, quaſi ſanguinem ſiſtat ſi geſtetur, aut manu comprimatur dũ incaleſcat. ¶E ſanguine in mamillis fœminarum concocto in animalibus lac fit: à quo nomen Galactitæ lapidi impoſitum, quòd is ad coticulam vel in pila tritus cum aqua ad oculorum remedia in lactei coloris ſuccum reſoluatur: vt & alij quidam, & Melitites quoq; à ſucci eiuſdem dulcedine ſic dictus. item Leucographis vel Morochthus appellatus, & qui in Argæo Cappadociæ monte naſcuntur, quorum meminit Galenus.

Galactites


Seuum Græci propriè σέαρ nominant, adipem πιμελὴν: quod Plinius in Steatite lapide non animaduertiſſe videtur. A membris corporum (inqt) habent nomina, Hepatites à iocinere, Steatites ſingulorum animalium adipe numeroſa. Conijcias autem è Græco aliquo ſcriptore malè hæc vertiſſe Plinium: & eſſe στεατίτην τῇ τοῦ τῶν ζώων

Steatites.

στεα-

στέατος ὁμοιότητι διάφορον, id eſt, animalium ſeui ſimilitudine inſignem. διάφορος autem Græcis videtur & pro inſigni vel excellentė, & pro numeroſo vel multiplici quibuſdam differẽtijs accipi.

.I.



.2

1. *Amianti quibuſdam dicti lapidis fruſtulũ. Veriorem è Cypro, Cap. primo poſui.*

2. *Steatites fortè, vel Leucographidi Morochthóve (aliâs Moroxo) cognatus.*

Steatites hic propoſitus lapis vocari poſſe videtur, quòd mollis eius ſubſtantia ſit ſeuo perſimilis, ſed duriuſcula, Morochtho cognata, vt ſuſpicor: licet enim fuſci in ruffo coloris ſit, lineas tamen albas in ligno ducit, ſi affricetur. quod ſi lapis alius ſubſtantia ſimul, & pinguedine & colo-

re Steatitæ ſimilior inueniatur, is eſto Steatites: qualis fortè reperiet̃ in Terrarum vel Bolorum (vt vulgò vocant) genere, qualis maximè eſt Fulerde, id eſt, terra fullonũ, vel Seifferde, id eſt, Saponis terra, nominata: quæ ſi durior & lapidi ſimilior ſit, στεατίτην λίθον appellari nihil vetabit.

Cerebri ſimilitudo.

Cadmiæ foſsilis, quam Cobaltum Germani vocant, ſpeciem vidi ferreo colore, viroſo odore, cruſtacea ſpecie & cerebro ferè ſimili.

Oſſa foſsilia.

Theophraſtus autor eſt oſſa è terra naſci, inueniriq́ʒ lapides oſſeos, Plinius. Humorem hunc terræ (è quo lapis ſpecularis fit, quidam autumant cryſtalli modo glaciari. Et in lapidem cócreſcere manifeſtò apparet: quòd cum feræ decidêre in puteos tales, & (etiam) medullæ ex oſsibus earum in eandem lapidis naturam poſt vnam hyemem figurantur, Idem Plinius.

Fontes quidam immerſa ſibi in lapidis naturam conuertunt. Franco-

for-


Digitized by Google

ſordiæ ad Oderam fons eſt, cuius vi
ligna, folia, cortices, oſſa, conchæ, ob
ducuntur materia lapidoſa. Quædã
res foſsiles ſunt ſimiles oſsibus, cuiuſ-
modi eſt lapis Arabicus. aliæ, medul-
læ quam continent oſſa, quod genus
eſt marga liquida candidi coloris, A-
gricola. Videtur ſanè margæ nomen Marga.
Germanicæ originis eſſe: Marck enim
Germani, noſtri Marg, medullam vo
citant. Enoſteos lapis diuiſus, oſsiũ Enoſteos.
effigiẽ repræſentat, Agricola: qui hũc
lapidem Germanicè interpretatur,
Knochenſtein. Idem lib.5. de nat. foſsi
lium: Cotibus aquarijs grandibus tã-
tùm (inquit) tympani figura datur, &
ex ſaxo molari duro fiunt. Ex his autẽ
ipſis, quæ ex inferiori Germania affe-
runtur, variæ nigro & candido colo-
re, quædam fractæ oſsis ſpeciẽ repræ-
ſentant: quas iccirco ἐνόστεος Græci ap
pellarent. Eſt in animali Pôrus oſsis Pôrus.
duritia (inquit Scaliger) à Natura in
quaſi defuncti oſsis locũ ſuffecta ſuc-

Digitized by Google

centuriatáve. Callum Latini appellāt. Sic & in terra oſſa lapidea, aut lapides oſſeos eadem meditata eſt, vt legimus apud Plinium.

Figuræ quæ ſubduntur quatuor, lapidum ſunt, quos Oſteolithos dixeris, ab amicis miſſorum.



Species prima.

Ex his primus in Palatinatu locis arenoſis copioſè naſcitur ex ſabulo, oſsium ſpecie, στελεχοειδῶς, hoc eſt, trūcorum

corum quadam forma, cum rudimen tis ramorum, vnde & Σπλεχίται dici poſſunt: vel 'Οςείται, à ſimilitudine oſſium: vel Ammoſtei, compoſita ab arena & oſſe dictione: vel Oſteocolli, à facultate qua oſſa fracta intra corpus ſumpti, & foris emplaſtris additi, mirificè ferruminant: & ab eadem Holoſtei: vnde & Germanicè Beinwell & Walſtein appellant. poſſunt autem etiam Sandtſtein & Steinbein nominari: ſed nomen Sandtſtein Saxo arenario potiùs tribuitur. Bruchſtein aliqui nominant, ſicut & ſtillatitios lapides, de quibus ſuprà dictum eſt, quòd ad oſſa fracta valeant, zů den beinbrüchen. Noſtri ſaxa quæ ex Latomijs eruuntur, & quaſi refringuntur, vel exciduntur, Bruchſtein appellāt. De horum lapidum natura & vſu Commentarium doctiſsimum Thomas Eraſtus rei medicæ profeſſor Heidelbergę, vir in omni philoſophia ſummus, in meam gratiam conſcripſit: quē huic no

ſtræ lucubrationi quia non licet inſe- rere, vt cupiebam, propter feſtinatio- nem typographi, prima quaq; occa- ſione aliâs, edendum, vt dignus eſt, cu rabo.

Secunda & tertia. Secundus & tertius, figurâ à primo differunt: tertius quidem ea ſola: quar tus verò ſubſtantia quoq;: quę non a- renoſa vel terrea & friabilis ei eſt, ſed tenacior & oſsi ſimilior. odor aut ſa- por potiùs, idem qui cornui Monoce rotis falsò dicto, quod diu ſub terra marcuit, gratus & ſubaſtringens. Eũ miſit Ioã. Kentmanus, & alteri lapidi incluſum fuiſſe, ſignificauit, Enoſtei nomine.

Quarta. Quartus à clariſsimo medico Ioan ne Dryandro felicis memoriæ, priua- Stelechites tim Stelechitæ nomine ad me miſſus eſt. differt autem à præcedentibus, ꝙ eis durior, magisq́; lapideus ſit, (imò ſolidus lapis, cum illi leues, molles & friabiles, albiq́; ſint, primus & ſecun- dus etiam caui: vt nó modò foris, ſed intus

intus quoq; præ ſe ferant,) & coloris fuſci, figura modicè inflexa coſtarum inſtar. Ego hunc vnum tantùm duos pollices longum vidi. cõijcio autem hunc tantùm eſſe, qui in ſaxis è quibus Cotes aquariæ fiunt, inueniri ab Agricola ſcribitur. ea enim colore & ſubſtantia refert.

Quod ad facultatem attinet, nõ dubito quin ad multos affectus egregiè faciãt, albi præſertim illi ac probè maturi, ſi medici cũ ratione experiri vellent. Sed nimia plerorumque inertia & ignauia eſt, multorum etiam ſtoliditas, qui vetera ſolùm retinenda aiunt, noua experimenta non facienda, tanquam periculoſa. immò ne vetera quidem, ſi à Galeno aut illis quos ſequuntur, medicis nõ tradita, paucis, vel plebi & ruſticis fortè tantùm in vſu ſint, facilè admittunt. Ego Ammoſteorum vim ad oſſa conſolidanda, & chirurgis vulgaribus & agreſtibus quoq; illiteratis hominibus à

Digitized by Google

maioribus traditam, perq́ aliquot ſe-
cula confirmatã, natura ipſa indican-
te & propemodum loquente illam
ex ea quam habent forma, non vulga-
rem eſſe multorum & fide dignorum
hominum, tum indoctorum, tum e-
tiam doctorum quorundam experi-
mentis credo: & medicos adhortor
vt pharmacopolas iubeant hos lapi-
des ſemper in prõptu habere: qui procul-
dubio ad alia etiam multa vtiles e-
runt, quæcunq́ ſiccari, ſiſti, aſtringi,
ſine vlla acrimonia opus fuerit. Laua-
ri etiam vt ab arena craſsiore ſeparen-
tur, & in paſtillos formari poterunt,
Lemniæ terræ inſtar: cui non impares
fortè vires in præſeruandis etiam à pe-
ſtilentia corporibus habuerint: ij præ-
ſertim qui in hoc genere odoratiores
ſunt, qualis videtur qui in ditione Co-
mitum à Solms, non procul vrbe Ie-
na effoditur monte arenoſo, femoris
quandoque figura & magnitudine,
quandoq́ aliorũ oſsium, Bainbruch
appel-

âppellant: & vtuntur ad fracta crura cóſolidãda, intra corpus per aliquot dies exhibito, & ad dentium nitorem conciliandum: vt Laurentius Hiel doctiſsimus medicinæ in Ienenſi Academiæ profeſſor ad me ſcripſit, ac ſimul miſit lapidem: qui mihi mali Cotonei ferè odorẽ repræſentare viſus eſt. Linguæ leuiſsimè adhęrent fruſtula eius. minimum enim glutinoſi, idq́ probè exiccatum habet. cauernulis etiã modicè ſpongioſus eſt, ideoq́ leuior. Eiuſdem planè facultatis & ſubſtãtię, Lac lunæ.
Lac lunæ etiam dictum à noſtris videtur: & ipſum interdum ſatis boni odòris. figuram neſcio. plura autem de eo ſcripſi ſuprà Capite 2. Nuper verò Oſteitæ fœtidi.
lapides quoſdam oſsibus vitis perſimiles, ſed ſolidos & paruis foraminibus in ſuperficie plenos, Petrus Coldebergus pharmacopœus Antuerpia ad me miſit: in ſarcinis nucum muſcatarum repertos: vnum rectum ferè, alterum curuum in medio prominente

Digitized by Google

ceu articulo inſignem, qui intus quoque ſpongioſam oſsium quorundam compagẽ præ ſe fert. hos Oſteitas fœtidos appellârim. attriti enim vel vſti, lotij veteris inſtar aut oſsis vſti fœtẽt, vt oſſa vera fuiſſe in lapides mutata ſuſpiceris.

Ab Ammoſteis illis, qui in Palatini Electoris ditione non procul Spira ad Rhenum vrbe Epiſcopali fodiunt, & alijs qui non procul Iena Saxoniæ, non differt Darmſtetenſis lapis, quẽ à nobili viro Io. Guil. Reiffeſtenio accepi: & ſimiliter ad oſſa fracta in cruribus aut brachijs commendatur, ſi drachma vna aut ſeſqui detur quotidie ꝑ triduũ, applicatis interim etiam emplaſtris, quibus miſcet̃: quanquam & ſine his proficere aiunt, modo oſſa ab initio ritè fuerint reſtituta.

Cornua foſsilia. Eiſdem in locis non procul Spira vbi oſſeos illos lapides erui iam diximus, inueniuntur etiam Cornua, aut Cornibus ſimiles lapides, quos Cera-

titas

titas dixeris. Vulgò Monocerotũ tan quam in diluuio per orbem terræ diſperſorum cornua eſſe putant. ſed magnitudo & figura longè alia eſt, q̃ verorum Monocerotis cornuum, quorum vnum Argentinæ vidi. Hæc quidem ſimiliter ſub terra ſponte naturę naſci, vt iam dictos Oſteitas, non dubitant eruditi: non tamẽ è ſabulo fortè, ſed argilla. Portiuncula quam doctiſsimus Eraſtus ad me miſit, alba, mollis & lenis eſt, ſimilis medullæ, nullis vt Oſteitæ poris, ſolida planè, fragilis & friabilis, eximiè ſiccans & aſtringens, validiùs multò q̃ Oſteitæ, ac linguæ adhærens validè: mandenti grata, veluti amygdali odore. Vires contra venena & cæteras, eaſdem ferè quas Bolo Armeniæ ei tribuerim. Inueniuntur hæc etiam alibi, vt in Specu ſubterraneo (quem Baumanſhol vulgò vocant) prope Elbingerodam ſyluæ Hercyniæ ſiue Cheruſcæ in ditione Comitum Stolbergenſiũ, in cu-

ius Deſcriptione nondum edita, præſtans nobilitate & doctrina vir Ioan. Guil. Reiffeſtenius: Oſſa verò, inquit, quæ illic inſolitæ magnitudinis effodiuntur, multi impoſtores pro Monocerotis fragmẽtis, ſimplicioribus vendunt: ſed quia vicinis hæc fraus nota eſt, ad remotiora loca ſe conferunt nebulones.

De Aſteria gemma quæ incluſam lucem pupillæ modo quandam continet, ac trãsfundit cum inclinatione velut intus ambulantem ex alio atq; alio reddens, diximus ſuprà Cap. 2.

Oculi ſimilitudo.

Solaris eſt lapis, q Solis oculus appellatur, figuram habens pupillæ, ex qua lumen emicat, Marſilius Ficinus.

Zmilaces in Euphrate naſcit, Proconneſio marmori ſimilis, medio colore glauco, Plinius. Agricolæ hæc videtur eſſe facta ex id genus marmore, cuius fragmenta, vt fieri ſolet, fluuius detulerit. Camillus Leonardus apud Plinium legit Zmilaces ſeu Zmilanthis,

this,in medio habens quaſi pupillam glauci coloris.Orpheus meminit lapidis cuiuſdam quem Barbarum nominat in Euphrate nati: & eum videt Baccho gratum facere, cui nimirum etiam Smilax hedera accepta fertur. Callais in rupibus inuijs ac gelidis oculi figura extuberat,leuiterq; adhæret, Plinius 37.8. Ocellus gemma eſt tricolor, cuius medium candidũ eſt, extremarum partium vna ferruginea, altera nigra opaca eſt,Cardanus. Eadem aut ſimilis fortè fuerit Leucophthalmus, ſeu potiùs Lycophthalmus Plinij,de quo parte 1.huius Capitis dixi.colorem enim habet rutilum: & in medio niger candido cingitur, quod magis conuenit oculo, q̃ quod de Ocello ſcribit Cardanus in libro de Gẽmis: Operis verò De ſubtilitate lib.7. Onychis(inquit) tertium genus ferruginei eſt coloris in ſupremo, in imo nigri,in medio candidi: vocatur à pleriſq; Oculus. Sic ille: & fortè oculi no

Callais.

Ocellus.

men ab Onychio corruperunt illiterati, ſicut & Nicoli alterius ſpeciei in eodem genere. Alius eſt Trichrus Plinio, à triplici colore dictus: niger ipſe, ſuccos verò reddẽs, à radice nigrum, medio ſanguineum, ſummo candidũ. Chelonites etiam ille, quem vulgò à Bufone denominant, lapis è candido fuſcus, in medio quandoque cœruleũ habet oculum. Zenothemis tradit onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingẽtibus candidis venis oculi modo: interuenientibus quarundam oculis, obliquis venis, Idem.


Dentes foſſiles. Dentes quoque foſſiles inueniuntur alicubi, ſiue ex cadaueribus animaliũ quorundam, ſiue ſponte naturæ orti. Dentẽ in lapidem verſum Aldrouandus Bononiæ ſeruat.

1. *Lapis Hyænia nomine à præſtanti Enſishemij medico Ge. Pictorio ad me miſſus, Ombrijs quorundam fortè cognatus, duriſſimus,*


mus,ſubflauus.

2. *Dens in lapidem verſus, vel lapis odontoides,id eſt,dentiformis:aut papillæ ſimilis, θηλοειδὴς:quem à Io.Fabricio Montano,paſtore Eccleſiæ Curienſis apud Rhætos doctiſſimo accepi.*

.2.



.1.



In ſpecu ſubterraneo prope Elbingerodam (de quo paulò ante ſcripſimus) reperiuntur oſſa & dentes tam hominum quàm animalium aliorum, maximæ ac tantæ magnitudinis, vt vix credi poſsit vixiſſe vnquam tantæ magnitudinis homines aut animalia vlla. Ego in volumine De aquatilibus Corollario de Hippopotamo,dentis maximi apud nos inuenti iconem poſui: ſed poſtea aliũ quadruplo ferè maiorem ex Polonia accepi, à viro nobili quodam ædifi-

Digitized by Google

cij futuri fundamenta iaciente inuentum, vnà cum cornu maximo, quod pleriq; Monocerotis eſſe putarũt: ſed craſsities & figura eius curua obſtãt.

Linguæ ſimilis.

Gloſſopetrã dictũ lapidem (Glottidem Cardanus nominat ſine authore) alij hominis, vt Plinius, alij alterius animalis linguæ comparant: alij denti piſcis Lamiæ.

Cordi ſimiles.

Encardia cognominatur & Cardiſce: vna in qua nigra effigies cordis eminet, altera eodẽ nomine, viridi colore, cordis ſpeciem repræſentat. Tertia nigrũ cor oſtendit, reliqua ſui parte (ambiente, Agricola) candida, Plinius. Telicardios colore cordis Perſas apud quos gignitur, magnopere delectat, Maculamq; appellant, Idẽ.

Hepatites.

Hepatites à iocinere nomẽ habet, Plinius.

Enorchis.

Enorchis candida eſt: diuiſaq;, fragmentis teſtium effigiem repręſentat, Plinius. Agricola Germanicè interpretatur Hodenſtein. Figuram eius re


periés

periesCap.1.inter rotundos. Pyritæ quidam teſticulis binis aut ternis ſimiles reperiuntur.

CAPITIS XII. PARS III.
De rebus foßilibus, quæ in Quadrupedibus animantibus reperiuntur, vel aliquam cum eis earúmve partibus ſimilitudinem habent. Et primùm de manſuetis.

SArcites bubulas carnes præſentat, Plinius. Bos.

Bouis capiti lapillum tradunt ineſſe, quem ab eo expui ſi necem timeat: inopinatis p̄ciſo capite exemptũ adalligatumq́ꝫ, mirè ꝓdeſſe dentitioni, Plinius.



Lapis hic nigricans ſilicea duritie, (nam ictu ferri etiam ignis eli-

citur,) oculi vitulini ferè à capite extracti, magnitudinem & figuram præ ſe fert: ομματίαν λίθον, vel λιθόφθαλμον dixeris, Germanicè Augſtein. Hunc lapidem Io. Pontanus Saxoniæ principum medicus excellentiſsimus Gotha ad me miſit.

In Bouis corde lapidem inuentum, vir fide dignus mihi retulit. Bucardia bubulo cordi ſimilis, Babylone tantùm naſcitur, Plinius.

In iuuencarum ſecundo ventre inuenitur pilę rotunditate nigricans tophus, nullo pondere: ſingulare vt putant, remedium ægrè parientibus, ſi terram non attigerit, Plin. libr. 11. cap. 37. quidam etiam partum ab eo geſtato cuſtodiri nugantur. De his pilis, & earum generatione lege quæ Ioannes Vvierus De præſtigijs dæmonum lib. 3. ca. 11. ſcribit. Ego ſimiles, pugno maiores, leuiſsimos, ſuperficie læui, vidi & habeo. In capris alpinis etiam, quas Rupicapras Plinius vocat, ſimiles


les reperiuntur,& in alijs quibuſdam forté.Scaliger Exercit.125. Equus (inquit)dum hæc proderemus,egerebat Tofos duriſsimos,leuiſsimos, ſtercoris facie , rotundos , quorum vnum habemus.

De lapide in felle Boum , Taurorũ maximè,iam olim annotaui quędam, in Hiſtoria Quadrupedum de Boue G.pagina 70.& in Tauro 109. De eo dem lege Auicennã in vltimo ex qua tuor illis capitibus, quæ libro ſecundo eius Bellunenſis præmiſit:vbi & de ſcriptionem eius & ex eo remedia po nit. Syluaticus Maſſatum interpreta tur lapidẽ qui inueniatur in felle Bouis. Scaliger Haratzi Arabicè dici ſcribit. Eum qui eſt in felle Tauri ad icterum facere , Moſes Kimhi ſcriptũ reliquit in ſuis Commentarijs. Ego talem ab amico miſſum habeo , ruffi coloris,friabilem.

E rene Bouis lapidẽ Aldrouandus Bononiæ habet.

Digitized by Google

Ammonis vel Hammonis cornu Plinij, alius quàm Ammonites vel Hammites eiuſdem, quem ouis piſcium comparat.



Hammonis cornu inter ſacratiſsimas Aethiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornus effigiē reddens, promittitur prædiuina ſomnia repræſentare, Plinius. Videtur autem is ſæpe gemmas putaſſe qui lapides ſunt, ſicut & Hammonites à nobis poſitus: quem à Io. Kentmano accepi. Eſt autem veluti cornu arietis in ſe reuolutū. Agricola lib. 5. de nat. foſsilium, cum de Hoplite, id eſt, quouis lapide ceu armatura induto, locutus fuiſſet, ſubdit: Similiter Cornu Ammonis, & alij lapides armantur: ſed eorum arma ex auro vel orichalco polito plerūq; videntur eſſe facta. At libro 4. De or-


tu &

tu & cauſis ſubterraneorũ: Hammonis cornua (inquit) quæ plerunq; armatura ferri politi colorem referente, obducuntur, ſucco aluminis infecta, aurei coloris fiunt: ſi eo ſucco nõ inficiuntur armaturæ, colorem ſeruant. Idem alijs quibuſdam lapidibus accidit. Ammonis cornu magnum, cuius dimetiens eſt digitorum ſeptem, & reuolutio in ſeſe duplex, vt apparet, & ſpecies tota pulchrè criſpis vndantibuſq; lineis articulatim (nodoſum eſt enim, inqt, & quaſi iuncturis cohæret) diſtincta, à Ioanne Kentmano ad me miſſum eſt depictum: ipſe verò à perito & ſene medico Burchardo Mythobio Cornu ipſum accepit. Miſit & aliud depictum, cum armatura ferrei coloris.

Cardanus in libro de Gẽmis, Hammonium lapidem cornibus arietis ſimilem, primũ ex tribus rariſsimis eſſe ſcribit, ſine authore, neſcio de qua gẽma intelligens: cum noſtrum nec gẽma, nec admodum rarum ſit.

Digitized by Google

PRO SEQVENTIBVS ICOnes tantùm, quæ ſculptæ in promptu erant poſuimus: cæteris quæ ad idem argumẽtum adferri poterant, omiſsis: cum Typographi feſtinatio ſic vrgeret.



Bezoar apud Arabes dicti lapidis ſubrotundi differentia triplex, ſecundum magnitudinem, cum fragmentis exiguis quatuor. Tales autem lapides Ferdinandus Auguſtus Imperator habuit aliquot: cuius delineationes has qualeſcunq;, cum fragmentulis pro ſpecimine, archiatros tum eius ſicut & nunc filij Maximiliani Cæſaris Auguſti, Ioannes Crato ad me miſit.


A. litera poſita eſt inter duas figuras

ras lapidis ſpecie oualis, magnitudinis autem quæ hîc apparet, duplex ferè ad fabam, fuſcus, ſplendidus, leuis, mollis: ab vna parte ſimplicior, ab altera lineas quaſdam habet. qui Cerui lachryma à recentioribus dicitur, & Bezoar lapidi æquipollere exiſtimatur. Hanc inſpiciendã ad me miſit doctiſsimus medicus Adolphus Occo Auguſtanus F.

CAPVT XIII.


PRo Capite XIII. quo Lapides ab Auibus denominati, aut ex auibus ſumpti enumerantur, nõ alios in pręſentia pictos habemus, quàm qui hîc exhibentur.

1 2



1. Hieraciten: & 2. Perdiciten: ab aliqua pennarum in his auibus ſimilitudine dictos. Eos autem à Ioanne Kentmano accepi.

Chelidonias ab Hirundinibus dictos, vt ab Aquilis Aetitas, Alectoriã à Gallo, ſuprà dedimus.




Batrachitæ vel Crapodinæ vulgò dicti lapides, à Bufonibus, quorum capitibus eos contineri perſuaſum eſt. Sunt autem ſpecies eius tres hîc exhibitæ, magnitudine differentes: figurâ hemiſphærica, caui intus, foris conuexi. Quartus maior & oblongior eſt. Cæteros ferè Krottenſtein, id eſt, Bufonum lapides noſtri vocãt. Quartum, qui rarior eſt, audio Schlangenſtein oder groſſer Krottenſtein vocari, id eſt, Serpentium lapidem, tanquam Ophiten dicas. Tertium minimũ minusq́ cauum, Caluariæ Bufonis nomine ab

Hier.

Digitized by Google


Hier. Cardano accepi. Sed in huiuſmodi lapidum nominibus magna paſſim varietas & incertitudo eſt.

DE LAPIDIBVS QVI Aquatilium animantium effigiem referunt. Caput XIIII.




LApis Iſlebianus, è quo æs conflatur, niger, durus, laminæ inſtar: piſcis formam æneis ſquamis cõſpicuã præ ſe ferens: aliquando & aliorũ animalium. ego duos ſingulis, vnũ verò geminis piſcibus inſignem habeo ab amicis miſſos. Agricola Eiſlebianũ lapidem vocat, & imagines exprimere ſcribit piſciũ, Lucij, Percæ, Paſſeris marini, de nat. foſſil. lib. 1. Libro 10. autẽ eiuſdẽ operis, Spino à priſcis dicto


lapidi eundē, aut cognatū facit, fiſsilē, nigrū, bituminoſum, æroſum, &c.



Lapilli è piſciū quorundā Oceani, Aſellorū præſertim generis capitibus, tales, tantiq́;.


A





B

.3. .2. .1. C



In tribus hiſce formulis, quæ notã-
tur literis A.B.C.lapides exprimunt,
quos Gloſſopetras appellamus, aliq;
Lamiarum dentes, Cardanus Glotti-
des, Germani Naterzünglin: id eſt, Na
tricũ linguas. Gloſſopetra nigricans,
inquit Agricola, Germanis Natricũ
lingua dicitur: cui ſimilis non eſt, ſed
magis linguæ Pici. Reperitur in terra
aluminoſa. Sic ille. apud nos non ni-
gro, ſed albicante in roſeo ferè colo-
re & ſplendido reperiuntur, ſaxis in-
terdum incluſi. Veneno præſente ſu-
dare in menſa creduntur: ſed facilè ad
vaporem alij quoq; læues & præduri
lapides ſudant. Differunt colore, ma-
gnitudine, figura. Alij dentatis aut ſer
ratis marginibus ſunt, alij læuibus. De
eo qui in A. formula exprimitur, plu-
ra leges in Volumine Aquatilium no
ſtro, vbi de Cane carcharia & Lamia
agimus, pag. 210. In formula C. ad nu
merum primum expreſſus lapis, ſimi-
lis eſt cæteris, ſubſtãtia, duritie & ſplẽ


Digitized by Google

dore: ſed auis alicuius, Merulę ferè, roſtri ſuperiorem partem præ ſe fert, minor cæteris, & vero Lamiæ aut Carchariæ denti (qualem Petrus Coldebergus pharmacopœus Antuerpia ad me miſit) ſimillimum. Vnci retrò eminentes, dentis veluti radices ſunt: aut ſi quis ad linguæ ſimilitudinem referre malit, oſsi Hyoidi bipartito, quod linguæ animalium ſubditur, non diſſimiles. In eâdem formulâ media ſigura Gloſſopetram latiuſculam & ſine radice ſua repræſentat. Tertia verò lapidem Cornu ſerpẽtis à quibuſdam dictum: quo nomine picturam hanc Georgius Sittardus medicus ſanè doctiſsimus & lõgiore vita dignus Norimberga olim ad me miſit.

Cornu ſerpentis.


1. Genus Cochleę marinę, arte politæ, cum ſuo operculo planè lapideo, quod vulgò Fabam marinam vocant, prona numero 2. ſupinaq́ parte numero 3. expreſſo. Vide in Hiſto

ria



ria Aquatilium noſtra pag.283. inter cæteras Cochleas, de Cochlea cælata à Rondeletio dicta.

Cochlea q̄-dã(à Io. Kent-mano ad me miſſa, ſicut & aliæ plures,) quã σιδηροειδῆ à ſupficie fer-ro ſimili, vel




hopliten cognominare licebit. Lapis eſt intus cultro cedens: foris cruſta te nui, ſplendida, & ferri politi inſtar in-tectus, fuſci vel cinerei coloris. Ambi tus externus totus pulchrè intortus

eſt, ita vt margines placentarum, rotu la coquinaria vel placentaria diſſecti. Videtur quidem ſimilitudinem aliquam habere primo aſpectu cum cornu Ammonis, ſimiliter ferè ſtriata & reuoluta ſuperficie: plurimum verò differt. nam huius exterior ambitus, non tereti figura vt Cornu ſpectatur, ſed in anguſtum margine tortoſe colligit: & tum foris ferro ſimilior eſt, tũ intus lapis durior: totaq; figura latior, planior, compreſsior. Sed neq; fœtet in ore mandentis, vt illud. Media pars, qua reuolutio deſinit, caua eſt ab vno latere: ab altero protuberat, nec apparent reuolutiones. Ad ferrũ ignem emittit.


1. Strombus lapideus, Strombites.

2. Strombulus quidam minimus, ſi bene memini.

3. Conchæ ſtriatæ à Rondeletio dictæ genus. Primum & ſecundum ex his Encelius non rectè pro Chelonitis



tis exhibuit. Primo & alium ſimilem pharmacopolæ quidam vocant Agapen neſcio quaratione. eſt autem exilior,& magis in acutũ ſuis ſpiris exit.




1. Pecten lapideus. Subſtãtia intus eſt pallida,albicans, ceu luti in lapidem indurati.

2. Cochleæ lapideæ genus planum vel ſeſsile,ſubruffo colore foris,intus albo. Conchas & cochleas huiuſmo-

Digitized by Google


di aliquot Dominicus Montheſaurus medicus & philoſophus incomparabilis Veronæ, & Franciſcus Calceolarius eadē in vrbe pharmacopœus peritiſsimus, ad me miſerunt.




A. Lapis cū cochleis lapideis, partim extantibus, partim in eo latentibus, ita vt totus ex eis compoſitus videatur. poteſt autem Cochlites vocari.

B. Ctenitæ ſpecies: quæ Hildeshemij in lapidicinis reperitur. Oris Ceti (vt ſcribit Kentmanus, qui vtranq; huius formulæ iconem miſit) figuram repræſentans.

Conchæ



1. Conchæ σιδηροειδοῦς (id eſt, ferratæ, aut ferreolæ, ſi ita dicere licet) genus: Caſtaneæ ferè figura & magnitudine, cum germine gliſcere incipiente, & vmbilico infrá. 2. Pectunculus ferreolus, κτένιον σιδηροειδὲς.
3. Alius lapideus totus.
4. Vmbilicus ferreus.




1. Strombus tantillus lapideus, & totus ſolidus: ab imo tamen per modicã cauitatẽ habet, è ruffo albicans.


2. Alius maiuſculus, fuſci coloris: ſuperiùs tantùm in cochleam retortus: inferiori parte planus & pilæ ſeu columnæ rotũdę ferè ſimilis, niſi paulò anguſtior eſſet in imo.

3. Porcellana minima, alba: nõ mutata quidem in lapidem: ſed ſuapte natura, vt reliquæ etiam porcellanæ, fermè lapidea.

2. 1.



2. 1




1.2. Lapides ſunt ſolidi, pugno minores, miro naturæ artificio depicti. Pondus eis mediocre, cruſta ambiẽs ſilicea, alba, craſsiuſcula, & prædura

eſt in

eſt in vtroq; euidentius in altero: qui planior eſt, & Stellã marinã ſuis radijs refert. Primus altior & turbinatior eſt, & ab Echini marini ſimilitudine, ni fallor, cui teſta exterior ſit detracta, Echinites vocari poteſt. In vtroq; radij à ſuperiore parte verſus imã deſcẽdũt: in ouo anguino (quod infrà mox dabimus,) contrá. Idem verò & acetabula quędam habet, hi duo nõ habẽt.

Pagurus lapideus, parte ſupina expreſſus.
Ein ſteininer Meerkrebß/ oder Täſchenkrebß.




1. Lapis caudæ Cancri, ſiue Aſtaci fluuiatilis potiùs, perſimilis, Ombriæ nomine ad me miſſus. Ego ſuprà cap. 2. Ombriam alium exhibui.

2. Idem, parte altera. Totus paulò breuior eſt ſuperiore pollicis arti-

Digitized by Google

culo, eiuſdẽq; ferè latitudine & craſſitie, è fuſco pallidus. Pars vna, quæ inferior eſſe videtur, zonis trãſuerſis modicè incuruis, quinis diſtinguitur, quæ ꝑ latera etiã inflexæ aſcẽdũt.


.2. .3.



I

Superior autẽ pars læuis eſt. In extremo tuberculũ rotundum prominet: cui in parte oppoſita reſpondet cauitas. Satis durus & grauis eſt.

DE LAPIDIBVS QVI SERpentes & inſecta referũt. Cap. XV.




LApis huiuſmodi, nõ multò maior q̃ hîc apparet, inuẽtus eſt in mõte quodã Heluetiæ; ſerpẽtis in ſpirã reuoluti eſ-

ti effigie, ita vt caput in circumferen-
tia promineat, extrema verò cauda ꝓ
centro ſit. Erat & alia pars lapidis, ſo
ris aliqua ex parte ambiens tanq̃ alte-
rius maiuſculi ſerpentis minorē hunc
ambientis: quam in hac figura nō ad-
didimus, quòd fracta eſſet. Hic lapis
apud me eſt, ſatis durus & fuſcus, inſe
riore parte planus & informis, niſi ꝙ
vno in loco ſerpentini corporis bre-
ue indicium apparet.

1



2




Lapis hic admirabilis inuentus eſt
in agri Tigurini torrente, quē Toſam
nominant, pugno maior paulò, vncia
rum xxj. pondere, è fuſco albicans, in
tus verò, ſi ſcalpatur, candidus: mirè

durus, foris præſertim. ambitur enim ceu cruſta ſilicea, intus paulò mollior. figura ei lenticularis, vel globi dimidiati. Vtranq; ſpeciem apud me ſeruo. A baſi, quæ plana & læuis eſt in medio, vt ad 2. numerum apparet, q̄-næ veluti caudæ ſerpentium aut lacertorum, verſus ſuperiorem partem elatæ paulatim attenuantur. Interſtitiū autē quodq; inter duas caudas, duos acetabulorum, quæ ceu verrucæ quædam eminent, ordines habet. Hoc ſanè Ouum anguinum Plinij videtur, deſcriptum ab eo pluribus libro 29. cap. 3. An verò aliqua ſit cognatio cū Brontijs ab Agricola deſcriptis libro 5. de nat. foſsilium, nondū exploraui.

Ouum anguinum.

.2 .1.



Hos

Digitized by Google

Hos præcedentes duos lapides Petrus Coldebergus Antuerpia ad me miſit. Prior, ſpecies eſt Marmoris Ophitæ, non in ſuperficie ſolùm, miris maculis, lineis & figuris: ſed intus etiam per totum variegata, colore ex albo cinerea, maculis fuſcis tanquam arte factis. Alter, fortè ei cógener eſt, ſed lineis plurimùm differens: quæ quidem albo colore cymatili vel vndarum ferè ductu, latiuſculæ per totú lapidem cernuntur, plenæ vtrinq; breuiſsimis ceu petiolis tranſuerſis, ſicut inter vermes ſcolopendræ, à quarum ſimilitudine Scolopendrites hic lapis dici poterit. Scolopendrites.

FINIS.

ERRATA.

In Epiphanij libello, folio 16. verſu 7. pro non, lege noti. In libro primo Kentmani, poſt foliorum numerum 70. ſequentes aliquot numeros corrige.

Digitized by Google



Digitized by Google